This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

615
.1
M78j
K

EXPLICATIO LOCORVM MEdicinæ, ſine quorum intelligétia eam nemo rectè exercere poteſt.

Per D. Ioan. Baptiſtam Montanum Veronenſem, inſignem philoſophum & medicum.

Locorum explicatorum Catalogum pagina ſequens indicat.

PARISIIS.

Apud Gulielmum Iulianum, prope collegium Cameracenſe, ſub Amicitiæ ſigno.

1554.

BIBLIOTECA R. COLEGIO S. CARLOS

CATALOGVS EORUM, quæ hoc libro continentur,

Ioannis Baptiſtæ Montani Veronenſis medici.

De differentiis medicamentorum ſimplicium, & cauſis diuerſarum facultatum eorundem Tractatio.

Explicatio eorum, quæ pertinent ad qualitates ſimplicium medicamentorum, & eorundem compoſitionem.

Morborum diuerſorum curationes, in quibus multa ſuppoſita ſunt exempla eorum, quæ ſuperioribus tractationibus ab eo tradita ſunt.

De ratione curandi morbum Gallicum.

BIBLIOPOLA
rei medicæ ſtudioſis
S.

QVum ex viris doctiſsimis intellexiſſem idē recte dici poſſe de Ioan. Baptiſta Montano medico quod olim vir quidā exquiſitiſsimi iudicij de Ariſtotele dixit, nihil eum vnquam ſine cauſa dixiſſe: nulli neque operæ, neque ſumptui peperci in cōquirēdis his, quæcunque medicus ille vel literis mandaſſet, vel ſuis diſcipulis ex ſuggeſto dixiſſet. Nā quæ is ad rei medicæ ſcriptorum enarrationem ex illo loco afferebat, ſic omnes ſemper exceperūt, vt oracula: quod in his eſſet

hominis in docendo diuini oratio. Nullus enim vnquã res quas maximis natura obſcuritatibus inuoluit, ſplendidius illuſtrauit, neque quam ſummi philoſophi optimarũ artium viam tradiderunt, melioribus auſpicijs quiſquam iniuit, vt qui in eam deduci velit, hunc ſibi ducem quærat neceſſe ſit. Hoc enim viæ monſtratore nemo erraturus eſt. His igitur interim fruimini, atque vtimini, rei medicæ ſtudioſi, dum alia huius auctoris ſcripta vobis conquirimus. Valete.

CHRISTOPHO-
RO LEVSCHNERO
artium & medicæ ar-
tis doctori Gaſpar
Peucerus
S. D.

TOTVM mũ
di ſyſtema ve-
lut pulcherri-
mũ eſt theatrũ,
maxima plurimarum ac
diuerſiſsimarum rerũ va-
rietate refertum & diſtin-
ctũ,in quo expreſsiſsima

ſapientiæ ac potentiæ diuinæ veſtigia conſpicienda, nobis penſitanda, & cum præſentiæ Dei cogitatione atque ardenti gratiarum actione celebranda proponũtur. Hominẽ enim ideo Deus cùm intelligentia præſtanti, perſpicacitate eximia, aliiſque dotibus initiò planè diuinis ornârat atque inſtruxerat, tum in hoc ſapientiſsimè fabrefactum domicilium collocârat, vt admiranda Dei opera cõ-

templare-

templaretur ac conſide-
raret, earúmque naturas
ſcrutaretur & inde ſapien
tiam architecti æſtimaret.
Et ſi diuinæ ſapientiæ ra-
dios in creatione inditos,
vimq́; mẽtis acutiſſimá re
tinuiſſet primus homo, in
ipſas interiores rerum na
turas penetraſſemus intel
lectus noſtri acumine, &
cùm cauſas ac fabricas ſa
pientiſsimè conſtructas
perſpexiſſemus, tum ar-
chitecti conſilium magis
intellexiſſemus. Quia ve-

rò hebetata eſt & obtuſa
acies humanæ mẽtis pec
cato primorum parẽtũ,
& lumen diuinæ ſapien-
tiæ, quod in natura præ-
luxiſſet, noſq́; ad agnitio
nem τοῦ δομιουργοῦ perdu-
xiſſet, obſcuratum elã-
guit, factum eſt, vt velut
denſa circũfuſi & implici
ti caligine naturã nõ qua-
lis eſt amplius intueamur
ſed ceu per trãſennam &
cõuoluta periſtromata à
longè aſpiciamus. Non
amplius rerũ formas aut

ἀναλογίας elementorum in mixtis corporibus pernoſcimus, figuras ſenſibus obuias ſectamur, & arripimus, iiſque quãtùm poſſumus res cognatas diſcernimus. Nec mirabilium virium, (quas addidit rebus creatis Deus, & actionum vitæ neceſſariarum effectrices eſſe voluit) cauſas veras integrè peruidemus aut comprehendimus, creaturis ineſſe atque inhærere eas ſenſibus animaduertimus, &

percipimus,de cauſis cõiecturas facimus,& planè diuinamus. Veriſsimum eſt Ariſtotelicum illud dictum pulchra illuſtratum ſimilitudine, quod in Metaphyſicis habetur ὥσπερ καὶ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Mentes humanæ directæ & defixæ in naturæ contemplationem caligant & cæcutiunt, vt veſpertiliones ad lucem conuerſæ meridianam.

Hinc

Hinc nata eſt tanta, tám que pugnantium & abſurdarum opinionum copia, & varietas. Cùm enim excellentia ingenia ingreſſa in naturæ conſiderationem nec exquirere integrè ac peruestigare, nec coniecturis aſſequi origines, ſtructuras, conformationes, cauſas mirabilium actionũ & motuum, ac mutationũ poſſent, imò quò progrederentur longiùs ratiocinãdo & indagando, eò ma-

iora miracula offerri ſentirent, confuſiones pepererunt maximas, alii alia excogitârunt, prout in priùs inuentis aliquid deſiderârunt: auxerúntque hac ipſa commentationum infinita nouitate difficultatem conſiderationis, cùm maiori obſcuritate naturæ velut inducta, tum mētibus humanis irritetis ac præpeditis. Alii ea difficultate & opinionum immenſa diſcrepantia moti omnia pariter

ter

ter incerta eſſe finxerunt, alii veritatem abſtruſam abditámque ex conſpectu noſtro & in profundo demerſam eſſe, nec cerni aut erui poſſe contendêrunt. Socrates, cùm iuuenis miro eius ſapientiæ, quam ἱϛορίαν τῆς φύσεως vocat, ſtudio flagraſſet, & omne tempus cauſis ortus atque interitus rerum, aliarúmque mutationum perſcrutãdis impendiſſet, tandem ſe hũc ex phyſicis commenta-

tionibus fructũ retuliſſe affirmat, vt ea quæ pro certis antea firmis euidentibus & explicatis habuerit, quæque præclarè ſe cognouiſſe & in animo obfirmaſſe ſuo putauerit, pòſt velut è manibus extorta amiſerit, & incerta ac neutiquã integrè explorata eſſe comperit. Inquit enim apud Platonẽ ἔγω ἃ καὶ πρότερον σαφῶς ἠπιστάμην, ὥς δὴ ἐμαυτῷ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐδόκουν, τότε ὑπὸ ταύτης τῆς σκέψεως οὕτω σφόδρα ἐτυφλώθην, ὥς τε ἀπέμαθον καὶ ταῦτα, ἃ πρὸ τοῦ ᾤμην εἰδέναι.

Etſi

Etſi verò magna eſt caligo intellectus humani magna acici mentis imbecillitas, quæ natura ſeneſcẽte magis magiſq; attenuatur & deficit in dies, multa etiam vidẽtur eſſe incerta ὥσπερ σκιαί τινες καὶ εἰκόνες ἐν ὕδασιν, multa reuera nõdum eruta aut explicata ſunt, de quibus τυφλὰς δόξας tenemus , reliquæ tamen ſunt notitiæ plurimæ , quæ ſunt πηγαὶ τῶν τεχνῶν & actionũ rectrices. Reliquũ eſt & acumẽ mẽ

tis, quod & naturas rerũ perſpicit aliquomodo, indéque neceſſaria conſeruationi vitæ auxilia petit, ac depromit, & ex his notitiis, & aliis plurimis vſu longo comprobatis extruit concluſiones immotas ac firmiſsimas. Has notitias & concluſiones ex illis firma connexione deductas Dei ſapientiam eſſe certiſsimum eſt.

Eſt autem inter artes cæteras, quas ad vſum generis humani Deus con-

didit,vel præcipua ars medica,qua Deus immenſa miſericordia naturæ hominum lapſu primorum parentum grauiter afflictæ ac languefactæ mederi voluit,ne vel editi in lucem ſtatim extinguere-mur , vel ægritudinibus conflictaremur perpetuis,tandémque longis cruciatibus enecti occumberemus, ſed ipſum agnoſceremus ac glorificaremus.Súntque in illa ipſa arte pleraque certa,firma,

perſpicua, accommodata ad vſus inſignes & multiplices, imò & neceſſaria conſeruationi corporum noſtrorum in hac vita, ſiue medicamentorum vires, ſpecies & diſcrimina, ſiue partium humani corporis ſtructuram, ſiue cauſas bonæ valetudinis & morborum, ſiue medendi rationem, ſiue principia & fontes, ex quibus tota curandi ratio proficiſcitur ſpectes.

Neque ideo ars tota in dubi-

dubium vocari & pro in-
certa haberi debet, quòd
vel omnium cauſæ non
perſpiciuntur, vel multi
aut ambitione, aut errore,
aut imbecillitate ingenio
rũ, quòd eruditiſsima ve-
terũ dogmata nõ aſſeque
rẽtur, nouas erroneas, alie
nas à veritate, & noxias
opiniones confinxerunt,
& conſenſum veterũ cõ-
turbârunt: hominum illa
culpa fiunt, non artium,
quarum perpetua eſt &
immota veritas. Hæc

ne extingueretur in genere humano negligentia hominum, aut ne erroribus deformota & obruta concideret atque euaneſceret, Deus ſubinde præſtantia ingenia excitauit, quæ veterum inuenta conſeruarent, au dirent, & expolirent, errores dextrè refutarent, ac diſcuterent, & diſcentes ad veros fontes deducerent ſæpe in maximis imperiorum ruinis & conflagrationibus earum

vrbium

vrbium quæ domicilia fuerant ac hoſpitia literarum, mirabiliter præcipua omnium artium monumenta, ne perirent, defendit ac propagauit.

Inter eos verò, quos hoc noſtro ſæculo ad artis Medicæ explicationem diuinitus accenſos videmus, vel principem locum facilè tenet Ioannes Baptiſta Montanus profeſſor Patauinus, vir acerrimi ingenii, & iudicii dexterrimi, adeo vt fa-

ctus,formatúſque videatur ad aperiendos,& perpurgãdos fõtes artis Medicæ, qui ſitu ſqualloréque inquinati & obſcurati aliquandiu latuerunt. Huius eſt hæc quam edimus Epitome de medicamentorum differẽtiis, in qua vt artifex, miro acumine,&dexteritate maxima,breuitate tãta, quãtam imitari quiuis non poterit, diſcernit qualitates, ac vires ſeu facultates medicamẽtorum, & cau-

ſas,

ſas, quantũ fieri poteſt oſtendit atque explicat, & velut in tabella quæcunque Galenus fuſiſsimè diſputat conſpiciẽda proponit, multa etiam à Galeno vel conſultò prætermiſſa vel eruditorum iudiciis æſtimanda relicta, explet, ac declarat. Eſtque meo iudicio digniſsima, quæ omnium ſtudioſorum manibus aſsiduè teratur, imò pectoribus infixa atque incluſa circumferatur perpetuò. Immẽſæ

enim huius doctrinæ vti-
litates notæ ſunt. Ne igi-
tur hi qui ſolidam cogni-
tionem virium multipli-
cium in medicamẽtis, &
cauſarum expetunt, hu-
ius iſagogæ fructu priuẽ-
tur, etſi expreſſa eſt alibi
tamen cùm exemplari-
bus deſtituamur, excu-
di curauimus denuo, &
ſub tuo nomine doctiſsi-
mè Chriſtophore publi-
camus, cùm vt teſtaremur
te huius beneficii nobis
autorẽ eſſe, & tibi, hi qui

hac

hac doctrina fruentur, ſe
gratitudinem debere in-
telligant, tum vt priua-
tim ego quoque meam
tibi beneuolétiam & ob-
ſeruantiá declararé. Deus
æternus pater domini no
ſtri Ieſu Chriſti & te re-
gat ac ſeruet, & harum re
gionum eccleſias, ac ſtu-
dia literarū in noſtra vr-
be tueatur, nec ſinat ex-
tingui lucem euangelii
ſui, & cæterarum artium,
nec ſinat fieri maiores va-
ſtitates. Hæc eum toto

pectore ardẽter oramus.
Datæ Vuitebergæ calendis Martii, quo die Sylla Athenas expugnauit, quæ fuerunt domicilium & ſedes ſapientiæ Græcæ multos annos, & ſatis crudeliter in ciues ſæuiit. Talem à nobis ô Ieſu Chriſte tyrannidem clementer auerte.
Vale.

DE DIFFEREN-
TIIS MEDICAMENTO-
RVM, ET CAVSIS DI-
uerſarum facultatum in medicamentis, Tractatio.

COLEGIO DE S. CARLOS BIBLIOTECA

CVM *in interpretatione quintæ partis primi libri Auicennæ iam deuenerimus ad id in quo agitur de medicamentis, operæpretium iudicauimus, tum ad ea quæ ab Auicenna dicũtur, tum ad alios quoque vſus quamplurimos, qui in hac arte occurrunt, omnes medicamentorum differentias certa via ac ratione explicare. Vix enim exprimi poteſt quãtæ vtilitati, & commodo ad artis opera collaturum ſit, quod intendimus. Supponamus igitur medicamentum, ſicut & alimentum referri oportere ad corpus humanum, circa quod omnino verſatur medici facultas. Supponamus etiã medicamentũ, & pro veneno ſumi apud antiquos, & pro eo quod ad ſalutem confert, ſicut & apud Græcos pharmacũ.*

Quibus ita ſuppoſitis, dicimus omnes medicamentorum differentias à tribus primũ-

piis potiſsime oriri, videlicet ab eſſẽtia, à viribus ſeu facultatibus, ab actionibus.

Quantum igitur ad eſſentiam attinet, eam dupliciter conſideramus, vel ſecundum proximam materiam, vel ſecundum formam, quam ſubſtantialem vocant. Medicamenta ſecundum materiam conſiderata quaſdam habent differentias, quæ ſunt tanquam habitus quidam actu exiſtentes, quaſdam verò quæ ſunt meræ potentiæ.

Differẽtiæ igitur quæ ſunt habitus, ſumũtur penes varios modos ſubiecti, vt raritas, denſitas, leuitas, grauitas, durities, mollities, lenitas, aſperitas, craſsitudo, tenuitas, viſcidi tas, friabilitas, durities, mollities, plenitudo, vacuitas. Sunt enim hi omnes habitus quidã ex varia commixtione humidi & ſicci, per actionem calidi in materia mixtorũ reperti.

Aliæ verò differẽtiæ quæ ex ſe nullum actũ præſeferũt, ſed tantũ paſsibiles ſunt affectus in ſubiecto per eandẽ mixtionis rationẽ impreſsi, tot ferè tũ à medicis tum à philoſophis numerantur. Videlicet quod indurari poteſt, quod nõ indurari, πηκτόν Græci vocant liquabile, nõ liquabile, madefactibile, nõ madefactibile, ruptile non ruptile, frangibile, nõ frãgibile, flexile, inflexile, cedẽs tactui, nõ cedẽs tactui, cõpreſsile, non cõpreſsile, ſciſsile,

non

non ſciſsile, formabile, non formabile, πλασικὸν vocant, dilatabile non dilatabile, quod teri poteſt, quod non teri, elixabile non elixabile, vaporabile inuaporabile, cremabile non cremabile, inflammabile nõ inflammabile, ſuffibile non ſuffibile.

Hæ ferè ſunt differentiæ in mixtorum materia repertæ, quarum ratione ſingulæ quæq; ſpecies magis vel minus aptæ ad patiendum redduntur, harum omnium notiones, primò ſingillatim declarabimus, poſtea earundem cauſas explicabimus.

Primò igitur cũ dicimus, quod durari, quod non durari poteſt, intelligimus, quod græci πηκτὸν & ἄπηκτον dicunt. quod nõnulli interpretãtur congelabile non congelabile. Sũt enim quædã, quæ facile cõgelantur & indurãtur, vt aqua & cera, & huius modi, quædã quæ nullo modo cõgelari indurarive queũt vt oleum, & maior pars pinguedinũ & butyrum. Quædam vero congelari quidem & indurari poſſunt, ſed nõ priuſquã valido calore immutẽtur & excoquãtur, vt pix & mel.

Hic ergo antequã ad alias differẽtias trãſeamus, ne bis idem ſit repetendũ, cauſas perſcrutabimur horum diuerſorum effectuum, qui in hac materia contingunt. Si prius duo ſupponamus principia neceſſario ſupponẽda,

ſine quibus rationes & cauſæ parum conſiſterent. Sunt enim omnes ad hæc principia referenda.

Primum eſt omnia mixta varias formas recipere, varioſque ſubſtantiæ modos ex parte ipſius materiæ, prout humidum & ſiccum in mixtione variè patitur per actionem calidi & frigidi. Secundum, in qualibet mixtione elementorum, nihil omnino eſſe ſecundum rationem continuum, ſed tantum ſecundum ſenſum magis aut minus. Fortaſſe enim corpora cæleſtia verè continua ſunt, ideo nec diuidi, nec corrumpi poſſunt. Noſtra autem hæc corpora propter magnam contrarietatem humidi & ſicci, & quoniam nullam veram æqualitatis mixtionem adipiſcuntur, ideo nõ verè continuantur, ſed ſemper ſunt aliqua foramina in tota materia, quæ Græce πόροι vocantur, maiora, vel minora, prout magis, vel minus ſiccũ continuatur & vnitur cum humido.

His ita ſuppoſitis eſt etiã ſciendũ, iſtos meatus vel poros, diuerſimode remanere in materia ſecundum varias commixtiones. Quidam enim ſunt admodum anguſti, quidã lati, vt quandoq; etiã ſenſu manifeſte diſcernantur, quandoq; ſunt duri, quandoq; molles, & qui facilè patiũtur, quandoq; ſunt repleti, quan-

doq; vacui,& cũ repleti ſunt materia vel eſt flatuoſa & aerea,vel aquea & craſſa.Cõtingit etiã,vt quandoq;,qui ſunt circa ſuperficiẽ corporis nõ penetrẽt per totũ profundũ, ſed in ſummo tantũ conſiſtãt,quidã vero penetrent. Præterea nõnulli ſũt tortuoſi & per anfractus ſibi inuicẽ ſuccedẽtes. Alij quidã tortuoſi quidẽ ſunt,ſed inuicẽ nõ ſuccedũt,imò ſunt prorſus inordinati & irregulares Et hæc omnia ſunt fundamẽta Ariſtotelis,neq; vel latũ quidẽ vnguẽ à Peripatetica diſciplina recedunt.

Quibus omnibus recte intellectis, dicimus ea, quæ congelantur vel indurantur habere in vniuerſum duplices cauſas. Vel enim hoc accidit propter multum calorem excoquentem & reſoluentem humidum, vt contingit in ſale & nitro, Vnde cùm à calido ſicco indurentur,à frigido & humido colliquantur. Quædam verò indurantur à frigore ſpiritum aëreáſque partes quæ congelari non poſſunt exprimente, ſicut contingit in glacie. Ideo cùm à frigido indurentur, à calido reſoluuntur:quæ verò vtrunque paſſa ſunt, videlicet & reſolutionem humoris à calido, & expreſſionem ſpiritus à frigido, reſolui non poſſunt, neque à calido,neque à frigido,& hoc præcipue apparet in fictilibus, & in lateribus,forſan etiã appareret in ſale & ni-

tro, niſi extrinſecus per latiores poros penetraret humor colliquans. Nam quòd pix & mel indurata per calidum colliquentur, propter aliam rationem non eſt, niſi quia per reſolutionem humoris factam à calore, adhuc tamen tantum eiuſdem humoris ſupereſt, qui congelatur à frigore, vt ſuperueniente calore diſſolui poßit. hæc ſatis de his quæ durari & non durari poſſunt.

Contrario modo liquantur, quæcunque in ſe humorem habent congelatum à frigore, ſuperueniente calore ſoluũtur, vt glacies, vel quæ ſicca quidem ſunt, euaporato humore, vt facta ſit tota ſubſtantia terreſtris, meatus tamen permanſere latiores, & per totum profundum penetrantes, & hæc talia à calido quidem ſolui nõ poſſunt, ſed ab humido poſſunt. Penetrat enim humor per omnes meatus, & ita eo humore aduentitio liquatur, quod prius ſolidum fuerat. Fictilia verò & lateres non liquantur, quoniã meatus in illis ſunt anguſtißimi, neque ſimul continuati, humor ergo intercipitur, vt nullo modo penetrare poſsit. Atq; nihil ſupereſt cauſa, quæ poſsint colliquari, cùm fuerint excocta à calore igneo, & vlterius indurata per frigus.

Madefactibile autẽ ſeu macerabile, quod Græci τεγκτόν vocant, illud eſt, quod vſque ad

ad profundum per ipſos poros humorem recipit, ſicut ſpongia & lana. Non madefactibile oppoſito modo ſe habet, vt lateres. Madefactionis igitur cauſa eſt, pororum amplitudo, multitudo, & profunditas, per quos in tota ſubſtantia humor penetrans rem madefacit. Lateres verò & huiuſmodi talia, non madeſcunt propter cauſas contrarias. habent enim meatus paucos, anguſtos, neque penetrantes.

Ruptile dicimus, quod in duas tantùm partes diuiditur à rũpente, ſicut virga lignea, Frangibile quod ſemper in plures partes quã duas, etiam inuito frangente diuiditur. Rũpuntur igitur quæ meatus habent ordinatos, & vniformes, franguntur quæ oppoſito modo ſe habent. Semper enim fractio fit in ipſis meatibus, & per ipſos. Nam quod verè continuum eſt frangi non poteſt.

Flexile illud eſt, quod ab impellente tam in gibum, quàm in cauum ad circumferentiam deduci poteſt. Cauſa flexionis eſt humiditas multa in mixtione ex aërea & aquea ſubſtantia. Vnde & flexilia viſcida ſunt, vt lignum viride, quod ſi exareſcat rumpitur non flectitur. Exhalauit enim lentus ille humor. Vnde & maior ſiccitas ſuborta eſt, et ampliorũ meatuũ copia. Ideo ad ruptu-

ram, non ad flexionem patet aditus.

Cedens tactui appello quod ἰλαῖόμ Græcè dicitur, quod propelli violenter poteſt, ita vt in ſolido fouea permaneat ſicut in ære. Contingit igitur, quæ ita cædunt, vt ſint in ſubſtantia ſua humidiora, ſed à valido frigore indurata. Vnde etiam à valido calore liquantur, vt æs plumbum. Cedunt igitur percuſsioni ob innatã mollitiem ab humore contractam, ſed violentæ tantùm, propter magnam congelationem indurantem & reſiſtẽtem. Ferrum autem non cedit tactui neque lapis, neque fictilia, aut lateres, quoniam ſicca terreáque ſubſtantia in illis dominatur, reſoluta humiditate à calore. Vnde & nullo modo vel vix vnquam liquari poſſunt. Non igitur tactui cedunt, hoc eſt enim proprium verè duri & terreſtris.

Compreſsile appello, quod ab ampliore dimenſione in anguſtum à comprimente contrahi poteſt, ſicut contingit in lana & ſpongia. Comprimi poſſunt, quæcunque duo in ſe habent, raritatem ſubſtantiæ multitudinémque meatuum & ob plurimã humiditatem aëream, & aqueam optimè commixta cum ſicco, ob hanc rationem cera quidem comprimi non poteſt, licet habeat mixtionem plurimi humoris aërei, & aquei ſimul cũ ſicco

cùm

cùm ſint in illa meatus pauci & anguſti, cuius ſignum eſt, quia non madeſcit. Pumex etiam non comprimitur, quoniam licet habeat meatuũ amplitudinem & multitudinẽ, tamẽ caret humore molliẽte ſiccum terreum. Ideo comprimenti non cædit. Spongia verò & lana, cùm & meatus habeant idoneos, & humores in ſua mixtione copiam comprimi facilè poſſunt.

Sciſsile appellamus, quod ſemper diuiditur vltra illud, quod ſcindens diuidit, ſicut pleráque ligna: hoc contingit in his, quæ habent poros extenſos in longitudinem.

Formabile quod πλαςὸν Græci vocant, dicitur, quod in varias figuras deduci poteſt, ſicut cera, argilla, & huiuſmodi. Cuius affectus cauſa eſt humiditas aërea plurimo cum aqueo & ſicco terreo optimè commixta: talia enim mollia ſunt & viſcida, & in quẽcunque ſitum partibus ſimul continuis permanentibus, facilè deduci poſſunt.

Dilatabilia ſunt, quæ per compreſsionem, vel percuſsionem partibus ſimul manentibus poſſunt in ampliorem ſitum ſecundum latitudinem duci: talia ſunt, in quibus humidum dominatur. Vnde æs & plumbum, & cera & argilla, dilatantur.

Quæ facilè teri poſſunt, vel non poſſunt,

ex ipſo nomine ſtatim patet. Conteri ergo poſſunt, in quibus ſiccitas terrea dominatur. Cũ pororum amplitudine contrario modo ſe habent, quæ teri non poſſunt, vnde qui terere volunt herbas, flores, ligna, & plura alia humidiora prius vel exiccant vel exurunt, vt exhauſta humiditate conteri poſsint. Pumex igitur facilè conteritur, qui ſuapte natura ſiccus eſt, vt paulo ante diximus, lana aut ſpongia teri non poſſunt, niſi comburantur. oſtendimus enim in ſua ſubſtantia vtrámque eſſe humidiorem.

Elixari poſſunt in quibus duo conueniunt, primò vt meatus adſint, in quibus vapor feruentis aquæ per totam ſubſtantiam penetrare poſsit. Secundum vt ſuccum habeant, qui ſit elixabilis & coctilis. Eſt enim elixatio coctionis ſpecies, olera igitur, carnes, legumina, piſces, & reliqua huiuſmodi elixantur, cùm vtrumque habeant, meatus ſcilicet, & ſuccum. Inde eſt quod ſpongia vel lana non elixantur, licet ampliores habeant poros, cùm ſucco careant, qui coqui elixaríque poſsit. Oſſa præterea elixari nequeunt, quamuis in ſe habeãt humorem, qui concoqui poſsit, vt apparet ex eorum alimento, quo nõnulla nutriuntur animalia, ſed elixationem non admittunt propter pororum

an-

anguſtiam. Vnde videmus, quæcunque ſolidiora ſunt, quamuis intrinſecus plurimo ſucco elixabili redundent, difficulter tamen & vix elixari propter meatuum anguſtiã: propterea & aquæ quæ tenuiores ſunt, longe citius & facilius elixant, quam quæ craßiores, quoniam facilius penetrant meatus eorum, quæ elixantur.

Vaporabile eſt quod facile tranſit in vapores. vaporem appello, more Ariſtotelis, ſpiritum humidum à materia calida exhalantem, facile euaporant quæcúmque humida ſunt. Vnde & aqua calefacta tota tranſit in vapores. Lapides propter ſiccitatem nullum, quod ſenſui appareat, vaporem emittunt, propterea & Galenus ſenum corpora minimè vaporabilia, puerorum autem maximè eſſe prodidit, quoniam pueri humidißimæ temperaturæ ſunt, ſenes autem ſiccißimæ.

Cremabile appello, quod ab igne quoquo modo vinci poteſt & in cinerem verti. cremantur igitur quæcúnque terreæ quidẽ ſubſtantiæ ſunt, habent in ſe tamen meatus, qui in ſe recipere poßint penetrantem vim ignis, & præterea in poris habent humorẽ, vt facilè igniri poßint. Quæ vero meatus anguſtiſſimos habent, & præterea intra ipſos poros nullum humorem cremabilem, vix vel

nunquam cremantur ſicut lateres & multa lapidum genera. Sunt enim quidam lapides ampliorum meatuum, in quibus humor cremabilis continetur, qui quamuis à quocunq; igne cremari nequeant, à valido tamen cremantur, vt illi ſunt ex quibus calcem conficiunt.

Inflammabile eſt, quod dum igni admouetur emittit halitum, qui facile in ignem vertitur, ſicut ligna, palea, & huiuſmodi. Nihil enim aliud flamma eſt quàm halitus ille inflammatus. Sunt igitur quædam quæ cremantur, ſed non inflammantur vt omnia ferè metallica, quædam verò antequam crementur, prius inflammãtur, quædam inflammantur non cremantur, vt oleum & pinguedo, quædam neq; inflammantur, neq; cremãtur, ſed tantùm per vaporem abſumuntur vt aqua. Cauſa omnium eſt quoniam quæ vruntur vel inflammãtur, illa omnia terreſtria ſunt, licet neceſſariò in ſe habeant humorem aëreum inflammabilem vel cremabilẽ. Quæ igitur parum habent de ipſa terra, plurimum da aëre & aqua illa inflammãtur, non cremantur, quæ vero nec terram nec aërem in ſe continent, nec cremari, nec inflammari poſſunt, vt aqua & vina admodũ aquoſa. nam quæ valida ſunt inflammantur tanquam oleum

oleum.

Suffumigabile appello, ex quo per agentem calorem poteſt halitus odorabilis elici. talia ſunt, quæ in ſe habent partes ſiccas terreas, in humido optimè attenuatas, à calore, & quaſi ad igneam ſubſtantiam redactas, quæ facilè exhalant ob aëris vel ignis calore, vnde odor percipitur. Eſt enim ille halitus proximum ſubiectum odoris vt Ariſtoteles prodidit: eſtq́; hic odor vel gratus vel ingratus, prout humanæ temperaturæ in ſua ſubſtantia conuenit vel non conuenit.

De his autem differentiis, quæ tanquam habitus ſunt materiæ ſicut diximus eadem ferè ratio eſt. Ad eadem enim prorſus principia rediguntur. Nam quod leue eſt in ſe plus habet elementorũ quæ leuia ſunt, quod graue oppoſito modo ſe habet. Sũt tamen nõnulla leuia, & tamen terreſtria, propter raritatem ſubſtantiæ & multitudinẽ aëris, quo replentur ampliſſimi meatus, vnde leuitas acquiritur, vt pumex. ideo ſi conteratur minutiſſimè, ſeipſo grauior efficitur, exprimitur enim aër qui erat cauſa leuitatis, & eadem ferè ratio eſt de raro & denſo.

Durum autem dicitur quod vel terreſtre eſt vel congelatum vel plenum: ſicut vtrem durum dicimus cum plenus eſt, & eundem

quoque mollem quando eſt vacuus : Molle *quod habet cauſas oppoſitas.*

Lenitatis cauſa eſt multitudo aqueæ vel aëreæ ſubſtantiæ, omnino enim humor cauſa eſt optimæ commixtionis, & æqualitatis & quocunque ducit & digerit ſiccum. Vnde ſequitur ſuperficies plana & leuis, eorum in quibus humor dominatur. Contrà aſperitas ſequitur ſiccitatem. ſiccum enim ſine humido, neque bene miſcetur, neque terminatur, neque digeritur. Ergo in tali mixtione propter inæqualitatem, neceſſarium eſt quaſdam partes in ſuperficie corporis eminere, quaſdam deprimi, & hoc aſperitatem vocamus.

Viſcida ſunt in quibus aër & aqua in mixtione dominantur. pingue enim & viſcidum omnino fiunt ex aëris mixtione cum humido aqueo. propterea & aqua, vbi putreſcit, vel ei admiſceatur aliquid olei, vel pinguedinis, plurimas eleuat ampullas, neque facilè diſrumpitur, quoniam viſciditatem acquiſiuit, quæ facit partem tenaciter adhærere parti, hoc enim proprium viſciditatis eſt. Scimus autem ea, quæ putreſcunt redundare ſpiritu flatuoſo & aëreo, quoniam à calore extraneo attenuatur humidum rei putreſcentis & in ſpiritum vertitur, vnde viſciditas generatur.

Friabile

Friabile verò eſt quod minimum habet de aëre. Nam & aqua, & terra facilè diuiſibilia ſunt, propterea lutum, quod ex terra & aqua conficitur, facilè in quacunq; parte ſeparatur. Male enim continuatur aqua cum ſicco, niſi aëris ſpiritus ſubintret & penetret, & optimam commixtionem efficiat ſicut patet in pinguibus & viſcidis. hac ratione argilla, quamuis luti quædam ſpecies ſit, viſcida tamen eſt, neque facile diuiſibilis, quoniam in ſe plurimum ſpiritum continet aëreum.

De vacuo & pleno facilè vnuſquiſq; perpendit, illud vacuum dici, quod in ſe non cõtinet, quod aptum eſt continere, ſicut vini vacuum dolium dicimus vino exhauſto. Contrario modo plenum dicimus, quod habet in ſe vel quod habere naturaliter debet, vel quod præter naturam ingeritur. Neque enim dolium vini continendi gratia confectum, vacuum propterea diceretur, ſi vino exhauſto, lana aut frumento, aut tali aliquo repleretur.

Craſſum dicimus, quod non facilè penetrat intra poros corporis alicuius, ſicut quæ ſunt ſubſtantiæ terreſtris. Tenue vero quod facilè penetrat, & talia maximè ſunt, in quorum mixtione ſubſtantia aërea vel ignea dominatur.

Explicatis his, quæ ad materiam medicamentorum attinent, modò dicendum ſupereſt de differentiis quæ formam conſequuntur, ſi prius admonuerimus auditores, formam apud medicos, qualis fuit Hippocrates & Gal. intelligi non ſub vniuerſali quadam & confuſa notione, vt philoſophi faciunt dicentes: formam eſſe vel actum primum, vel entelechiam, vel perfectionem rei, vel cauſam eſſendi, vel quæ continet materiam, & talia innumera. hæ enim omnes notiones ad certam doctrinam nihil conferunt, & ad operandi artem omnino ſunt ſuperuacuæ & vanæ.

Dicemus igitur cum Galeno & Hippocrate, formam eſſe ipſam temperaturam, vel harmoniam quæ ex mixtione quatuor primorum corporum in ſingulis quibuſq; compoſitis, ad certos actus & vſus, cum quadã æqualitate iuſticiæ, à formante virtute perficitur, quæ intra materiam naturaliter continetur. Sed de his alibi diffuſius diſputauimus, vbi locus magis fuerat oportunus.

Supponamus igitur nunc temperaturam formam eſſe ſubſtantialem vniuſcuiuſque mixti. Nam ex hoc ſuppoſito, tanquam medici omnia cõſequenter dicemus, & ex principio bene & ſecundum rationem fundato, ſuccedent reliqua omnia ſibi inuicẽ certo or-

dine correſpondentia. Ergo cū forma medicamentorum ſicut reliquorum omnium mixtorum ſit ipſa temperatura, differentiæ formarum variorum medicamentorum, ſumentur penes dominium vel æqualitatē primarum qualitatum, ex quarum proportione reſultat temperatura: non quidem, quòd intelligamus temperaturam eſſe ipſas qualitates, ſed quòd in ſingulis temperaturis in actione vel paſsione mixtorum apparet actus alicuius qualitatis magis & minus ſecundū variam mixtionē. Quando igitur dicimus temperaturam calidam vel frigidam, non intelligemus propterea formam calidam eſſe vel frigidam, ſed in actionibus, vel paſſionibus corporum temperatorum eminere magis vigorem caliditatis aut frigiditatis.

Medicinarum igitur quædam ſunt eo modo temperatæ, vt ſi corpori humano bene tēperato applicentur, nullo exceſſu alterent ipſum corpus, ſiue ad calidū ſiue frigidum, ſiue ad humidum vel ſiccum. Tales medicinæ ἔυκρατοι à Græcis, à noſtris temperatæ & æquales dicuntur.

Aliæ ſunt quæ per calidum à temperamento recedunt, aliæ per frigidum, aliæ per humidum, aliæ per ſiccum, & hi ſunt ſimplices exceſſus. Compoſiti verò ſunt, vbi exce-

dit caliditas ſimul & humiditas, vel caliditas et ſiccitas, vel frigiditas et humiditas, vel frigiditas et ſiccitas. Atq; ita æqualis erit tẽperaturarum numerus in medicinis & in humanis corporibus. Oſtenſum enim eſt & in prima parte huius primi libri, & in primo de temperaturis apud Galenum, totidem eſſe temperaturas humani corporis ſine defluxu materiæ exiſtentes: vnam ſcilicet æqualem, & octo inæquales, quarum quatuor ſimplices ſunt, quatuor compoſitæ. Aduertendũ tamen eſt, medicinas non eodẽ modo apud Medicos dici calidas, frigidas, humidas, ſiccas, ſicut corpora talia dicuntur. Humanum enim corpus actu calidum, frigidum, humidum & ſiccum eſt, ideo & primo occurſu tactus percipitur ſtatim qualitas, quæ in ipſo dominatur. Medicamenta vero nullam habent huiuſmodi qualitatem in actu, ſed potentia tantum, ideo nullam alterationem in humano corpore imprimunt, niſi prius ab ipſo calore naturali eiuſdem corporis ad actum ducãtur. hinc ſæpe occurret hominum tactui medicina, cui feruidus ineſt calor, quæ tamen feruida percipitur ſicut piper, ſed ſi poſtea ita vel interius vel exterius corpori applicetur, vt calor innatus poſſit in ipſum agere, tunc facile percipietur exuberantia caloris. quomodo

modo autem ad actum ducantur, & vtrum æqualiter omnia tam calida quàm frigida humida & ſicca, ſunt quæſtiones alibi à nobis exquiſitiſsimè diſputatæ.

His ita declaratis progreſſus noſter erit talis, vt de æquali tantum temperie & de ſimplicibus exceßibus ſimus loquuturi. facile enim qui ingenioſus eſt, & bene verſatus in his, quæ iam in prima parte huius primi libri exquiſite docuimus, poterit ex ſimplicibus illis vim quoque compoſitorum cognoſcere.

Medicinam igitur temperatam humani corporis reſpectu, vocamus, quæ cùm corpori adhibetur temperato, nullũ in ipſo facit exceſſum alicuius qualitatis, & in hac nullus aſsignatur gradus ſenſibilis ab ipſis medicis. Nemo enim dicit medicinam æqualem in primo, ſecundo, aut tertio gradu. Nam illud quod æquale eſt & perfectum, vnum & ſimplex eſt, quod verò inæquale multiplex. Nullus igitur alius actus ab hac medicina prouenit, niſi quòd conſeruat humanum corpus in eo ſtatu, quem reperit. Quæ verò excedunt, ſemper alterant ad eam qualitatem, in qua eſt exceſſus ſecundum varios qualitatis gradus. Incipiamus ergo primò à calida medicina, deinde progrediemur ad reliquas.

Calida medicina ſemper calefacit, iſte enim actus proprius & inſeparabilis eſt. Varij tamen ſunt gradus calefaciendi ſecũdum gradus exceſſuum in temperatura repertos. Galenus autem primus fuit iſtorum graduum autor & obſeruator, & quatuor nobis propoſuit, quem nunc imitantes dicimus. Medicinam calidã in primo gradu vim habere augendi calorem innatũ, & non igneum. Vnde ſequuntur concoctiones, maturationes & reliquæ naturalium facultatum actiones. At quæ ad ſecundum gradum accedunt, iam alicuius ignei caloris participes ſunt. Vnde vim habent attenuandi, rarefaciendi & aperiendi meatus. Calidæ ad tertium gradũ exiccãt, ſitim excitant, incidunt, attrahunt, inflammant, corpúſque tabefaciunt & colliquant. At quarto gradu calefacientia, veſicas inducunt, rubificant, comburunt, mortificant & extinguunt.

Porro frigidæ medicinæ ſicut & de calidis diximus proprium inſeparabilemq; actũ habent, vt ſemper refrigerent, vario tamen modo ſecundum varios frigiditatis gradus. nam quæ in primo gradu ſunt frigidæ, calorem innatum refrigerant, ita vt coctiones & maturationes proprium finem exactè non attingant. Sed quæ ad ſecundum acceſſerint, præ-

ter

ter nocumenta quæ diximus, craſſefaciunt, calorem naturalem manifeſtè obtundunt, vnde crudorum humorum multitudo generatur. Quæ verò in tertio gradu frigefaciunt, aſtringunt intrinſecos corporis meatus, ſuccum exprimunt naturalem, diſtributiones prohibent, ſtupefaciunt ſenſus, plumbeum colorem inducunt. At quæ ad quartum gradum acceſſerint, congelant, calorem naturalem extinguunt, & tanquam venena interficiunt.

Medicinæ *humidæ ſemper & ipſæ humefaciunt, in quocunque gradu fuerint.* Sed *quæ in primo ſunt leniunt & lubricant. Quæ in ſecundo, humores acres obtundunt, craßioréſque reddunt, naturalium membrorum tonum imbecilliorem reddunt.* Humida *in tertio gradu, nō relaxant tantùm ſed languidum reddunt.* Vnde *aßiduæ nauſeæ & vomitus, fluores alui, lienteriæ, corpus totum pigrum et torpidum efficiunt, motúſque omnes & actiones manifeſtißimè obtundunt. At quæ ad quartum acceſſerint, planè ſuffocant calorem innatum, vt aqua ignem extinguit, quæ omnino ſunt venena.*

Siccæ *medicinæ ſemper in quocunque gradu & ipſæ exiccant, ſed quæ in primo tantùm gradu hoc efficiunt, reddunt corpora & membra validiora, ſenſúſque vegetiores.*

Quæ in ſecundo gradu ſunt, iam manifeſte aſtringunt & veluti ligant, quale ligamentum ipſo guſtu in acerbis deprehẽdimus. Siccæ in tertio, meatus omnes anguſtiores reddunt, humorum tranſitus intercipiunt, omnes naturæ expulſiones impediunt, ſuccum è corpore exprimunt & tabem inducunt. At quæ ad quartum perueniunt, ſuffocant, ſpiritúſq; intercipiunt, & mortem inducunt. Tales igitur ſunt effectus omnium medicinarum, qui per primas qualitates ſecundũ omnes gradus à medicis obſeruatos in humanis corporibus imprimuntur, quibus recte intellectis, haud ægre poterit etiam mediocris ingenii vir, iudicare de compoſitis, videlicet quos effectus producat medicina, quæ pariter calida ſit & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida, & ſicca.

Ad alia igitur tranſeundũ eſt, ſi vnũ adhuc prius admouero videlicet ſemper, ſeruata tamẽ paritate, maius nocumẽtũ ſequi à frigidis quàm à calidis, & ſiccis, quàm ab humidis. deterrimæ enim qualitates, & quæ tota regione corporibus animalium opponuntur frigiditas eſt & ſiccitas. Notum eſt enim omnibus in calido & humido vitam conſiſtere.

PARS SECVNDA.

DE COGNOSCENDIS MEDICAMENTIS TAM EX PARTE FORMÆ QUÀM EX PARTE MATERIÆ.

His determinatis non adhuc tamen acquieſcit intellectus medici, qui omnes ſuas ſpeculationes ad actiones futuras dirigit: quamuis enim eſſe di dicerit differentias omnes, quæ tam materiã, quàm formam conſequuntur, nihil tamen ibi actum videbitur, niſi diſcat quoque quibus argumentis ſingulæ quæque earum differentiarum deprehendi poſſint.

Dicimus igitur artem medicam in hoc eſſe ſatis certam & perſpicacem. Non enim incertis quibuſdam coniecturis & argumẽtis procedit, ſed ſenſibus rem attingit, vtiturque præcipue quatuor ſenſuum iudicio, tactu guſtu viſu & odoratu, quãuis non his omnibus æqualiter. Exactè enim iudicat medicinarum eſſentiã tactu, & guſtu, in aliis verò duobus ſenſibus rationali coniectura progreditur.

Per tactum igitur quonam modo ſingula quæque medicinæ ſint experiendæ, exquiſitè docet Galenus *in libris de ſimplicibus medicamentis, ideo neque in hac parte multùm immorabor, ne fruſtra ſit hic mihi ſuſceptus labor. Cùm nihil dicturus ſim, quod apud Galenum doctius & ornatius legi non poßit, vnum tantùm hic admonebo eos, qui in hac arte, adhuc rudiores ſunt, cùm ad experienda medicamenta per tactum acceſſerint, non expectandum eſſe primo ſtatim occurſu ſenſum qualitatis, quæ in medicina dominatur. Non enim ea qualitas actu eſt, vt ſuprà docuimus, ſed potentia tãtum. oportet igitur prius vt ad actum ducatur, ſi modo facultas eius percipi debeat. hoc autem intelligi oportet de qualitatibus ſenſu percipiendis, quæ conſequuntur formam, non quæ materiam: de his enim paulò poſt dicemus.*

Qui ergo experiri voluerit medicinam vel calidam vel frigidam, prius oportet corpori applicare, deinde tam diu immorari, donec calor naturalis illam ad actum deduxerit, & tunc apparebit ſenſu, quid ſit iudicãdũ, nam ſi piper quoque & euphorbium, quæ feruentiſsima ſunt, corpori admoueantur, nullũ prorſus caliditatis ſenſum afferunt, niſi prius ad actum ducantur. neque ignorare debemus,

medi-

medicamenta omnia primi gradus ſiue calida, ſiue frigida fuerint ſenſu ſolo non percipi, niſi adiuncta ratione & tēporis prolixitate. Non enim ab his, quæ in primo tātum gradu qualitatē aliquam habent ſenſibilis prouenit affectus, niſi ſæpius & in magna etiam quātitate offeratur. Ergo ſi quis exempli gratia, ptiſanam ſumpſerit quæ frigida & humida eſt circa primum gradum, frigiditatem eius non prius percipiet, quàm obſeruando eius impreſſionem, longo vſu & tempore inuectam.

Habitus autem qui materiam conſequuntur, alio modo tactu percipiuntur, quàm formales qualitates, illæ enim vt diximus, potentia non actu ſunt. iſti autem habitus ſunt actu tales. quemadmodum igitur caliditas ignis & frigiditas niuis ſtatim primo occurſu percipiuntur, cùm ſint in actu, ita & materiales habitus eodem prorſus modo, primo ſtatim occurſu dinoſcuntur. Nemo enim eſt qui ſi rem aſperam vel lenem, vel duram, aut mollem, & reliqua eiuſdem ordinis tetigerit, qui illico non depræhendat talem eſſe vel talem.

Hactenus de dinoſcendis medicamentorum qualitatibus ab inſtrumento tactus, nunc quomodo ſapore quoque diſcernantur dicendum

ſupereſt. Quamuis Galenus de hoc quoque copioſè diſſeruerit, nihilominus nos quæ ſparſim ab eo dicuntur, in vnum certum ordinem colligemus, multa etiam addemus, quæ ab eo vel omnino prætermiſſa, vel adeo obſcurè explicata ſunt, inde initium tanquã ex ſuppoſito capientes. ſaporem, ſicut etiam diximus vbi de elemẽtis loqueremur, eſſe maximè annexum ſubſtantiæ mixtorum, tanquam qui ex iiſdem principiis oriatur. Nam cùm omnia mixta in ſpeciem propriam deueniãt, ex certa quadã proportione calidi, frigidi, humidi, & ſicci, ita etiam ſapor ex humido prouenit admixto cum ſicco, per actionem caloris, vnde & ipſa natura guſtandi ſenſum ſimul cũ tactu dedit omnibus animalibus, vt per vtrũque diſcernerẽt quæ illis cõuenirẽt, aut nõ cõuenirẽt. iucũdus enim omnino & tactus & guſtus eſt eorum omnium, quæ tangenti, vel guſtanti ſecundum ſubſtantiam conueniunt: quæ vero non conueniunt, illa omnia ingrata, iniucundáque ſunt. Eſt enim voluptas eorum quæ ſingulorum naturis aſſimilantur, dolor vero oppoſitorum.

Ergo quæcunque homini in guſtu grata, & iucunda occurrunt, illa omnia ipſius naturæ conueniunt & aſſimilantur: quæ vero talia ſunt, dulcia ab omnibus appellari conſueuerunt,

ſueuerunt. Non enim dulce tantùm intelligimus, quod habet huius ſaporis exuberantiam, ſicut videmus in ſacharo & melle, ſed etiam dulce vocamus quodcunque guſtum naturaliter ſe habentem delectat, vnde & vinoſa & pinguia dulcia vocari mos eſt. Imo & quoddam dulce eſt, quod tamen proprio nomine exprimi nequit, ſicut ſapor ille, qui in pane aut chondro & ſimilibus inuenitur: quia & aqua quæ alioquin inſipida eſt dulcis tamen vulgo appellatur, quoniam ſcilicet nullum ſenſum moleſtum guſtanti afferat.

Cùm ergo dulcia hæc omnia eſſe intelligantur, ac conſequenter varij ſint dulcedinis gradus, ſub hac tamen comuni notione contenti, quod gratè ſine aliqua moleſta alteratione, guſtantibus occurrant, ſtatuemus ſaporem hunc dulcem tanquam temperatum, inter duos receſſus medium, reſpectu ſuorum extremorum vtrinque poſitorum. Et cùm nos dicamus ſaporem dulcem medium eſſe & temperatiſſimum inter reliquos, non propterea contradicimus Ariſtoteli, qui dulce & amarum in duobus extremis locauit. Neque etiam Ariſtoteles Galeno contradicit. Cũ Galenus opinetur, acerbum & acre tota regione aduerſari, Cùm enim nos dicimus dul

tem ſaporem medium eſſe inter extremos, ſaporis notionem ſumimus, penes conuenientiam ſubſtantiæ, quam habet ſapidum cum guſtante: & cùm ſola dulcia vt oſtẽdimus, talem habeant conuenientiam, & alij omnes ſapores aliquo pacto magis aut minus aduerſentur, ideo medium & temperatum vocamus qui conueniunt, exuberãtes verò & à naturali ſtatu recedentes, qui nõ conueniunt. Ariſtoteles autem cùm duo poſuerit extrema, dulce & amarum, conſiderauit ſolùm ſaporum eſſentiam, penes ſentientis voluptatem & dolorem, & cùm maximè delectet dulce, maximè moleſtiam inferat amarum, & maxima voluptas maximæ moleſtiæ aduerſetur, ideo dulcedinem & amaritudinem contrarios ſapores conſtituit. Galenus autem qui conſiderationem de ſaporibus, non propter ipſos ſapores, ſed propter vſum artis aggreſſus eſt, contrarietatem ſummam poſuit inter duo, quorum alterum maximè aſtringit linguam, alterum maximè dilatat: talia autem ſunt ſapor acris & acerbus, quemadmodum infrà melius apparebit. Nulla igitur diſcrepantia eſt, ſi res rectè audiatur, neque inter Ariſtotelem & Galenum, neque inter me & vtrumque eorum. ſtatuemus ergo dulcedinem omnium ſaporum mediam,

diam, ad quam referãtur & comparentur reliqui, non aliter quàm in humanis corporibus, ad æqualem temperaturam exceſſus omnes, tanquam ad regulam quandam à medicis referuntur.

Sed vnde nam ſumentur ſaporum exceſſus? Non ab alia re profectò quàm à proprijs immediatiſque cauſis ſingulorum. At vbi de alimentis loquebamur, oſtendimus ſapores fieri à varia mixtione humidi & ſicci per diuerſam actionem calidi & frigidi, & cùm à calido coctiones omnes proueniant, à frigido cruditates, incipiamus à ſaporibus qui in mixtis corporibus reſultant, vbi frigiditas ſuperat caliditatem. Superare igitur poterit, vel vbi in ſubiecto ſiccum terreum dominatur, vel vbi humidum aqueũ. ſi ergo terreſtris ſubſtantia dominetur, & actio caliditatis nõ potuerit conficere & attenuare ſiccum, & bene commiſcere cum humido, tanquam à frigiditatis exceſſu impedita, tunc vt par eſt in eo mixto vires terræ dominantur. terra autem tendit ad centrum, & ſua frigiditate aſtringit & conſtipat. Ergo vbi talis ſubſtantia terreſtris acceſſerit, parum deuicta à calore, ſequetur ſapor in mixto aſtringens, conſtipans, & ad centrum linguæ humorem impingens, taliſque ſapor à Græcis ϛρύφνος

à noſtris acerbus vocatur.

Si verò frigiditas non ad ſummum exceſſerit, ſed aliqua quoque virtus caloris, licet obſcura, in mixtione apparuerit, quæ ſecum parum aliquid humoris attraxerit, & cum ſicco terreo, quodam tenus attenuato permiſcuerit, non ea vis aſtrictionis & conſtipationis guſtāti apparebit, ſed tāto remiſsior, quāto & plus caloris & humoris concocti inuenietur in mixto, ſapor igitur huius ſubſtantiæ abſoluté à Græcis συπτικὸς *à noſtris auſterus vocatur.*

At ſi ſubiecta materia plus habuerit humoris, quàm terreæ ſubſtantiæ, calórque inceperit quidem in humore coctionem, quæ ad perfectam mixtionem dirigebatur, ſed longè prius defecerit & exhalauerit, quàm terminum aſſequi potuerit, & eo exhalato frigiditas tanquam victrix in humore permanſerit, tunc in ea mixtione ſequetur ſapor, qui ὀξὺς *à Græcis, à noſtris acidus appellatur, & cùm ea ſubſtantia ob humoris redundantiam ſubtilis ſit, penetrat ad profundum, neque in ſuperficie ſiſtitur exiccans & exaſperans, quemadmodum terreſtris illa, in qua ſiccum terreum diximus dominari. Et cū in humore egerit calor, qui poſtea exhalauerit reliquerítque caliditatis veſtigia, ſubtiliorúmq; partium*

um

um aduſtionem, ideo quæ acida ſunt non tantum penetrant ad profundum ſed etiam mordicant & abſtergunt. Oſtendemus enim abſtergentia & mordicantia oportere huiuſmodi eſſe ſubſtantiæ. Et hi tres ſunt ſapores qui à medio temperato recedunt per frigiditatis & cruditatis exceſſum, quorum duo acerbus in quã & auſterus in terrea craſſáque ſubſtãtia fundantur, tertius id eſt acidus in humida, quæ à calore, qui poſtea exhalauit, mediocriter fuerit attenuata. & hæc de ſaporibus qui in mixtis ob frigiditatis exceſſum emergunt.

Nunc modò de his agendum, qui ob caloris dominium generantur. vbi hoc vnum præmitti debet, quod prius explicatum fuit, & nunc tanquam ſuppoſito vtemur, Dulcedinem fieri propter calorem temperatum, optime commiſcentem humidum cum ſicco & cùm huiuſmodi calor remittitur, ſecundum remiſsionis gradum, tendere primò ad obtuſam dulcedinem, deinde ad inſipiditatem, vltra quam, iam poſtea dominante frigiditate emergunt ſapores frigidi, de quibus ſupra ſatis diſſeruimus. Quanto verò caliditas magis intenditur, ſecundum gradũ intẽſionis, primò fit exuberãtia quædã dulcedinis, vt in ſacchare apparet, deinde, ſi adhuc

magis intenditur, exuberat quidē & ibi dulcedo, ſed non ſimplex, imò aliis admixta ſaporibus, ſicut in melle deprehendimus, qui non ſummam tantùm dulcedinem, ſed acrimoniā quoque manifeſtè præ ſe fert.

At ſi calor hos terminos exceſſerit, conſiderare oportet, quodnam ſubiectum nanciſcatur, ſi enim ſiccum terreum fuerit, quod caloris redundantia aduſſerit & attenuauerit, neceſſariò fit ſubſtantia terreſtris in eo mixto ſiccior & tenuior, & magis penetrās ad profundum. Sapor igitur inde reſultans primò fit ſalſus, deinde amarus. ſalſedo enim aliquod adhuc humiditatis veſtigium ſeruat, quæ cōcocta ſit & humanæ tēperaturæ familiaris. vnde & ſalſedo in omnibus ferè animalibus guſtū acuit & delectat. At vbi tota penè humiditas nimia caloris vi exhauſta fuerit, tūc ſapor ingratiſsimus redditur qui amarus vocatur. ideo amara, quatenus amara ſunt, nullum animal nutriunt. Nulla enim ſupereſt humiditas, vnde alimenti ſuccus elici poſsit. At ſi ſubiectū in quo validus calor & igneus ad mixtionem agat, humorem ſatis inſignem habuerit cum ſucco terreo admixtum, attenuetúrque vi caloris & efferueſcat tam humida pars, quàm ſicca tunc ex huiuſmodi commixtione & temperatura reſultat ſapor, quem

δριμὺν

δριμὺν Græci, nos acrẽ vocamus penetrat ſub
ſtãtia huius ſapores vſq; ad profundũ linguæ
tenuitatis ratione, deinde ſuo feruore dilatat,
exiccat, & tanquam vrit, magis tamen &
minus, pro vt ſunt varij gradus caloris. Erũt
igitur omnino ſeptem ſaporum genera, quo-
rum tres ob acceſſum frigiditatis in mixtione
contingunt, acerbus inquam, auſterus & a-
cidus. Tres alij contra ob caloris redundãtiã,
ſalſus, amarus, acris, medius inter hos omnes,
ob temperatum calorem eſt dulcis, in quo mul
ti occurrunt gradus in intenſione & remiſ-
ſione ſecundum varietatem caloris. quæ enim
ad ſummum coctionis deuenerunt, illa ſum-
ma etiam dulcedine excellunt: quanto verò
ab hac coctionis ſuauitate receſſerint, tanto
etiam dulcedinem remittunt, donec ad ma-
nifeſtam inſipiditatem deuenerint, in qua ne-
que caloris vis neque frigoris aperte monſtra-
tur, intelligo neque caloris neque frigoris vim
in inſipidis eſſe manifeſtam, reſpectu coctio-
nis & mixtionis, non reſpectu alterationis,
quam in corporibus animalium imprimunt.
inſipida enim pene omnia in relatione ad
corpus humanum temperatum, frigida ſunt,
tales gradus dulcedinis reperiuntur in ſan-
guine adipe & pituita. Sanguis enim quan-
to melior, purior, & magis concoctus, tanto

dulcior. Adeps verò qui ab ea coctione ſanguinis receſſit, tanto minus ſanguine dulcis eſt, quanto etiam minus calidus, donec tandem ad pituitam naturalem deueniatur, quæ propter minimam coctionem inſipida permanſit, in qua ſi poſtea calor extraneus aliquid egerit, ſecundum varios effectus ipſius, quos ſuprà nominauimus, modo acida redditur, modo ſalſa, modo etiam amara.

Et ex his omnibus ſatis apparet his, qui in diſcurſibus ſunt exercitati, ſolum ſaporem dulcem temperatum eſſe, atque ab optima coctione procedere, & terminatione humidi cum ſicco. Vnde eſſe etiam corpori humano familiariſſimum, quoniam inter reliqua omnia animalium corpora, temperatiſſimum eſt. Cæteros verò ſapores omnes, eidem corpori humano ſecundum naturam habentur, ingratos inſuaueſque eſſe, modicúmque alimenti ſuccum ex illis ab innato calore elici poſſe, & illum quoque modicum, malum, naturæque humanæ parum idoneum, pro medicamento tamen vbi diſpoſitiones fuerint præter naturam, frequentiſſime ſinguli quique vtiliter adhibentur. & hæc ſatis de ſaporibus, qui temperaturam medicamentorum alimentorúmque immediate conſequuntur.

Quan-

Quantum verò ad odores attinet, forte non minus quoque ex illis ſingulæ quoque temperaturæ intelligi poſſent. odor enim temperaturam eadem rationis proportione conſequitur ſicut etiam ſapor. Nam quemadmodum ſapor fit, per humidum alteratum per ſiccum, ita odor fit per ſiccum terreum attenuatum à calore & euaporatum ab humido. Sed quoniam non ita ſe habet humana natura ad ſenſum odoris quemadmodum ad ſenſum tactus & guſtus, qui etiam quidam tactus eſt (imperfectiſſime enim inter omnia animalia odorum differentias percipit, ita vt duas tantum ſub communi notione grati & ingrati comprehendat) propterea non poſſumus ex ipſis odoribus in rerum temperatura aliquid certi elicere. Quod manifeſtiſſimè ita eſſe indicatur exẽplo roſæ. quãdo enim ex roſa odorẽ iucũdũ percipimus, illud tãtũ cognoſcimus, vaporẽ inde efflari optime attenuatũ & excoctũ, ſed quid poſtea ſit in reliqua roſæ ſubſtãtia, nõ deprehẽdimus, at ſi eandẽ roſam guſtauerimus propter exquiſitiſſimũ guſtãdi ſenſum, nobis naturaliter inſitũ facilè diſcernimus, in ea eſſe amaritudinẽ, dulcedinem, & quãdã auſteritatẽ, & ex his tribus diuerſis ſaporibus colligimus, in roſa diuerſitatẽ eſſe ſubſtãtiæ, neq; in ſingulis eius partibus eãdẽ eſſe

temperaturam, quo exemplo relinquitur manifeſte, cognitionem mixtorum quæ ex odore habetur eſſe valde imperfectam, exactiſſimam verò quæ ex ſaporibus.

At ex calore minimū eſt quod haberi poſſit, ex eo enim diſpoſitio tantum apparet, quæ in ſuperficie mixtorum eminet, ad interiorem verò ſubſtantiam nullo modo per caloris aſpectum poſſumus penetrare, nihilominus quamuis eſſentia temperaturæ obſcuriſſime deprehendatur ex colore & odore, nihilominus plurimum nobis conferunt, in diſcernendis naturalibus & non naturalibus diſpoſitionibus, quæ in ſingulo quoque reperiuntur. Nam & in humanis corporibus tam naturales quam præternaturales habitus, & affectus tum ex calore tum ex odore, non parum diſcernuntur, in medicamentis etiam & alimentis dinoſcendis. Vtrum ſecundum naturam an præter naturam ſe habēt, quotidiana experientia probamus, quāplurimum nos iuuari tum ab odore tum à colore. Et hæc ſatis de his quæ ad eſſentiam medicamentorum attinent, nunc modo ad certas eorum actiones accedendum eſt, vbi videbimus quātum referat cognitio eſſentiæ ſingulorū, quæ maximè per ſapores dinoſcitur. Sed prius remouenda eſt, non contemnen-

da dubitatio quæ emergit ab his quæ paulo ante aſſeruimus. Si enim verum eſt dulcem ſaporem, & iucundum odorem indicare conuenientiam, naturæq̃ue familiaritatem, quæ eſt inter ſenſum & ſenſibile, tunc reddenda ratio eſt, quare multa quæ corpori humano applicantur, guſtu quidem & odore iucunda, ſed adeo aduerſa & inimica, vt non tantum lædant, verum etiam interficiant. huius rei locuples teſtis eſt Theophraſtus 9. de plantarum hiſtoria, qui plures tum herbas, tum radices commemorat guſtu & odore iucundas, quæ tamen interficiunt. Non igitur videtur certam capi poſſe coniecturam familiaritatis cum corpore humano, vel medicinæ, vel alimẽti quemadmodum ſupponebamus.

Sunt nonnulli qui hanc difficultatem ſoluere conati dicant, alimenta & medicinas perpendi vel à tota ſubſtantia, vel à qualitatibus. quædam enim ſunt quæ manifeſtis qualitatibus alterant, calefaciendo frigefaciendo, exiccando, & reliquis ſimilibus, quædam verò tota ſubſtantia agere videntur vt ſcammonium bilem trahens. Imò & venena ſub hoc eodem cenſu ſunt: quædam enim manifeſtis qualitatibus interficiunt, vt opium & cicuta, quædam à tota ſubſtantia vt aconitum & viperæ virus.

Sed qui ita ambiguitatem ſoluunt, principium petere videntur. Nam *ſi tota eſſentia cõſtat ex materia & forma, & forma ſupponatur ex* Hippocrate *&* Galeno*, nihil aliud eſſe quàm temperatura, temperaturæque diſtinguantur & denominentur per calidum, frigidum humidum & ſiccum, & hæc omnia ſecundum varios ſuos exceſſus, per ſapores indicentur, in idem omnino retorquebimur.* Nam *quamuis à tota ſubſtãtia aliquid operetur, apparebit tamen operatio ſecundum determinatum gradum temperaturæ. ſupponitur enim forma ſubſtantialis eſſe & illud, quod eſt cauſa eſſendi.* Sed *cum ſapores immediate ſequantur varios gradus temperaturæ, vt etiam declaratum fuit, concluditur neceſſario, ſemper à ſaporibus iudicari cõuenientiam & inimicitiam ſingulorum, ſiue à tota ſubſtantia agant, ſiue à qualitatibus manifeſtis.*

Vnde omiſſa hac ſolutione dixerunt alij in quolibet mixto, quamuis vnius ſimplicis ſubſtantiæ vel formæ eſſe appareat, plerunque tamen inueniri diuerſas partes, non diſſimilis tantum naturæ, ſed etiam contrariæ, vt oſtendit Galenus *in roſa, caulibus, lentibus, abſinthio, & quam plurimis aliis, ſed maxime hoc deprehẽdimus in coriando cuius*

folia virentia & flores fœtidiſſimi odoris ſunt,& plane venenum:ſemina verò exiccata,guſtu & odore iucunda. Aiunt qui in extremas occidentalis Indiæ regiones nauigant,nuper repertas,radicem ibi frequentiſſimam eſſe cuius ſuccus præſentaneum eſt venenum,ſolidum vero eiuſdem corpus, vitæ humanæ ſaluberrimum , ex eóque vulgo confici panem optimum,

Quæ cum ita ſint,non videtur illis mirum ſi aliquod ſit venenum,quod tamen & guſtanti & odoranti iucundum appareat :hoc enim eſſe affirmant propter partium diſſimilium naturam:aliam enim partẽ eſſe quæ iucunda percipitur,aliam quæ interficit.

Quod quidem nos quoque ita eſſe non negamus.fatemur enim reperiri plerunque in mixto,partium diuerſitatem & contrarietatem, quotidiano tamen vſu deprehendimus illas facile guſtu diſcerni.ſi quis enim roſam guſtauerit,in ea plane diſtinguit amaritudinem,dulcedinem,& auſteritatem . Agaricus etiam primo guſtu dulcis,poſt modum amarus apparet,nec aliũde hanc partiũ diuerſitatẽ,quã à guſtu colligimus.Si ergo venenũ offeratur nobis guſtu & odore iucundum,habeat vt lubet partiũ comtrarietatem,mirũ tamen eſt quod guſtu non diſcernatur,ſicut

in reliquis contingit. Longe enim magis in illis apparere deberet, cum partes non diſsimiles tantum ſint, ſed plane contrariæ: & omnino videtur abſurdum, qui aliquod venenum guſtu & odoratu iucundum appareat: fruſtra enim natura dediſſe videretur hos ſenſus animalibus qui non ob aliam rationem dati videntur niſi vt in alimentis diſcernantur familiaria & inimica.

Alio ergo itinere eum, vt arbitror, progredi oportet qui velit hãc difficultatẽ recte explicare. Etſi quiſpiam aſſumeret ſubſtãtialẽ formã eſſe vltra tẽperaturã aliquid diuinius, ſiue exterius accedens cœlitus dimiſſum, vt videtur voluiſſe Auicenna, ſiue ſit à virtute formatiua intrinſecus productum per inſtrumentum caloris innati, non pro vt calor eſt elementalis ſed prout proportione reſpondet virtuti ſtellarum, vt voluit Ariſtoteles, haud ægre opinor poterit hanc difficultatem abſoluere. Nam quamuis per mixtionẽ certæ quædam in ſingulis mixtis temperaturæ reſultant, quæ faciãt ipſam materiã & proximũ ſubiectum alterius conuenire cum altero, poterit tamẽ ſecũdũ eã formã cœleſtẽ, & extra omnes materiæ cõditiones exiſtentẽ habere occultam quandã facultatẽ, qua alteri formæ familiaris

miliaris ſit vel inimica. Ideóque omnes ferè illuſtriores viros tum antiquos, tum etiã iuniores, occultos omnes affectus, ſiue familiares, ſiue aduerſos, ad hanc cauſam contuliſſe, aſſerunt enim magnetem ferrum attrahere, ſcammonium bilẽ non propter aliquem temperaturæ gradum, ſed quoniam talis eſt forma, poſtea, ſi interrogentur qualem tandẽ dicant eam eſſe formã, fatentur ignorare, & in hoc conſiſtit omnium ferè ſolutio, cui etiam ſententiæ videtur manifeſte aſtipulari Galenus.

Sed de aliis omnibus nihil vltra ſupereſt quod contra eos afferatur. Sed de Galeno forte aliquis non ab re rubitaret. Cum enim temperaturam tam aperte aſſerat eſſe formã ſubſtantialẽ, & vltimũ actũ mixtionis, haud facile videtur poſſe ex hac dubitatione explicari, propter ea, quæ ſuperius diſſeruimus.

Hic ergo paulo altius res repetenda eſt. Audio enim Galenum poſſe in hac parte falſo vituperari, cõtráque eum inepte argui, ſi temperatura eſſet forma, tunc ſequi vt forma eſſet accidens, ſequi etiam vt eſſet vel calida vel frigida humida aut ſicca, quæ omnia ſunt abſurdiſſima, & hæc ita dicuntur ab illis quoniam mentem Galeni vel non percipiunt vel falſe interpretantur. Neque enim Galenus dicit tẽperaturam formam eſſe ſub-

ſtantialem, intelligens hoc nomine temperaturæ ipſam, vt ita loquar, craſim primarum qualitatum & commixtionem primorum corporum, vt plerique crediderunt, ſed illum actum & perfectionem, qui ex tali contemperantia & mixtione conſequitur. Non aliter quam ſi quis in cythara rectè temperet graues ſonos cũ acutis, vario modo tendendo aut remittendo chordas, & inde ſequatur concentus harmonicus, nemo iure appellabit concentum illum tenſionem aut remiſſionem chordarum, neque contemperantiam grauium & acuterum ſonorum, ſed erit potius perfectio & harmonia, quæ conſequitur, res longe diuinior & admirabilior: & tamen illa harmonia ſiue contentus, quamuis ſit aliud quã contemperantia & proportio, denominatur ab his, à quibus proxime exoritur, & dicitur conſonantia dupla, vel tripla, vel reliquo tali proportionũ nomine. Ita etiã omnino in tẽperaturis contingit. Nã per quatuor primarũ qualitatum contemperantiã & cõmixtionem primorum corporum, reſultat perfectio, & actus quidam tanquam harmonicus, qui aliud quidem eſt quam contemperantia primarum qualitatum, ab illis tamen denominatur. Dico actum quaſi harmonicũ, non harmonicum, propter ſophiſtarum importunitates.

No-

Nominum enim defectu transferimus aliunde per metaphoram & quandam analogiã alienum nomen, & ideo rationes Socratis in Protagora cõtra Cebetim, probantis formam non eſſe harmoniam, nihil nos offendent. Neque enim dicimus proprie eſſe harmoniam. Sed quod illi proportione quadam reſpondeat.

Talem autem fuiſſe Galeni ſententiam, manifeſtiſsime ipſe indicat tum alibi tum in eo libello, qui inſcribitur quod animi mores temperaturam corporis ſequantur: ibi enim contra Ariſtotelem diſputans ait. Cum poſuerit ipſe animam & reliquas formas eſſe actus, & entelechias corporum mixtorum, ſeu velit, ſeu nolit, cogi, vt fateatur formam eſſe temperaturam. Nullius enim momenti eſſet argumentum Galeni contra Ariſtotelem, niſi ſupponeret temperaturam eſſe illum actum & entelechiam, quæ ſequitur ex qualitatum contemperantia.

Vnde hic fortaſſe aliquis recte coniectari poſſet inter Ariſtotelem & Galenum verborũ potius quàm rei diſcrepantiam eſſe, ſcio etiã Galenum aliquando dixiſſe, formam eſſe aliquid diuinius, quàm contemperantiam miſcibilium.

His ita ſuppoſitis à Galeni principiis mini-

me diſcedentes addemus illud, quod ſequitur. Actiones, & impreſſiones calidi, frigidi humidi, ſicci relictæ in corporibus propter cōtēperātiā qualitatum tenere ſe ex parte corporum & ſubiecti, ideóque mutuo ſe inuicem alterari corpora, vel conſeruari, ſecundum cōuenientiam vel diſcrepantiam harum qualitatum, alios verò eſſe actus magis proprios, & admirandos, occultiores & diuiniores, qui ſe tenent ex parte formæ, tanquam eius naturam conſequentes.

Atque illæ quidem corporeæ actiones & impreſſiones facilè ſenſu percipiuntur ab omnibus animalibus. Nullum enim prorſus animal eſt, quod ſenſu tactus & guſtus priuetur, propria autem obiecta tactus ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſicut guſtandi ſenſum ſapores mouent, qui immediate illas qualitates ſequuntur, quemadmodū ſuprà oſtēdimus Ergo quæcunque vel offendūt vel iuuāt ob harū qualitatū rationē, & omnino propter aliquā corporeā qualitatem vel ſubſtantiam ſubiecti, quatenus ſubiectum eſt, & quoddam corporeum, merito percipiuntur ab animalibus per tactum, & guſtum & conſequenter, quæ conueniunt delectant, quæ non conueniunt ſunt ingrata.

At ea quæ magis ſpiritualia ſunt & conſequuntur nobilitatem formæ, longè ſubliniora habentur, quam quæ poſsint vel tactu vel guſtu percipi. Nonne videmus & colores & ſonos, cum ſint res quædam magis incorporeæ, & magis formales, nullo modo mouere ſenſum tactus vel guſtus? Nihil enim magis delectabit, aut offendet ſenſum tactus aut guſtus, ſiue album, ſiue nigrum, ſiue conſonum, ſiue diſſonum fuerit. Quod ſi in colore & ſono hæc ita eſſe deprehendimus, longè magis apparebit in his, quæ prorſus & viſum & auditum excedunt, tanquam longè nobiliora, & ipſius tandem formæ quatenus forma eſt virtutes & actiones. Certè talia quam plurima non in animalibus tãtùm, ſed in omnibus mixtis eſſe, quotidiana experientia compræhẽdimus. Non enim quod magnes attrahit ferrũ, habet ab aliqua qualitate, ſeu modo ſubſtantiæ, quod corporis naturam ſequatur, ſed prorſus ab ipſa forma, quatenus forma eſt, neque nos homines tales ſumus, qui virtutes formarum occultas depræhendere valeamus. Nam neque eſſentiam alicuius formæ cognoſcimus, & ignorata eſſentia quomodo affectus & virtutes eiuſdem cognoſcemus? Tantum admiratores ſumus, & cum per ſpecies varias

rerũ diſcurrimus, obſeruamus effectus quoſdam formarum qui omnino excedunt omnem menſuram humani intellectus. Neque hoc præter rationem eſt. Forma enim omnino ſubſtantia diuina eſt, & incorporea, ab omnibus ſenſibus & imaginationibus aliena, neque propriè eſt in loco, neque ab eo circumſcribitur. Ideo ſæpe admirando quodam modo, & prorſus nobis ignoto, per maximã quoque locorum diſtantiam, vires actionéſque ſuas diffundit.

Velle autem rationem indagare, cur forma formæ conueniat vel aduerſetur, & cur conſenſus inter illas vel diſſẽſus ſequatur, quos συμπαθείας *&* ἀντιπαθείας *Græci vocant, eſt (vt prouerbio dicitur) circa idem ſaxum reuolui. quæ ſi rectè animaduertiſſet Hieronymus Fracaſtoricus municeps meus, vir genere & moribus inſignis, ſummique alioqui & propè diuini ingenij, conſenſus iſtos formarũ & diſſenſus, ad abſurda quædam ſeminaria, & Epicureorum figmenta non retuliſſet.*

Sed de his latius egimus exponentes ſecundam partem primi libri Auicennæ. Vbi etiam de contagio abunde diſſeruimus, ſperamuſq; ea commentaria (ſi Deo placuerit) nos eſſe edituros non quidem gloriæ captan-

dæ

dæ gratia, à qua ſemper fuimus alieni: ſed vt ingenue fatear, erit editionis cauſa, quòd video diuulgari diſſeminarique à meis auditoribus ea, quæ me legente tranſcribunt, quæ (Dii boni) ita conſcribuntur, vt cum mihi quandoque offeruntur, non amplius vt mea regnoſcam, ita ſunt corrupta, cõtaminata, & infœliciter explicata. Si quæ igitur erit cauſa ad publicãda ea quæ quotidie legendo profiteor, erit hæc potiſsima.

Sed ad rem accedendo, optime mihi videtur ſolui poſſe problema propoſitum, non diſcedendo à Galeni fundamentis. ſupponentes enim temperaturam quando ipſam pro forma ſubſtantiali intelligimus, non eſſe contemperantiam qualitatum primarum, quæ eſt ſecundum æqualitatem, vel exceſſum earum, licet ab illis denominetur, ſed eſſe harmonicam illam perfectionem, quã ex ea contemperantia oriri diximus, quæ ſententia videtur etiam Platonis fuiſſe in Timæo.

Hæc autem harmonica proportio eſt quiddam longe diuinius, & extra materiæ conditiones ſe attollẽs, quam quis ineruditus & philoſophicis myſterijs parum exercitatus, imaginari poſsit.

Quamuis igitur vulgaribus viris multa occurrant admirabilia, & quæ pene appa-

veant impoſsibilia à formarum viribus progredietia, eruditi tamen vim formarum percipientes, non hæſitant, & ſi intelligant à piſce qui remora appellatur nauim onerariam detineri, vel à torpedine per rete ad manus piſcatoris torporem traduci, facile cognoſcēt non eſſe hoc propter aliquam qualitatem, quæ vel à materia, vel à commixtione corporum, vel contemperantia primarū qualitatum proueniat, ſed à formæ admiranda poteſtate. Si ergo inuenietur medicamentū aliquod odore & ſapore iucundum, quod tamen hominem interficiat, non erit extra rationē. Sapor enim & odor ſequuntur cōmixtionem corporum & variam menſuram humidi cum ſicco: ſed quod poſtea interimatur homo, hoc eſt ratione formæ quæ neque dulcis, neque calida, neque alicuius corporeæ qualitatis particeps occurrit, cùm penitus ſit incorporea & diuinæ naturæ.

Et ſi aliquis hic dubitauerit, quomodo fieri poſsit vt ſtante tanta ſimilitudine in commixtione & contemperantia qualitatum inter hominem & medicamentum vt guſtus & odoratus delectetur, & tamen tanta ſit diſcrepantia ex parte formæ. Nam non videtur rationi conſonū, cum ſupponamus formam eſſe harmonicam perfectionem, quæ

reſultat ex commixtione. Non enim effugere poſſe videmur, ſimilitudines formarum conſequi ſimilitudinem mixtionis, quam ſequitur tanquam eius perfectio.

Iſti qui ita dubitant, non ſunt exercitati in cõſonantiis & harmonicis proportionibus. Audimus enim conſonantiam diapaſon, quæ eſt omnium perfectiſſima, quam apte delectet. ſi tamen vox per ſemitonium, vel intendatur vel remittatur, percipimus maximam diſſonantiam, quamuis duæ illæ proportiones non diſtent in materia vocum niſi per ſemitonium, conſonabunt tamẽ diapente, vel diatriton cum diapaſon, quamuis in materia vocum plurimum diſtent.

Sed nos longè manifeſtius deprehendimus in combinatione literarum. Si enim accipitur exempli gratia N. & A. *& ſimul iungagãtur ita vt* N. *præcedat* A. *ſyllaba erit* NA. *Si verò præceſſerit* A. & N. *ſucceſſerit, ſyllaba erit* AN. *Hic vides quanta ſit differentia & veluti diſſonantia inter* AN & NA, *& tamen quam proxima ſint elementa & materia, imò eadem prorſus, ordine tantum differens. Si ergo ſolus ordo materiæ, tãtùm poteſt facere differentiam formarũ, quantũ magis faciet non ordo tantum materialium corporum, ſed etiam ſubſtantia paulò magis vel*

minus immutata. Quod animaduertẽtes Democritæi philoſophi, principia rerum in ſuis ſubſtantijs prorſus immutabilia opinabantur: ſed tantum formarum diuerſitatem cauſari ex ſola mutatione figuræ, ordinis & ſitus eorundem corporum materialium.

Sed video me digredi vlterius quàm propoſueram & ab huius ſpeculationis nobilitate & difficultate distractum, latius quàm par eſt, euagari. Vnde contractis velis ab hac vaſti pelagi nauigatione deſiſtam, & in tempus magis oportunum rem totam differam.

PARS TERTIA.

CVM hactenus viderimus in quibus tota medicamẽtorum eſſentia conſiſteret, tam ex parte formæ quã ex parte materiæ, & quomodo & quibus argumẽtis ſingulæ quæq; ſpecies & differentiæ dinoſcantur. Nunc modo videndum eſt, quanam via & ratione, ſingula quæq; ſingulis corporum humanorum diſpoſitionibus rectè applicentur. Hic enim erat vnus à nobis intentus, cuius ratione hactenus circa hanc materiam ſermonem produximus.

Satis hoc vnum conſtat, quo nos tanquam principio & fundamento vtemur eorum, quæ deinceps dicturi ſumus: medicum ſpeculari vt inde ad actionem idoneus efficiatur. Eſt enim medicina habitus intellectus, actiuus, & ars quæ neceſſario ad aliquod opus dirigitur. Finis autem per actionẽ medici intentus, ipſa ſanitas eſt, quæ vel eſt conſeruanda ſi adeſt, vel efficiẽda ſi nõ adeſt. Ac de conſeruatione non eſt iſte conſiderandi locus: ſpectat enim ad tertiam partem huius primi libri Auicennæ, & ad Galeni libros de tuenda valetudine.

In hac verò quarta parte, quam hoc anno declarãdam ſuſcepimus, vt toties audiuiſtis, propoſitum qua via & ratione efficiatur ſanitas, cũ non adeſt. Huius ergo artificij prius totum fundamentum rectè conſtitui oportet, poſtquam deuenimus ad medicamentorũ cõſiderationem, quæ ſunt vnum ex potiſſimis inſtrumentis quibus ſanitas efficitur. Ita ergo exordiemur diſcurſum. Sanitas in corpore humano, quando non adeſt, effici nullo modo poterit, niſi prius alteretur immutetúrque corpus. Cùm enim ægritudo ſanitati opponatur, expelli non poteſt niſi per ea, quæ ſunt ægritudini contraria, ſed progreſſus de vno cõtrario ad aliud neceſſario eſt ſub-

aliquo genere motus. Ergo medicina quæ erit ſanitatis operatrix, contraria erit ægritudini ſub genere alterationis. Cum enim ſubſtãtiæ ſubſtantiæ non ſit contraria, oportet vt contrarietur per aliquam qualitatem, in his enim proprie contrarietas. Sed cum medicina ſicuti diximus, quemadmodum & reliqua omnia mixta, conſtet ex materia & forma, qualitates in illa exiſtentes, vel materiæ vel formæ naturam conſequentur. De quibus omnibus cum iam hactenus exquiſitè egerimus, ſupponentes modò totius noſtri artificij ſubiectum eſſe corpus humanum, in quo operamur quæcunq; operamur, ac propterea addentes ægritudinem expelli per ea quæ ſunt illi contraria, cùm nunc de medicinis agamus, quarum proprium eſt expellere ægritudinẽ, ſequetur proculdubio, quod medicinæ, in quantum medicinæ ſunt, ſint contrariæ ipſis ægritudinibus. Et cum per qualitates contrarientur non per ſubſtãtiam, ſequetur etiam, quod ſit ſemper aliqua qualitas, quæ ſit proxima cauſa alterationis & immutationis. Sed cum omnia contraria, inter quæ eſt actio & paſſio, neceſſario ſint ſub eodẽ genere proximo, tunc etiã ſequetur, quod omnis qualitas medicinæ erit ſub eodẽ genere proximo cum qualitate morbi expellendi.

Cum

Cum ergo qualitates medicinarum ſint à nobis diſtinctæ, tam quæ ſe tenent ex parte materiæ quam quæ ſe te tenent ex parte formæ oportet nunc ſingula ſingulis comparare. Vbi apparebit quam neceſſaria ſit tota præcedens ſpeculatio ad artem & operationes medici, & quod hactenus non de vanis quibuſdam figmentis diſputauerimus, ſed de his quæ ſunt ad praxin ſūmopere neceſſaria, ſine quibus medicus ſecundum rationem operari non poteſt.

Incipiamus ergo prius à differentijs, quæ ſe tenent ex parte materiæ, & exerceamur in illis tanquam agentes & in ſpeculatione quodam modo operantes, Poſtea accedemus ad qualitates, quæ ſe tenent ex parte formæ.

Materiales ergo qualitates, ſicut audiuiſtis, ferè tales erant, raritas, denſitas, grauitas, mollities, durities, aſperitias, leuitas, craſſitudo tenuitas, friabilitas, viſciditas, vacuitas, plenitudo. Ponatur ergo corpus humanū in ſua ſubſtantia vel aliqua eius parte rarefactum eſſe præter naturam, vt inde actiones lædantur, conſtat hic eſſe ægritudinem, que ſe tenet ex parte materiæ humani corporis. Ergo occurrendum illi eſt ex his, quæ ſuppoſuimus, cum medicina, quæ ſit ei oppoſita ſub eodem genere proximo. Erit igitur medicina talis,

quæ habeat vim condenſandi: quomodo ergo per methodum erit inuenienda?

Sciuiſtis ex his quæ ſuperius docuimus, illud corpus rarũ appellari, quod in ſe plures habet atque amplos meatus, & in quo partes diſsident à partibus. ergo ſi rarũ condenſari debet, oportet inuenire medicinã, quæ cõprimat & meatus ſtrictiores reddat, & quæ faciat vt partes magis adhæreant partibus.

Sed iam docuimus ſi rectè meminiſtis, omnes medicinas in quibus vel ſapor acerbus, vel auſterus dominatur, eſſe temperaturæ frigidæ, & ſubſtantiæ terreſtris. Vnde neceſſario cum tales ſint, conſtringunt, conſtipãt, comprimunt, ergo denſabunt. Hac igitur via progredientes facile inuenietis iudicio guſtus, quæ medicinæ ſint aptæ ad condenſandum corpus, vel partem eius quæ fuerit rarefacta. Contrario modo ſi corpus fuerit ſeipſo denſius redditum, & propter denſitatem ſequatur ægritudo, proculdubiò rarefactione indiget. Quæ rarefaciunt eadem methodo inuenientur: indiget enim rarefactio medicina calida, & ſubtili, quæ penetret ad profundum & dilatet. ſed didiciſtis iam omnes medicinas, in quibus eſt ſapor acris, habere in ſe ſubſtantiam tenuẽ cum calore feruido & igneo. Ratione igitur tenuitatis pene-

netrant ad profundũ. Ratione feruidæ caliditatis dilatant & aperiunt. Igitur medicinæ acres magnam habent vim rarefaciendi, quod erat propoſitum.

At ſi corpus plus æquo & præter naturam fuerit induratum, ſtatim indicat mollificatione indigere. Indurari diximus ea, vel quæ frigore congelantur, vel quæ nimia ſiccitate areſcunt, vel quæ nimiũ replentur ſicut vter. ſingulæ iſtæ differentiæ habent ſuas oppoſitas contrarietates. Si ergo aliqua pars corporis induretur, quoniam humores in ea exiſtentes, à frigiditate fuerint cõgelati, ſicut contingit in ſcirrho à materia pituitoſa pendente, huic diſpoſitioni occurrendum cum eo, quod ſit illi proprie contrarium. Tale autem eſt quod diſſoluit congelata. Oſtendimus autem ſuperius quæcunq; ſunt indurata à frigore, diſſolui à calido. hic ergo calidæ medicinæ erunt applicandæ. ſed cum ſupra quoque docuerimus omnia, quæ excedunt ſecundum gradũ caliditatis, immoderate exiccare, ideo calida quidem hic ſunt admouenda, ſed moderate calida, quæ primum vel ſecundũ gradum non excedant, alioqui non mollificabimus ſed indurabimus. ſupra enim audiuiſtis, quod ea quæ indurantur, vel per congelationem indurantur, vel per nimium

calorem reſoluentem humidum & exiccantem. Cauendum igitur eſt, ne dum tentamus mollificare, quod eſt per congelationem induratum non deducamus ad aliam duritiem, quam fieri diximus per exiccationem.

Cum itaque inuentum fuerit certa via ac ratione materiam in corpore humano, & frigore induratam à calore eſſe reſoluendam, qui non reſoluat, ſed tantum diſſoluat. Talẽ autem calorem nullo modo ſecundum gradum excedere, videamus modo qua methodo ſint inueniendæ huiuſmodi medicinæ. Oſtendimus omnia dulcia habere in ſe moderatum calorem, & bene temperatum humidum cum ſicco, & quanto ſunt in dulcedine remiſſiora, tanto etiam habere calorem magis remiſſum cum maiori copia humoris. Tendit enim vt oſtendimus, quod in dulcedine remittitur ad inſipiditatem aqueam. Si ergo inuenienda erit medicina, quæ ſit moderati admodum caloris, eligemus ea, quæ ſunt pinguia, in his enim omnibus, vt diximus eſt dulcedo remiſſa, ergo olea bene matura, & pinguedines animalium temperatorum recentes. in quibus non eſt acrimonia, neq; alius ſapor præter illam remiſſam dulcedinem, omnia ſunt apta ad molliendum, quæ ſunt indurata in humano corpore à frigore

gore ſi debite fuerint applicata. At *quæcunque indurata ſunt per humidi reſolutionem, ſicut contingit in ſcirrhis à ſucco melancholico pēdentibus, tunc huiuſmodi durities à duplici cauſa facta eſt, videlicet à caliditate reſoluente humidum, & poſtea à frigiditate exprimente & congelante, ſicut oſtendimus fieri in lateribus & vaſis fictilibus, & tunc dicimus hanc duritiem nullo modo mollificari poſſe.* Nam *neq; à calido cū ſit indurata per calorem, neq; à frigido cum hic quoq; conuenerit frigiditas congelans & exprimens, ſunt ergo omnes tales ſcirrhi incurabiles, ablatione tantum indigentes, vel per ferrum, vel per ignem.* At *ſi contigerit, vt iſta durities, vel ſcirrhus nondum deuenerit ad tantam malitiam, vt totus humor fuerit exhauſtus, tam à caliditate reſoluente, tum à frigiditate exprimente, curari quidem poteſt, ſed difficulter. quomodo igitur mollitiem tentabimus?* Certum *eſt hanc duritiem calidis rebus non indigere.* Caliditas *enim vt in præcedentibus oſtendimus, in quocumq; gradu fuerit, ſemper calefacit, & cum hic ſupponamus duritiem factam propter calorem reſoluentem nullo gradu caloris indigemus. quid ergo?* Nunquid *medicinam frigidam adhibebimus?* At *iam oſtendimus à frigidi-*

tate exprimi humiditatē, ergo à frigidis quoque durior reddetur hic ſcyrrhus. Cum ſupponatur hãc duritiem factam propter humiditatis indigentiam: dicimus ſpectandam eſſe huius ſcyrrhi qualitatem & eſſentiam. Nam ſi in loco vbi ſcyrrhus eſt perſeuerabit adhuc caliditas ignea, quæ continuè reſoluat humidum & conſequenter magis exiccat & induret, tunc procuidubio frigida erunt applicanda, vt ſcilicet ſedetur calor reſoluens. Sed quoniam huiuſcemodi curatio potius dirigitur ad cauſam quàm ad effectum, ideo quæ applicantur non tantum debent eſſe frigida ſed etiam humida. Nam per frigiditatem remouebitur affectus, id eſt ſiccitas quæ facit duritiem. Non abs re igitur medici ſcyrrhis huiuſmodi applicant frigida & humida, qualia ſunt ſuccus ſolani, oleum roſatum completum, & reliqua huiuſmodi. Ad quorum omnium inuentionem illi iidem ſapores ſemper nobis deſeruiunt. Oſtenſum enim eſt, quæ ita frigida ſunt & humida, vt calor ibi nihil operatus fuerit notatu dignum, neque exhalauerit, & veſtigia eiuſdem putredinis reliquerit, vt euenit in his quæ aceſcunt, omnia illa inſipidum habere ſaporem, vt maxime apparet in aqua & in omnibus mixtis, in quibus aquea ſubſtantia dominatur,

tur: talia, ſunt omnia medicamenta, quæ habent vim refrigerandi & humectandi, niſi forte habuerint ſubſtantiarum diuerſitatem ſicut de coriandro & lentibus iam prædiximus. Ergo hac ratione ſolani ſuccus indicabit ex ſuo ſapore vim refrigerandi & humectandi: eſt enim inſipidus. In oleo etiam roſato, quamuis in eo diuerſæ ſubſtantiæ ſint roſarum ratione, vti diximus, in eo tamen dominatur ſapor inſipidus, vt guſtanti manifeſte apparet, & conſequenter ea ſubſtantia, quæ vim habet refrigerandi & humectandi. Hic igitur quoque, ſicut in omnibus aliis ſaporum iudicio medicamenta diſcernimus, quæ propoſito ſcyrrho conueniant vel non conueniant.

At ſi fuerit tertia ſpecies duritiei, quam fieri oſtendimus propter repletionem, ſicut maxime contingit in abſceſſu flatuoſo, & in tympanite, certum eſt ſumpta indicatione ab ipſa rei natura, euacuatione talem duritiem eſſe curandam, pleno enim opponitur vacuum, & iam ſuppoſitum eſt ſemper contraria contrariis curari, contrariáque eſſe ſub eodem genere proximo. Erit igitur hic procedendum cum his, quæ vim habent euacuandi. Accedemus itaq; ad duos illos habitus oppoſitos, plenitudinis & vacuitatis, quos iam propo-

ſuimus. Maxima enim affinitas tertiæ illius duritiei cum plenitudine & vacuitate id neceſſario poſtulat.

Cum plenum igitur fuerit corpus, vel eius pars præter naturam, proculdubio erit euacuandum, ſi ad naturalem habitum ſit reducẽdum. Euacuatio autem plurimis modis fit, vel enim diſcutiẽdo per halitum, vel abſtergendo, vel abluendo, vel lubricando, vel ſoluendo, & ſecundũ varias iſtas actiones, variis quoque, vt par eſt medicamentis indigemus. Quando ergo per halitum ſit educenda, vel euacuanda materia, vt contingit in abſceſſu, in quo iam humor defluxerit, neq; amplius fluat, natura huius abſceſſus quantum in ſe ipſo eſt, ſemper incidat, vt à loco fiat euacuatio. hoc autem commodiſsime fit, per eam digeſtionem quam ex halitu habemus. ſi ergo materia replẽs abſceſſum fuerit flatus, indigemus his, quæ aperiunt meatus, quæ rarefaciunt, quæ attenuant, & augeant calorem. flatus enim non propter aliam rationem in eo loco concluditur & coarctatur, niſi quia craſsior eſt, quam poſsit difflari per poros cutis, & quoniam in eo loco non eſt tantus calor, qui poſsit ipſum cõcoquere (Semper enim flatus prouenit à calore diminuto) Ergo merito indigemus rarefacientibus,

attenu-

attenuantibus, & augentibus calorem. talia docuimus eſſe, quæ ſunt calida in ſecundo & tertio gradu. in his autem gradibus, ſed præcipuè tertio calida ſunt, quæ guſtantibus acria occurrunt ſicut pulegium, calamentum, naſturcium, & reliqua huiuſmodi. Si enim à memoria veſtra non excidit, oſtendimus quæcunque habent acrimoniã ad profundum linguæ penetrare propter tenuitatem ſubſtantiæ, & vbi penetrauerint dilatare, rarefacere, & exiccare propter feruidum calorem. Ergo quando per halitum euacuare voluerimus, merito indigemus his, quæ acria ſunt. in illis enim habentur omnia, quæ ad talem digeſtionem diximus eſſe neceſſaria.

Vbi vero materia replens fuerit euacuanda per abſterſionem, quod maxime contingit, quãdo impingitur in meatibus, ſiue fuerint intrinſeci ſiue extrinſeci, & ita impingitur vt obſtruat, & impediat tranſitum eorũ, quæ ſunt vel attrahenda vel expellenda. In his caſibus, vbi talis fuerit repletio, maxime indigemus abſtergentibus. Abſtergere nihil aliud eſt niſi exiccare & excutere, quodcũq; pertinaciter inhæret. Oportet igitur primò, quod abſtergit tria in ſe habere. Primò, quòd penetret ad profundum, ſecundò quòd exiccet, tertiò quòd excutiat penetrare ad profundum attinet

attinet ad ſubſtantiam ſubtilem. Nihil enim penetrat, niſi quod ſubtile eſt: oportet ergo, quod abſtergit habere in ſe ſubtilitatē ſubſtantiæ. Illud verò quod deſiccat, habet vim, vel exprimendi, vel reſoluendi. Expreſſio fit à frigido, reſolutio fit à calido. Oportet igitur, quod abſtergit habere in ſe, vel ſiccitatem cum calore, & iſta eſt ſiccitas ignea, vel ſiccitatem cum frigore, & iſta eſt ſiccitas terrea. Ergo illa, quæ abſtergunt præter ſubtilitatem ſubſtantiæ, habent etiam neceſſario ſiccitatem, vel calori, vel frigori adiunctam. Tertio cum abſtergentia debeant quoque excutere, hoc fieri non poteſt, niſi vel maturando, aut diſſoluendo per halitum, vel abluendo aut lubricando. Ergo abſtergentia erunt quæcunque inter iſtas differentias contenta fuerint.

Quædam igitur abſtergunt, quoniam in ſe habent ſubtilitatem ſubſtantiæ cum ſiccitate permanente & cum calore reſoluente: & talia ſunt omnia amara & ſalſa. quatenus enim ſalſa & amara, eatenus habent ſiccum terreum extenuatum, rarefactum, et aduſtum calore igneo. ſunt igitur ſicca terrea, ſed attenuata & rarefacta. Habent ergo vim penetrandi habent ſiccitatem permanentem. Eſt enim in his ſiccum terreum, habent calidita-

tem

tem reſoluentem & expellentem. hoc igitur modo mundificant, & abſtergunt omnia illa, quæ amara vel ſalſa ſunt. Mel *vero abſtergit, quoniam in eo primo ſunt partes ſubtiles attenuatæ per calorem.* V*nde etiam habet acrimoniam.* Ratio*ne igitur illius attenuatæ ſubſtantiæ vim habet penetrandi ad profundum: habet deinde calorem validum reſoluentem & diſcutientem: habet præterea partes aëreas & aqueas optimè commixtas & cõtemperatas à calido, vt oſtendit eius viſciditas.* Ergo *propter hãc ſubſtantiam viſcidã, vim habet lubricandi. lubricant enim quæcunq; viſcida ſunt, vt patet in oleo & pinguedine: ergo mel abſtergit penetrando, exiccando, reſoluendo, & lubricando.* Et *idẽ ferè poteſt reſina therebinthi, abietis & reliquarum arborum ferè propter eaſdem rationes.* Reperiuntur *enim in reſinis, & tenuitas ſubſtantiæ, & calor, & viſciditas, in hoc tantum differũt à melle, quòd pars terrea magis eſt aduſta, & ideo loco dulcedinis habent amaritudinem.* Cuius *ſignum, quòd ſi mel quoque excoquatur, vlteriore coctione redditur amarum: aduruntur enim partes terreæ in ipſo exiſtentes.* V*nde loco dulcedinis ſuccedit amaritudo.*

Sa*charum quoq; eadem ferè ratione abſtergit, niſi quod imbecillius operatur: ideo*

abſtergendo non mordicat ſicut mel. neque enim habet feruorem mordicantem, propter redundantiam humiditatis, & aëreæ ſubſtantiæ: inde eſt, quod ſi vlceribus oculorum applicetur, non mordicat ſicut mel.

Cremor verò hordei abſtergit, quoniam in eo primò ſiccitas eſt cum tenuitate ſubſtantiæ, & ideo penetrat & exiccat, poſtea propter vim aquæ quæ illi admiſcetur abluit & abluendo expellit, quod exiccauit.

Nec diſsimili ratione acida omnia abſtergunt, niſi quod abſtergendo mordicant, & hoc euenit propter partes terreas aduſtas à calore putredinis, qui poſtea exhalauit, vt diximus in cauſis ſaporis acidi.

Sunt tamen quædam quæ impropriè abſtergunt propter aſperitatem partium & inæqualitatem, quæ idem faciunt, quòd ſcopa ſolum conuerrens, vt puluis margaritarum, corallorum, pumicis, ſpongiæ vſtæ. habent enim maximam vim exiccandi, & propter aſperitatem conuellunt ſimul et attrahunt ſordes inhærentes. Tale quippiã facit helxine, quam vulgo parietariam vocant, et hippuris quæ cauda equina appellatur, et reliqua huiuſmodi: lomentum etiam fabarum, orobi, lupinorum, huiuſmodi abſtergunt ſua exiccatione, et quia propter raritatem ſubſtantiæ

imbibunt

imbibunt ſuccum, & humorem materiæ in loco exiſtentis, vnde maximè conueniunt mundificandis & extergendis vlceribus ſordidis, & plurimo ichore manantibus: exugunt enim & imbibunt quicquid eſt redundantis humoris, & ſine aliqua mordicatione exiccant, De *abſterſione ſatis.*

Nunc de ablutione dicendum. E*ſt autem ablutio leuis quadam abſterſio. quod enim facit abſterſio in profundo, facit ablutio in ſuperficie. non enim tanta eſt tenuitas in his quæ abluunt, vt eorum ſubſtantia penetrare poſſit ad profundum corporis abluendi. Sunt enim aquea prorſus & detergunt ſuperficiem corporis, propter plurimam vim humectandi. quidquid enim ſordis ſupereminet, diluunt et ad defluxum parant.* V*nde videmus quæcunque abluunt colorem recipere ſordium, quæ abluuntur.* E*rgo quæcunque abluunt, ſubſtantiæ aqueæ eſſe prorſus oportet, ideo inſipida ſunt.*

A*blutio tamen & abſterſio, imò etiam lubricatio frequentiſsime commiſcentur.* L*ubricatio, enim vt ſupra diximus, fit ab iis, quæ ſunt mollia & viſcida.* T*alia autem maximè ſunt pinguia & oleaginea. quæ cùm habeant in ſua mixtione plurimum aëris opti-*

me contemperatum cum humido aqueo, qua ratione habent totam ſuperficiem maximè leuem & æqualem, lubricant & lubricare faciunt, quæcunque illis adhærent. Videmus *enim omnia corpora, in quibus eſt leuis & æqualis ſuperficies, omnia eſſe lubrica, vt patet in terſa glacie, & expolito marmore, & in reliquis huiusmodi.*

Quando igitur per lubricationem purgare volumus, exhibemus ea, quæ pinguia ſunt, ſicut oleum bene maturum, butyrum, iura pinguia, & alia huius generis: vnde fit per ſimplicem lubricationem euacuatio. Sed *ſæpe contingit, vt dicebamus, abſterſionem, ablutionem, & lubricationem commiſceri. hoc patet in aqua mulſa: abluit enim propter aquæ mixtionem, lubricat propter mellis viſciditatem, abſtergit propter acrem dulcedinem, ſi modò vera ſunt, quæ ſupra ex ſuis principiis oſtendimus eſſe vera.*

Lixiuium *etiam cum ſapone hoc idem præſtat.* Nam *& ipſo eſt aquæ redundantia abluens, & vis cineris ſiccantis & abſtergentis. eſt ſapo in quo ſimul eſt & vis lubricandi ab oleo, & vis abſtergendi à calce, uel à cinere.*

A*qua ſalſa abſtergit ſimul & abluit.*

Abſtergit

Abſtergit quidem propter ſalſedinem, abluit propter aquæ redundantiam, non tamen lubricat: neque enim in ea eſt aliqua viſciditas, quum cõſtet ex puris partibus terreis aduſtis, & aquæ redundantia. Viſciditatem autem oſtendimus fieri propter plurimam aëris commixtionem cum aquea ſubſtantia. et hæc ſufficiant, quantum ad breue compendium attinet de euacuatione, quæ fit per abſterſionem, per ablutionem, et per lubricationẽ, tam ſimplices quam compoſitas. Qui enim ſagacis ingenij eſt in reliquis omnibus medicamentis diſcernere poterit ex modo ſubſtantiæ, & ex ſaporibus, quæ lubricent, quæ abſtergant, quæ abluant, & quæ hæc omnia & aliqua ſimul faciunt, poterit inquam, niſi torpide & oſcitanter audierit, quæ ſupra docuimus.

At dicet aliquis. multa quoque euacuant comprimendo, vt Galenus oſtendebat in Cytonio, & Ioannes Meſue in Myrobalanis. cur tu hunc modum euacuandi prorſus omittis? Sciant, qui ita dubitant me conſulto prætermiſiſſe: quod enim aſtringit & comprimit quatenus tale eſt ſemper retinet & ſiſtit. Retentio autem et quies contraria eſt euacuationi et motui, et ab eodem, inquantum idem, non poſſunt prouenire contraria. ſicut igitur non

mo dicet aquam frigidam calefacere, licet quandoque hoc per accidens efficiat, ſua frigiditate comprimendo & retinendo calorem, exhalantem, ita Citonium & Myrobalanos dicimus euacuare comprimendo, non quidem quòd per ſe euacuent, imò potius aſtringunt, & quantum in ſeipſis eſt retinent. Sed accidit, vt tali aſtrictione & compreſſione exprimant, quidquid humoris intra rem comprimentem fuerit, cuius ſignum euidentiſſimum eſt, quod ſi Citonium poſt cibum ſumatur, euacuat, cũ plurimus humor infra ipſum iacet, quem comprimendo & aſtringendo poſſit exprimere, & hoc præcipue contingit, ſi cibi prius aſſumpti fuerint liquidi, & lubrici faciléq; excidentes vt refert Galenus de eo, qui ante Citonium comedebat pinguia & maluas. Maluæ & pinguia renera euacuabant aluum, ſed Citonium comprimebat & aſtringebat, ex qua aſtrictione accedebat motus maluarum & pinguium, per ſe lubricatione & ablutione euacuantium. Vnde ſi Citonium ante cibum ſumatur, etiamſi poſt exhibeantur lubricantia & euacuantia, impedit tamen euacuationem, quoniam conſtringit, & comprimit, & non habet quod exprimat.

Appa-

Apparet igitur hinc manifeſtiſsimè propriam Citonij *operationem eſſe adſtrictionem & retentionem, accidentalem verò euacuationem.*

Eadem ratio de Myrobalanis eſt, quatenus vim habent adſtringendi & comprimendi. Nam forte in Myrobalanis eſt alia virtus ratione formæ: qua euacuant bilē, phlegma & ſuccum melancholicum: ſed de iis virtutibus ſuo loco loquemur.

Quum igitur hactenus de euacuatione dixerimus qua fit per halitum, per ablutionem, per abſterſionem et lubricationem, ſupereſt quinta quæ fit per ſolutionē. Vocamus ſolutionem more vulgarium medicorum, quæ fit per attractionem virtute propria, & occulta pharmaci, quæ ſequitur rationem formæ, ſicuti ſupra diximus: trahitur enim & in attractione eligitur humor proprius, ſiue hoc ſit per ſimilitudinem & conuenientiam formarum vt voluit Galenus, ſiue propter aliud, vt videtur ſentire Auerroës. quacunque cauſa id ſit, non eſt hic determinandi locus. fortaſſe enim humano intellectui penitus eſt occcultum, vt ſupra etiam iniuimus.

Sed hic vnum animaduertere oportet, nos

propter maximam rerum affinitatem inſtitutam ordinem quodantenus peruertiſſe, qua tamen peruerſione nihilo propterea erit doctrina noſtra deterior, quum inſtituiſſemus prius agere de iis omnibus, quæ ſe tenent ex parte materiæ, deinde iis, quæ ſe tenent ex parte formæ. Nunc in euacuatione actiones illas confundimus. nam quæ ſoluendo euacuant, imò & quæ per halitum, habere videntur tales virtutes à forma, non à materia. Cauſa huius confuſionis eſt ea magna quam diximus, virtutum affinitas. Si enim rem medullitus ſpectauerimus, nulla profecto virtus eſt quæ ab aliqua forma nõ proueniat. Imo nihil aliud eſt virtus, niſi formæ perfectio. Sed quoniam ſubiectũ proximum mixtorum, habet in ſe. ſui ipſius ratione formas proprias, præter vltimam, qua eſt actus totius, quod maxime apparet in animalibus, et plantis, et cæteris omnibus, quorum ſubiecta habẽt partes diſſimilares, ideo diſtinximus virtutes, quæ ſequuntur naturam ſubiecti, à virtutibus conſequentibus vltimã formam, & ſi quandoq; confunduntur, euenit propter multam affinitatem, et vnionem materiæ cum forma. ſed vnuſquiſque accipiet hæc quomodocunq; libuerit, neq; ſit moleſtus

in

in ſuperuacuis. Non *enim futura eſt propterea doctrina noſtra deterior.*

Dicimus *igitur plenum corpus, quod euacuari debet per ea medicamenta, quæ vim habent ſoluendi & proprium humorem attrahendi, quale eſſe debeat, & quomodo præparandum, non eſſe hoc loco explicandum. propoſuimus enim agere tantum de medicamentorum virtutibus, & actionibus.*

Habent *ergo ſoluentia medicamenta principium huius ſolutionis ex parte formæ.* Quã*uis nonnulli aſſerant, id fieri propter qualitatem manifeſtam: volunt enim caliditatem cauſam eſſe propriam & per ſe ſolutionis, ideo omnia ſoluentia medicamenta calida eſſe.* Contendúntque *hanc ſententiam fuiſſe Galeni, quos ego alibi diffuſius oſtendi longe aberrare, non tantum à veritate, ſed etiam à Galeni ſententia: pauca tamen & hic repetam euidentioris doctrinæ gratia.* Nam *ſi caliditas eſſet cauſa per ſe ſolutionis tunc ſequeretur omnia calida vim habere ſoluendi, quod manifeſsime falſum eſt. plurima enim ſunt etiam feruentiſsime calida, quæ tamen nullo modo ſoluunt, ſicut piper, gingiber, naſturtium ſinapi, & multa huiuſmodi.* Præterea *ſequeretur, quod attractio*

fieret eorum, quæ magis apta eſſent ad attractionem, nulla habita electione alicuius humoris. Calor enim trahit quicquid eſt illi magis obuium, & magis paratum ad hoc, vt trahi facile poſſit.

Sed medicamentum ſolutiuum eligit, quod attrahat, etiam ſi fuerit magis remotum & minus paratum. Exempli gratia, quod vim habet trahendi pituitam, attrahet ipſam vſque à iuncturis, etiam ſi craſſiſſima fuerit dimiſſa interim bile, tum magis propinqua, tum magis parata ad hoc vt traheretur. Ergo non eſt attrahi propter caliditatem, ſed propter virtutem occultam formæ.

Præterea ſequeretur, ſi caliditas eſſet ratio formalis attractionis, quod quanto aliquid eſſet calidius, tanto magis attraheret, quod eſt manifeſte falſum. colocynthis enim & elaterium trahunt validiſſime, cum tamen longe minus calida ſint, quàm ſinapi aut naſturtium.

Neque valet argumentum eorum concludens propterea caliditatem eſſe cauſam per ſe ſolutionis, quoniam omnia medicamenta ſoluentia calida ſunt. Eſt enim hic fallacia conſequentis, ac ſi diceremus, omnes homines habent ſenſum tactus, ergo quæcunque

talem

talem habent ſenſum homines ſunt. Arguitur enim hoc modo in ſecunda figura ex puris affirmatiuis.

Eſſe etiam hoc manifeſtiſſime cõtra Galeni mentẽ cum alibi ſæpe oſtenditur, tum manifeſsime apparet in ſecundo de facultatibus naturalibus, vbi de virtute attractoria diſputat contra Eraſiſtratum. Non eſt igitur ea ſoluendi vis formaliter ratione caliditatis, licet fateamur vt par eſt, caliditatem quoque maxime ad attractionem conferre, non tamen vt formaliter efficiens, ſed vt diſponens: aperit enim vias & fortiorem facit attractionem, proprium caloris eſt attrahere in vniuerſum, ſed proprium virtutis formæ eſt, attrahere hoc magis quàm illud. Incipit ergo vniuerſalis attractio à calore, ſed particularis huius, vel huius humoris, à ſola virtute formæ perficitur.

De hac igitur formæ virtute nihil eſt, quod vlterius dicamus, quàm quòd hactenus ab optimis autoribus traditum fuit, eſſe proprietatem quãdã occultam, quæ ſequitur eſſentiam formæ, prout forma eſt & perfectio, & non prout eſt vltimus actus mixtionis.

Hoc vnum tantum obiter addemus, multa

eſſe medicamenta, quæ vulgo creduntur lubricando, aut abſtergendo, aut comprimendo euacuare, & non ſoluendo, & ideo medicamenta benedicta paßim vocantur, quæ tamen & ipſa vim habent ſoluendi, in hoc tantum ab aliis differentia quoniam magna & inſignis quantitas requiritur, ſi manifeſte ſoluere debent. Neq; hoc ignotum fuit Galeno & antiquis Medicis, quamuis ſubobſcure explicauerint. Nam cum Galenus dicit, aloen bilem purgare, Actuarius Ioannes Meſue medullam ſiliquarum caſiæ purgare humores craſſos & aduſtos, Myrobalanorum alias bilem, alias ſuccum melancholicum, alias pituitam trahere, neceſſario intellexerunt in illis communibus vim eſſe ſoluendi. neque enim proprium & determinatum humorem purgarent, propter manifeſtam qualitatem, vt paulo ſupra oſtendimus. Innuit etiam Galenus hoc ita ſe habere, cum de aloë loqueretur, Ait enim aloës virtutem non tranſire vltra venas meſaraicas, niſi detur in magna quantitate. Ergo ſi in magna quantitate dabitur, trahet etiam à remotioribus, et tanto vlterius procedet vis eius attractoria, quanto augebitur quantitas. Eſt enim regula dialectica, vt ſe habet magis ad magis, ita ſimpliciter ad ſimpliciter.

Ergo

Ergo neque aloë abſtergendo ſolum purgat, neque medulla caßiæ lubricando, neque mirobalani comprimendo, Sed ineſt in illis quoq; vis certũ humorẽ attrahendi, quod habent à forma ſpecifica. Sed latet huiuſmodi virtus, quoniã debiliter hoc faciunt. Requiritúrque magna quedã & inſignis quantitas, ſi inſignis attractio apparere debeat.

Contra euenit in ſcammonio, colocynthide & reliquis huiuſmodi. maximam enim habent attrahendi virtutem in parua quantitate, quam habere non poſſunt, quæ benedicta vocantur, niſi in maxima. Poterit hoc vnuſquiſque experientia facile comprobare, ſi dederit alicui exempli gratia, granum vnum ſcammonii, & alii tres aloës drachmas: videbit enim ex vno grano ſcammonii, purgationem paucam, leuem & ſine aliqua moleſtia ſucceſſuram: neque enim trahet propter exiguam quãtitatem, niſi quod illi proximum eſt, ſicut etiam facit aloës drachma. Sed in alio qui tres aloës drachmas ſumpſit, laborioſam admodum purgationem diuerſorum humorum, quandoque etiam vſque ad ſanguinem, non ſine maxima moleſtia.

Hinc deprehendes non differre malitiã & virtutem horũ medicamentorũ, niſi maioris & minoris ratione. Sed de his à nobis alibi

eſt copioſius diſputatum: ſatis igitur hucuſq; vidimus, quot modis plenum euacuari poteſt.

Nūc cōtra videndū quomodo vacuū repleri oporteat. id fieri nullo modo poteſt, niſi ſciatur quomodo vacuum ſit, cum nobis offertur, quādoque humore ſubſtantifico. Si alimento vacuetur, vel corpus, vel aliqua eius pars, conſtat repleri oportere cibis congrue & conuenienter exhibitis, & hoc ſpectat ad eam medicinæ partem, quam analepticen Græci vocant, nos reſumptiuam. At ſi pars aliqua ſubſtantifici humoris vel ſolidæ ſubſtantiæ deficiat, ita vt inde impediantur actiones habet in hoc quod agat pars Medicinæ Therapeutica, quāuis ſit & huiuſmodi actio valde affinis his, quæ ſit in parte tuēdæ ſanitatis.

Replet igitur partem vacuam ars curatiua, præter cibaria conuenienter exhibita, cum his quæ prohibent citam expulſionem vel diſſlationem per halitum. Cita expulſio prohibetur cum aſtringentibus & acerbis: quæ enim aſtringunt, retinent. Retentio expulſioni prorſus oppoſita eſt: Diſſlationem per halitum prohibent, quæcunque opplent & obliniunt poros, quæ Græci ἐμπλαστικὰ vocant. talia ſunt, quæ ex ſubſtantia craſſa & viſcida conſtant, ſaporémque habent, vel inſipidum, vel remiſſe dulcem. talia ſunt pleráque

pinguia

pinguia viſcoſa.

Habent etiam Medici alium quẽdam replendi modum, violenter trahentes ad locum vacuum alimentum, & pariter eius calorem augentes & excitantes: qui quidem modus maxime conuenit, vbi membrum propter inſignem frigiditatem ſuis propriis attrahendi & concoquendi actionibus priuatur, & in eo iam affectu eſt qui à Grecis ἀτροφία nuncupatur. Materiæ ad hunc vſum idoneæ ſunt omnia medicamenta, quæ inſignẽ habẽt caliditatem, & ſiccitatem, vſque ad finẽ tertij gradus, & principium quarti. Ex his materiis fiunt illi, qui vulgo dropaces, ſinapiſmi & picationes vocari conſueuerunt, vbi maximè animaduertere debent iuniores medici, ſiquãdo ad hoc opus acceſſerint, ne dimittant loco adhærere medicamentum tam feruidum, vbi iam ruborem induxerit, & quendam leuem tumorem. Si enim vlterius dimiſerint, tantum abeſt, vt repleat, vt etiam magis euacuet & tabefaciat. Talia enim medicamenta per ſe reſoluunt & exiccant: ſed accidit, vt repleant ſi tam diu permittantur, donec calefaciant & attrahant poſtea ſtatim auffe rantur, & aliquo pingui temperato illinatur locus, vt melius retineatur attracta caliditas & ſedetur feruor medicamenti.

At ſi in humano corpore aliquod craßius occurrerit, vt inde lædantur actiones, nemini dubium eſt eſſe attenuandum. Conſtat au*tem craſſum illud eſſe, quod partes habet ita ſimul iunctas, vt penetrare, non poßit niſi in amplos admodum meatus. non enim in eo quod craſſum eſt pars cædit parti, ſed omnes ſimul confertim exiſtentes, ſe inuicem in tranſitu impediunt, haud aliter quam ſi globus hominum ſimul confertim iunctorum, in aliquem anguſtum locum ingredi vellet. neque enim id fieri poſſet niſi ſepararentur, & alter cæderet alteri.* Ergo *eodem modo, quod craſſum eſt ſepatari debet, & incidi vt pars cedat parti in tranſitu & motu. hoc enim circumſcribit & determinat teſte* Galeno, *quod ſubtile appellamus.* Nam *ſubtile eſt cuius partes facile penetrant, per locos etiam anguſtos.* Erg*o craſſum incidi attenuariq́; oportet. ſciuimus autem quæ attenuant & incidunt calidá eſſe in tertio gradu.* At *quæ ad tertium gradum caliditatis accedunt, illa ſunt ſapore acria.* Er*go acria & tertio gradu calefacientia, attenuare poſſunt, quod eſt craſſum, incidendo ſcilicet, & ſeperando partem à parte. hæc enim eſt deſtructio craſſitudinis.*

C*ontrà quod ſubtile eſt in humano corpo-*

re

re & ſua ſubtilitate lædit operationes, ſicut plerumq; contingit in diſtillationibus à capite, craſſefieri oportet, patetq; craſſefactionē fieri, per ea quæ ſunt ſubtiliationi oppoſita. Ergo partes inter ſe diſtantes ſunt vniendæ, ſicut in attenuatione dicebamus eſſe ſeparandas. Hoc fit vel cum his quæ aſtringunt, vel cum his quæ habent viſciditatem, vel craſſitudinem partium. Aſtringentia enim cõpingunt, & in vnum congregant partes ſeparatas. Viſcida ſuo lentore ligant partem parti, & ita continendo craſſefaciunt. Quæ vero craſſæ ſubſtantiæ ſunt, per admixtionem craſſefaciunt, quæ ſunt ſubtilia, exempli gratia, terra, cum aqua miſceatur redditur ſubſtantia craſſa, quam lutum vocamus.

Ergo triplici inſtrumento tenuia craſſefaciunt, vel aſtringendo, vel inuiſcando, vel ſubſtantiam craſſam admiſcendo. Quod autem magis eligi debeat, particulares ægritudines indicabunt, de quibus nõ eſt noſtrum inſtitutũ in hac parte loqui. De aſperitate autem & leuitate, viſciditate & friabilitate eadem ferè ratio eſt, & non diſsimili methodo, in his quoque ſicut in aliis procedimus. Nam cum aſperitas fiat propter ſiccitatis exceſſum, vt ſupra docuimus, conſtat lenitionem eſſe faciendã cũ his, quæ abſolute humectant:

ita tamẽ humectent, vt non fluant. neq; enim facile, aut in pauco tempore humectantur, quæ ſicca ſunt. ideo indigemus his, quæ cum hoc quoque humectent, in loco quoque moreantur, & non diffluant. Talia ſunt humida, viſcida, & craſsioris ſubſtantiæ, quæ præcipuè ſunt emplaſtica, & nullam habẽtia abſterſionem vel exiccationem.

Viſciditas vero cum oriatur vt diximus, propter multam admixtionem aëris cum aquea ſubſtantia, tolletur cum his quæ exiccãt, & penetrant ad profundum, & exhalare faciunt per vaporem partes aëreas, quæ in viſcido corpore continentur. Et hinc propriæ ex viſciditate inducitur friabilitas. Cum tamen viſcidus aliquis humor ita contineatur in corpore, vt pertinaciter adhæreat parietibus vaſorum, neque inde facile excuti poſſit, quærimus hoc loco abſterſionem.

Abſtergentia autem ſi amara fuerint, vtrumq; præſtabunt: nam & abſtergent, quod eſt impactum, & deſtruent exiccando ac difflando aëream ſubſtantiam rei viſcidæ. reliqua vero abſtergentia, potius abſtergent tantum, quam viſciditatem tollent. Et hæc ſatis dicta ſint de omnibus effectibus, & ſingulorum actionibus & correlationibus, quæ ſe tenent ex parte materiæ.

Nunc

Nunc aliqua quoque de formalibus adiici oportet. Harum quæ primæ ſunt & apellantur apud omnes, conſtat eſſe calefactionem, frigefactionem, humectationem, exiccationē & quæ ex his componuntur: de quibus abūde in prima ſectione diſſeruimus. neque hic oportet rurſus inculcare dubitationes, quas ſatis ſuperius explicatas arbitror. Videtur enim nonnullis, cùm calfacere & frigefacere ſequantur mixtionem, quæ mixtio eſt quædam paſſio primorum corporum, & partiū materialium, quòd huiuſmodi actiones ſe potius teneant ex parte materiæ; & eo magis quod ſupra aſſeruimus actiones, quæ propriè emanāt à forma eſſe nobiliores & occultiores. Non aduertūt iſti, quod diximus, in habitu formæ poſt mixtionem duo cõuenire, Vnū eſt ipſa proportio mixtionis, & contemperātia primarum qualitatum, quam quicunque diſtinxerunt formam à temperatura, appellauerunt proprio nomine temperaturam ſeu cõplexionem: quam poſtea complexionem ſubito conſequitur forma ſubſtantialis, ſiue extrinſecus adueniat, ſiue intrinſecus.

Qui verò temperaturam non diſtinguunt à forma ſubſtantiali, appellant eam proportionem terminum mixtionis; quem terminū conſequitur nobilior actus temperatura ab

illis vocatus, qui tamen nihil aliud eſt niſi perfectio, & quædam veluti conſonantia illius prædicti termini, non aliter quàm in Muſicis proportionibus euenit, vbi proportio exempli gratia dupla vel tripla eſt quidam terminus & actus reſultans ex mixtione vocum grauium & acutarum. Non eſt tamen idem, quod ipſa conſonantia vel concentus. Nam concentus eſt ſpecies quædam & obiectum, cuius actus eſt auditum delectare. Ipſa verò proportio dupla, eſt actus mixtionis, qui præcedit conſonantiam, ſicut ea præcedunt, quæ ſunt vel ordinantur ad finem. Et vt vno verbo dicam, ſicut proportio dupla eſt perfectio mixtionis vocum, ita conſonantia eſt perfectio proportionis duplæ.

Idē videmus & in ipſa luce, quæ maxime aſſimilatur incorporeis. Lux enim illuſtrat tranſparentem corporis ſuperficiem, & eſt actus vel perfectio eius, & hanc actualem illuminationem ſequitur color, qui proculdubio ſpecies diuerſa eſt ab illuminatione, reſultans tamen ex ea veluti compoſitione illuminationis, & terminatæ tranſparentiæ in ſuperficie corporis. Quemadmodum igitur illuminatio eſt perfectio, & actus corporis tranſparentis luminati, ita color eſt actus illuminationis. Et ſicut eſt illuminatio in ea

corporis ſuperficie talis eſt proportio primarũ qualitatũ in mixto, & vt ſe habet color ad illuminationẽ, ita ſe habet forma quam tẽperaturam vocamus reſpectu proportionis quæ in mixtione reſultat.

Ex his ſatis patet differentiam inter eos, qui ponunt temperaturam aliud eſſe à forma ſubſtantiali, eſſe nominum potius quàm rerum ſi quis acutius introſpiciat. Et iſtæ ferè ſunt differentiæ & diſcrepantiæ, quæ ferè ſemper inueniuntur inter magnos autores. Vnuſquiſque enim diuerſimode explicat veritatem, quam intendit, & ex varia explicatione, oriuntur varii conceptus intelligentium. Vnde creditur diſcrepantia eſſe in rebus, quæ potius eſt in ipſa ratione & explicandi modo.

Redeuntes igitur ad propoſitum dicimus, calefactionem & refrigerationem & reliqua eſſe proprios actus proportionis mixtionum, quæ eſt quædam forma imperfecta & non ipſius temperaturæ, prout temperaturam intelligimus vltimum actum & formam ſubſtantialem.

Neque hoc mirum videri debet: nam & in anima, quæ eſt forma ſubſtantialis animalium, apparent actus diuerſi, qui conſequuntur maiorem vel minorẽ perfectionem ani-

me, & ipſe Ariſtoteles fatetur animal prius viuere vita plantæ, deinde vlterius perfici & acquirere animam ſenſitiuam, vltimo etiam intellectiuam. Quid igitur abſurdi eſt, ſi hoc idem contingere dicamus in qualibet forma, vt primò quodam modo inchoetur, deinde perficiatur? Sed iam ſatis philoſophatum eſt.

Primæ igitur virtutes conſequentes actum formalem, vt calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare. & quæ ex his componuntur: de quibus cùm ſane ſupra egerimus non eſt quòd hic rurſus repetantur.

Sed aliæ ab his oriuntur quæ ab ipſo Galeno & reliquis medicis ſecundæ vocantur, ab his tamen prius generatæ, vt eſt aperire, claudere, diſcutere, attrahere, reprimere, & huiuſmodi. Iſtæ omnes ſunt actiones formales, quæ conſequuntur actum formæ: nihilo minus quoniam actus earum verſatur ferè circa ſecundam compoſitionem corporum & circa morbos compoſitionis, qui ſe tenent ex parte corporis & ſubiecti, ideo à fine denominamus has actiones materiales & ad locum deduximus, vbi de actionibus materialibus loquebamur. Quando enim rarefacimus, condenſamus, aperimus, claudimus, euacuamus, replemus, craſſefacimus, attenuamus,

mus, ſemper verſamur circa materiam, & vt compoſitio corporũ dirigatur, vel in formatione, vel in quãtitate, vel in ſitu, aut numero. Materiales igitur omnes iſtæ actiones vocentur, quamuis a forma proueniũnt. à fine enim potius, quàm ab efficiente denominationẽ ſumimus. Sed calefacere aut frigefacere, diriguntur ad formam, id eſt ad ipſam temperaturam corrigendam, quæ temperatura reuera eſt omnium actionum principium.

Sunt quidem & tertiæ operationes quæ magis particulares ſunt, ſicut prouocare vrinam, menſtrua ſudorem, & vt quæ dicuntur à Græcis nephriticæ, cardiacæ, bechicæ id eſt tuſsim excitãtes, & reliquæ huiuſmodi. quæ hoc loco à me explicandæ non ſunt. attinent enim ad partem curatiuæ particularẽ, quam nunc non tractamus.

Sunt & alia multa circa medicamenta nõ mediocri ſpeculatione digna, vt quomodo medicinæ in quibus aliqua virtus excedat, vel deficiat ſint corrigendæ & emendandæ, per decoctionem, vel admixtionem, vel aliquam aliam præparationem, quomodo etiã ſint conſeruãdæ, colligendæ, & in qua regione, quo tempore, præterea quando applicantur corpori, cùm ſæpe vel plus efficiunt quã intendimus, vel minus, quomodo ſupplea-

mus tam exceſſui quàm defectui. hac & alia quam plura huiuſcemodi, ſunt cognitu neceſſaria ad hanc partem medicinæ curatiuam.

Sed de his omnibus partim tractabit Auicenna doctè & copioſè in hac quarta parte primi libri, quam nos hoc anno explicandam propoſuimus, partim dicentur in ſuis libris particularibus.

Hæc igitur in vniuerſali à me dicta ſufficiant, quæ videbantur eſſe admodum neceſſaria ad ea, quæ in tractandis medicamentis ab Auicenna dicentur. Iam his omiſſis tēpus eſt, vt ad verborum Auicennæ explicationem accedamus, ſingulis locis, ſingula quæ diximus opportune accommodando.

FINIS.

EXPLICATIO
EORVM, QVAE PERTI-
nent, tum ad qualitates
ſimplicium medica-
mentorum, tum ad
eorundem com-
poſitionem.

A VINCENTIO
CASALI BRIXIA-
NO EXCEPTA EX DE-
cretis Ioannis *Baptiſtæ*
Montani phyſici
Veronenſis.

(∴)

PARISIIS,

Apud Gulielmum Iulianum, ſub ſigno
amicitiæ ad gymnaſium Cameracenſe.

1554.

ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI D. D. IOAN-
ni Comiti à Tharnouu Caſtellano Cracouienſi, & copiarum regni Poloniæ ſummo Imperatori.

VINCENTIVS CASA-lis Brixianus S. P. D.

MAGNVM *opus de ſimplicibus medicamentis, & de componẽdorum medicamentorũ artificio, & compoſitorum vſu olim ſcribere aggreſſus fuit Montanus Phyſicus abſolutiſsimus, quod ſi ab ipſo perfici potuiſſet, vix credibile eſt, quantũ vtilitatis inde cepiſſent,*

qui arti medicæ operam nauant: id enim vtile futurum ſperaſſem tum illis, qui medicinam faciunt, in qua ſæpiſsimè noua medicamenta parare neceſſe eſt, tum etiam ad ea intelligenda non parum cõduxiſſet, quæ à Dioſcoride viro multarum rerum perito, & experienti in materia medicinali, & à Nicandro, atque Theophraſto Philoſopho elegantiſsimo de cognitione plantarum, atque etiam ad percipienda, quæ à Galeno medico de facultatibus ſimplicium medicamentorum, & de componendorum medicamentorum ratione tradita fuere: ea enim omnia ad hanc partem medicinæ, quæ φαρμακευτικὴ à græcis appellatur attinentia à priſcis illis autoribus ita fuerunt tractata, vt vix à doctiſsimis etiam viris, & inſigniter verſatis in hac arte cognoſcantur. Si ergo eos, qui in hac medi-

medicinæ parte aliquid adiumenti hominibus afferre ſtuduerũt, & ſuſpiciendos, & colendos eſſe ducimus, Mõtanum certè plurimũ omnes ſtudioſi bonarum artium & admirabuntur, & colent, eò quòd decreta iſta propoſuerit, & veluti quoſdam commentarios inchoauerit, atque ita inchoauerit, vt ſi perficere licuiſſet (non enim licuit illi acerba morte prærepto) profectò quod ad hanc medicæ facultatis partem ſpectat, nihil poſſet à quoquam deſiderari: iam vero quæ ad artẽ deſtillandi, atque ſuccos ex medicamentis exprimendi pertinent opus medicis apprime vtile, & neceſſariũ eorum omnium maximam fecimus iacturam. Cæterùm quæ ab ipſo hac de re inchoata fuerunt, & calamo à me excepta dogmata, omnia apud me retinui, tantiſper dum forte na-

ctus ſum Aloyſium Anguillarium virum in materia medica non mediocriter verſatũ, cuius ope factum eſt, vt rationem quandam ſim aſſecutus non vulgarem applicandi hæc vniuerſalia præcepta ad ea, quæ particulatim ab autoribus conſcripta ſunt: is enim omnem operam dedit, vt omni ſtudio & opera ac diligẽtia me adiuuaret: in qua re quãtum profecerim aliorũ ſit iudicium: id certò ſcio nec mihi voluntatem defuiſſe, neque Aloyſio peritiam. Itaque vbi hoc meum conſilium, & viam promouendi ſtudia medicinæ plurimis familiaribus tum Germanis, tum Polonis expoſuiſſem, id præter meam opinionem contigit, quòd cœperunt mihi non modo ſuadere, verum potius vrgere, vt in publicum ederem hæc decreta perpauca Montani. Eam vero rationem afferebant,

rebant,

rebant, quòd qui de medicamentis doctrinam profitentur nullam methodum, & nullam artem excogitarunt, ſed hiſtorias, & fabulas aniles narrant non intelligentes de ſententia Galeni omnem artem docendam eſſe ordine quodam ex collectione praeceptionum multarum ad vnum finem tendentium: haec enim vera eſt docendi methodus, qua priſci & medici, & philoſophi vti conſueuerunt. Qui enim ab hac via declinarunt, hi ſibi memoriam potius quandam, & hiſtoriam compararunt, quam ſcientiam: ſaepe enim in rebus valde apertis caecutiunt, vt pote qui in medicamentorum examine plerunque pro petroſelino oreoſelinum accipiant, pro iridis vna ſpecie, alteram, & pro ſcammonio conuoluulum vulgatum. Quantùm vero errent in medicamentis iudicandis, verbi cauſa, cur rutam aliqui ſcribant coitum mi-

nuere, aliqui verò augere affirment, lactucam & ciere, & ſiſtere magis menſes, nõ eſt, cur ſuſcipiam longiorem diſputationem: mitto pondera, & menſuras, & proportiones, veluti qualia cum qualibus, quanta cum quantis, & qua ratione commiſceri oporteat. Quapropter illis deeſſe nõ potui, nec debui: Cur obſecro negare poſſum iis, quibuſcum vixi familiariſſimè, & mutuis officiis amicitiæ, & communibus ſtudiis ſum deuinctus? Præterea nihil mihi prodeſſe potuiſſent, quæ ſemper in tenebris iacuiſſent: Et ſi fortaſſè non eſſe edenda aliquis exiſtimet, quòd ex his nomini præceptoris nihil penè acceſſurum ſit, vt pote qui acerrimus ingenio, & ſapientia inſigni, & facundia, ac venuſtate ſermonis eſſet præditus, & ad ſummos honores à Senatu Veneto prouectus: Atta-

men

men ſi quid minus cultum occurrerit, mihi adnotanti eſſe tribuendum, non illi dictanti iudico. Nam ſi conſultò ipſe edidiſſet, nihil, quod non maximè cultum, & doctrinæ, atque eruditionis plenum publicaſſet. Hæc cauſa flexit, & perſuaſit, vt iſta pauca ex promptuario meo proferrem. Interim ſi diligentia noſtra ſe adiutos ſenſerint iuuenes ſtudioſi medicinæ, id totum tibi, vir ampliſsime, ſe debere intelligant. Nam admonitionibus amicorum perſuaſus nunquam fuiſſem, niſi te patronum habuiſſem, quem mihi opem allaturum confiderem aduerſus calumniatores, id quod facile præſtare poteris. Præter enim quàm quòd ſummo loco natus es, & rebus bello, paceque præclarè geſtis clarus: tu etiã tibi maximam prudentiam, ac ſapientiam comparaſti, id quod pluri-

mi quidem teſtantur, ſed in primis Valentinus Lublinus medicus doctiſſimus, quicum vixi familiariſſimè, & Stanislaüs Roſarius vir tum virtute, tum ſingulari eruditione præſtans. Cæterum ne longius me prouehat oratio, peto abs te pro incredibili tua erga omnes, qui has literas profitentur voluntate, ne grauere meos, qualeſcunque ſunt, laborum fructus virtutum tuarum ſplendore defendere, ne ij maleuolorum, & peſtilentium hominum veneno infecti aliquando corrumpantur.

Vale. Patauij Kal. Iulij. M. D. LIII.

DE

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM qualitatibus commentarius.

A VINCENTIO CASALI Brixiano exceptus ex Ioannis Baptiſtæ Montani Phyſici Veronenſis decretis.

TRactaturi hoc loco de ſimplicibus medicamentis oportet, vt primum omnium ſupponamus, ſicut in tertio libro de temperamentis probatum eſt, multa talia, talia dici non actu, ſed potentia. Secundò ſupponatur eatenus dici aliquid medicamentum, quatenus vincit humanum corpus, aliquo modo victoria: nam cum planè vincitur, tunc deſinit eſſe medicamentum. Etenim ſi eius ſubſtantia immutatur, iam

non tantùm deſinit eſſe medicamentum, ſed etiã alimentũ efficitur. Ponamus tertiò, quã cũque vim, quæ in medicamento reperitur, vt purgandi, diſcutiendi, abſtergendi, prouocãdi vrinã, & cæteras, eã à qualitatibus primis procedere, caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate, quæ omnia ſatis oſtenſa ſunt in libro ſuperius citato. Ponendum quoque, medicamentum parum admodum cognoſci poſſe, cuius ſit facultatis, offerendo ipſum viſui, vel tactui, vel auditui: nec etiam multum odore deprahendi poteſt, niſi quatenus ex eo aliquam ſaporum naturam nonnunquam perpendimus. Quantum enim ad viſum attinet, multa, exempli gratia, inueniuntur candida, tum calida, tum frigida: nam nix frigidiſſima eſt, calx vero calidiſſima, cùm vtraque cãdidiſſima ſit. Multa præterea inuenies tum aſpera, tum lenia, dura, & mollia, quæ diuerſarum omnino rationum, & oppoſitarum qualitatum ſunt. Idem de auditu dicendum: parum enim refert ſonoráne, an inſonora ſint, vt vires eorum indagẽtur. Nec plura habemus ex odore: nam ex fætidis & bene odoratis plura inuenies indifferenter diuerſarum admodum naturarum. Concludimus igitur poſſe nos quidem ex his ſenſibus aliquam interdum coniecturam habere, quæ

non-

nonnihil ad artem facit:eam tamen eſſe inconſtantem,neque perpetuam. Solo igitur guſtui id confidere oportet: ab eo enim elici poſſunt non tantùm temperatura medicamentorum ſimplicium in calido,frigido, humido,ſicco: ſed reliquæ etiam omnes virtutes vt abſtergendi, diſcutiendi,& cæteræ huiuſmodi. Et cauſa huius rei eſt,quoniam(vt ſuppoſuimus)medicinæ cùm non ſint actuales,ſed potentia, illud inſtrumentum aptiſſimum erit ad iudicandum, quod cùm ad actum medicinas reduxerit,plures intrinſecas differentias percipiet. Sed inter reliquos ſenſus hoc maximè facit guſtus,qui ſimul & tactiles,& guſtatiles qualitates percipit:ergo guſtui maximè confidendum:nam ex vi cognoſcitiua multas obſeruat differentias,ex quibus elicit theoremata. Cum enim percipit guſtus ab acerbo ſapore partes linguæ contrahi, corrugaríque, & inæquales reddi ſine aliquo ſenſu caliditatis, dicimus inde talem ſaporem fundari in ſubſtantia frigida,& ſicca. Scimus enim ab humido rē diffundi,leniri,non contrahi,aut corrugari:ſic à calido calfieri:& inde de ſimplicibus ordimur theoremata conſtituere,quæ à ſenſu originem traxere, ratione vero expolita, perfectáque ſunt. Incipiamus ergo à ſapori-

bus, eorúmque differentias tradamus, & cauſas ſingulorum inueſtigemus, multa tamen ſupponentes, quæ de hiis à Platone, Theophraſto, Alexandro, & Galeno ſubtiliſsimè ſunt diſputata, ea tantum admittentes, quæ ad noſtram rem perficiendam attinent: intendimus enim methodum tradere, qua omnium medicamentorum vires ex ſapore dignoſcantur, vires inquam tum primæ, tum ſecundæ, tum tertiæ, & quartæ quoque, vt poſtea patebit: nūc de differētiis ſaporū agamus.

DE DIFFERENTIIS *ſimplicium ſaporum.*

SApores autē ſunt ſeptem iſti: Acerbus, ſiue Ponticus: Auſterus, ſiue Stipticus: Acidus, ſiue Acetoſus: Dulcis: Salſus, Amarus: Acris: octauus vero qui inſipidus ἄποιος græcè, id eſt, ſine qualitate dicitur, potius priuatio eſt, quàm quòd ipſe ſaporum ſpeciem referat. At pinguis & vinoſus ad dulcedinē referūtur. Omnium horum methodum colligemus ſupponēdo quod in libello de ſenſu, & ſenſili probauit Ariſtoteles, ſiccū terreū in humido materiā eſſe ſaporum, quod quidem multipliciter variatur ſecundum quod à calido igneo multi-

pliciter excoquitur, & attenuatur. Ex hoc igitur principio, & fundamento exorſi, quod ſiccum terreum propria ſui natura, ac per ſe conſtipat, ad centrum trahit, corrugat, ac motum ſiſtit: calidum vero igneum dilatat, ad circunferentiam trahit, & motum facit, facile ita poterimus cauſas ſaporum venari, & eorundem ſpecies. Cum enim aliquid guſtui offertur, vel illud percipietur conſtipare, inæqualitatémque reddere magnam: ſi id validiſſime fecerit ita, vt humorem linguæ exhaurire videatur, appellabitur hic ſapor acerbus, vel ponticus, indicabítque in hoc medicamento ſubſtantiam terreſtrem plurimam ineſſe, quæ parum admodum à calore exocta fuerit. Ideo frigidum, & ſiccum merito erit. Quòd ſi moderatè conſtipet, & exaſperet, ſapor iſte auſterus vocabitur, indicabítque ſubſtantiam terreſtrem quidem frigidam, & ſiccam in hoc ſimplici medicamento dominari, minus tamen quàm acerbus, acrius enim iam concoxit calor. Si verò quod guſtui offertur, conſtipet quidem leuiter, ſed penetret ad profundum linguæ, & ſenſum mordicationis, & tanquam inciſionis incutiat, ſapor hic acidus appellabitur. Exemplum acerbi experiri debemus in meſpilis immaturis,

& pyris immaturis ſylueſtribus, & reliquis huiuſmodi. Exemplum auſteri in mirthis, & gallis maturis, in rhu obſoniorum qui ſumach vulgò dicitur, in corticegranatorum & ceteris. Exemplũ acidi, in omphacio, id eſt, ſucco vuæ immaturæ, in prunis immaturis, in limonibus, arancijs, in quibusdam granatis. Sapor acidus indicabit ſubſtantiam terreſtrem non adhuc excoctam à calore, quadam tenus tamen extenuatam, quæ plurimo humori aqueo ſit admixta, ideo talis quoque medicina refrigerabit, & exiccabit, parcius tamen quàm vtraque ſuperiorum, præcipuéque imbecillior erit in exiccando. At ſi guſtui res oblata leuiter applaudat, ſuauitérque linguam veluti palpet, & oblectet eam ad nullam exceſſum trahendo, dulcis ſapor appellabitur, indicabítque ſiccum terreum moderatè elixatũ, & non aduſtum, cum humore interdum aqueo, interdum äëreo, vt poſtea dicemus. Ergo moderatè calfaciet, nec multùm humectabit, aut exiccabit: imò quod tale erit in ſubſtantiam corporum facile vertetur, alimentúmque fiet: & ſemper huiuſmodi effectus à ſapore dulci continget, ſi ſimplex fuerit. Si verò aliis ſaporibus adiungatur, vt acri, acerbo, inſipido, mixtos quoque effectus producet, de quibus paulo infra dicemus. Si verò quod linguæ offertur planè mordicet,

& tanquam erodat, videatúrque ad profundum penetrare, & quendam ſenſum caloris inducere, ſapor is ſalſus vocabitur, indicabítque ſiccum terreum in humido aqueo à plurimo calore iam eſſe aſſatum, & attenuatum. Tale igitur medicamētum calfaciendi, & exiccandi vim habebit, & ad profundū penetrādi propter plurimū aquei humoris illi admixtū. At ſi quod guſtui offertur, quidpiā in lingua abradere videatur, & liquefacere, amarus iſte ſapor appellabitur, indicabitque longe maiorem aſſationem, attenuationémque ſicci terrei à copia caloris factam, quàm in ſalſo contigerit: propterea & maiorem calfaciendi, exiccandíque vim habebit. Quòd ſi guſtui oblatum non mordicet tantùm linguam, ſed inflammet, ac veluti adurat, ſapor hic acris, vel acutus dicetur, indicabítque ſiccum terreum à calore exquiſitiſſimè attenuatum, & penè ad ignis naturam conuerſum: ideo ſummè calfaciet, & exiccabit, quandoque etiam per contrarium aduret, & liquefaciet. Vltimo quod nullum ſenſum guſtui affert, nihílque magis, quā aqua facit, inſipidus, ἄποιος græcè dicitur (ſi tamen ſapor vocari debeat, qui nullum ſaporem reddit) indicabitur ex hoc minimum ſicci terrei cum plurima ſubſtantia humida fuiſſe per-

mixtum: & ſi talis ſubſtantia humida fuerit aërea, talis medicina erit media inter caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, ſicut eſt granum farris, & ſuccus cannæ triticeæ, & huiuſmodi. Si vero ea humiditas fuerit aquea, & non aërea, talis medicina, erit frigida, & humida, ſicut ſunt cucurbitæ, cucumeres, & ſimilia. Exempla autem, in quibus debemus exerceri, erit quidem exemplum ſalſi, ſal, nitrum: amari vero abſinthium, aloë: acris vero, vel acuti, piper, euphorbium: reliquorum exempla ſuperius diximus. De ſapore verò pingui nihil aliud dicemus, niſi etiam eſſe remiſſiſſimum dulcedinis gradum, indicabitque hic ſapor ſubſtantiam modicè calidam, & humidam: eſt enim in ea plurima ſubſtantia aërea humida cum minimo ſicco terreo. Vinoſum autem doctores reiiciunt tanquam qui nullum nobis certum gradum, & genus offerat, ſed admodũ diuerſum. Hæc ſufficiant de ſaporibus ſimplicibus, eorundémque cauſis, & facultatibus primis in generali, quia poſtea diſtinguentur, & ad certam methodum deducentur. Nunc ſupereſt, vt de ſaporum quoque cõmixtione quedam dicantur, quæ plurimum facient ad exquiſitam præſentis methodi diſciplinam.

DE SA-

DE SAPORVM SIMPLIcium mixtura.

SI acerbus ſapor, vt à primo incipiamus, acri adiungatur, illa medicina primo quidem occurſu parum calfacere videbitur, quoniam caloris vis in plurima terreſtri, & craſſa ſubſtantia ſepulta eſt: vbi verò ad actum ab interno calore perfectè deducta fuerit, tunc pertinaciſſimè calefacit, ita vt carnes, membraq́; liquefaciat, & corrumpat: quod euenit, quia calor craſſæ, terreæq́;, ſubſtantiæ adiunctus pertinaciſſimus feruentiſſimusq́; eſt, vt patet in candenti ferro. Sed ſi idem acerbus cum dulci fuerit mixtus, media erit medicina inter calfacientem, & refrigerantem, magisq́; vel ad hanc, vel ad illam partē declinabit, prout magis, vel minus huius, vel illius ſaporis particeps erit, habebitq́; ab acerbo, quod conſtipet, corruget, & corroboret: à dulci, quod læuiget, leniat, & blande diſſoluat, & ita ex contrarijs qualitatibus componetur. Si verò non medicina, ſed cibus ijs ſaporibus præditus fuerit, non adeò commodus eſt: ob dulcedinē enim citò, & auide attrahitur, ob acerbitatem verò, quam in craſſa, terreſtriq́; ſub-

ſtantia fundari diximus, moram contrahit tum in concoctione, tum in diſtributione, imò & qualitate adſtrictoria vias, meatusq́; obſtruit: vnde difficillimi morbi oriuntur. Erit præcipuè vinum, quod tale fuerit, deterrimũ, præſertim ſi craſſæ quoque ſubſtantiæ fuerit. Sin acerbus amaro, vel ſalſo iungatur, non poterit medicina multùm excedere in frigiditate, aut caliditate: imo quandoque erit frigida, quandoque calida, prout acerbitas vel amaritudo, aut ſalſedo ſuperauerit, nunquam tamen vt ad ſummum deueniat, nec ſecundum gradum caliditatis vel frigidatis excedat: habebitq́; hæc medicina ratione quidem acerbitatis vim corroborandi, & adſtringendi, ratione amaritudinis abſtergendi & aperiendi: quæ operationes cùm oppoſitæ ſint, ſemper debemus intelligere alteram magis vel minus fieri, prout magis vel minus alter ſaporum dominatur in medicina, quæ regula in omnibus his ſemper ſeruari debet, quæcunque de acerbo cum reliquis ſaporibus coniuncto diximus, idem putetis dictum de auſtero, niſi quòd acerbus in omnibus efficacior eſt, auſterus vero debilior. Prius enim oſtenſum eſt inter auſterum & acerbum differentiam eſſe ſecũdum magis & minus. At ſi acidus cum acri iungatur quoniam vter-

que

que eorum ſaporum fundatur in ſubſtantia tenui, acidus quidem in aquea frigida; acris vero in terrea calida, erit quod ita commixtum eſt abraſiuum, mordicatiuum, in intimas partes penetratiuum, tale eſt acetum, & in corpore humano bilis acida aduſta, ac permixtionis ratione magis aut minus huiuſmodi facultates erunt efficaces, prout ad alterũ vel alterum ſaporem vergetur. Si verò acidus cum dulci commiſceatur dulcedinis actio magis in ſuperficie corporũ apparebit leniendo & lubricando, quoniam in craſſa, viſcoſa in aëreaq; ſubſtantia ac terrea fundatur: acidus verò more ſuo ad profundum ducetur, ob tenuitatem ſubſtantiæ, quæ cùm refrigeret, & contrahat, neceſſariò ex tali mixtione ſequetur, vt in ſuperficie corporum fiat quædã lenitas & lubricatio, interius tamen adſtringantur & conſtipentur. Talis ſapor in ceraſis medij ſaporis, moris, malis granatis, pruniſque deprehenditur: quæ omnia in ventre leniendo ambiguntur, quandoque verò adſtringunt, ſi aciditas ſuperat, & ſumentis natura ad hoc inclinet, quandoque lenit, ſi dulcedo excedit, fauétque ſumẽtis temperatura. At acidus ſalſo adiunctus excoriat intemperata abſterſione: nimis enim penetrat ad profundum, ob multam ſubtilium partium ad-

mixtionem, hoc maximè apparet in muria limonũ ſalitorũ, & in pituita ſalſa in corpore humano, idem ferè poteſt acidus cum amaro, niſi quòd calidior eſt, & in abſtergẽdo, exiccando, erodendoq́; efficacior: exemplum habemus in ſucco limonum, qui cũ ſale fuerit admixtus, qui præterea ad ſcabiem præſtantiſsimum eſt remedium, & in flaua bile acidæ pituitæ admixta. Si vero dulce acri commiſceatur ex acrimonia, quæ in ſubſtãtia tenui calida, & terreſtri fundatur penetratio ad profundum habetur, ex dulci vero ablutio & lenitio: erit ergo quod tale eſt lenitiuum, abſterſiuum, & propter abſtergendi vim eſt etiam mordicatiuum, habebitq́; intenſam ſatis caliditatem, exemplũ erit in melle. Dulce autem ſalſo, aut amaro adiunctum vim habebit (vt ex dictis principijs apparet) abſtergendi, mordicandi, abluendi, & leniendi ſcilicet aluũ: propterea quicunque ex his ſaporibus cõſtant aluum leniunt, & purgant, vt patet in oleo dulci ſali admixto, & in ſyrupo roſaceo ſolutino, & in ſyrupo de ſucco abſinthij melle admixto: & hinc eſt quòd Hiera *ſimplex cũ melle ſumpta magis aluũ ducat, & minus corroboret ſtomachũ, vt rectè dixit* Galenus, *quicquid* Meſue, *& huius ſequaces dixerint: licet ego exponẽdo alias* Meſuen *à*

calum-

calũnia ipſum defenderim, ſed de his alibi. At ſi dulcis inſipido admiſceatur, erit hoc mixtum lenitiuũ, abſterſiuũ. poſtea ob abundantiam humidi aquei habet vim putreſcẽdi, & eſt cito putreſcibile: exẽplum habemus in peponibus, melonibus, & melopeponibus. Si verò amarum cum ſalſo iungatur, nihil efficacius inueniri poteſt, quod magis abſtergat, exiccetq́;, maximeq́; tum mordicabit, & erodet, nec parum calefaciet, vt ſi marina aqua nitro commiſceatur. Inſipidus vero amaro, aut ſalſo commixtus obtundit vtriuſque efficaciã, efficitque, vt magis abluat, ſed non adeo abſtergat, & mordicet. Diſtinctis hoc modo ſaporibus, inuentaq́; eorũ ſubſtantia, qualitate, diuerſaq́; horũ cõpoſitione, & quid ab eorũ mixtione reſultet, hinc videndũ qua arte ex gradibus ſaporum, gradus qualitatum tum primarum tum aliarum reſultent.

De gradibus qualitatum ex ſapore.

Nam ſi ex varia impreſſione ſaporũ in lingua varia medicamentorũ temperamenta iudicantur, vt ſupra oſtendimus, neceſſe eſt, vt quatenus magis, vel minus augetur huiuſmodi impreſſio, pro eius augmẽti, & decrementi ratione

diuerſi gradus temperaturæ augeſcitur. In tradenda autem methodo graduum primarum, & aliarum qualitatum ſupponere oportet, quod à Galeno docetur in libro v. de ſimpl. medic. facul. cap. vltimo, intelligere nos intentiones graduum ſecūdum quòd magis ſenſibiliter, vel minus in lingua imprimuntur: quod enim nullum ſenſum adfert, vel leuem admodum, vel nō notatu dignum immutat, æqualis temperaturæ hanc medicinā vocauit Galenus: quod vero ſenſibiliter quidem immutat, ita tamen, vt nullus labor guſtandi ſuccedat primum gradum exceſſus aſsignat: ſed quod magis imprimit, vt iam laborē inuehat, in ſecūdo gradu Gal. collocat: vbi iam incipit planè efficaciter immutare, & alterare cum inſigni labore, in tertio gradu pònit: vltimo verò quod penè exterminat, & à proprio temperamento excutit, ac vehementer oppugnat, in quarto gradu, & vltimo ſtatuetur. His Gal. fundamentis ita poſitis, dicamus quantum ad qualitates primas totum iuditium ſemper eſſe guſtui tribuēdum, vt diſcernatur aliquid calidum, frigidúmne ſit, humidum, an ſiccum, guſtu inquam perpēdimus an ita ſit, ſed poſtea etiam experimento per applicationē ad corpus humanū experiemur nō ſemel, ſed ſæpius, & ſi quandoque

inueniemus experientia ei, quã ex guſtu inuenimus, & collegimus, aduerſari, rectè cõſiderabimus, quia tunc proculdubio in experiẽtia delinquimus, opinando per ſe eſſe, quod fuit per accidẽs: vt ſi quis eryſipelati ſuccũ lactucæ admouerit, & inde maiorẽ æſtum perceperit, quoniã calor loci magis in ſeipſum receſſit, meatúſque cutis obſtructi, ac trãſpiratione prohibiti ſunt, propterea quoque putredo calorem adauxit, vel ſi quando exempli gratia acetabulum decocti endiuiæ, febrem ardentem patienti porrigatur, atque inde magis inflammetur, quoniam in debile obiectum potentiſsimus calor valenter egit, & in proprium alimentum conuertit, opineríſque in vtroque exẽplo eueniſſe per ſe, quod per accidens cõtigerit. Semper igitur vera erit regula à guſtu, ſi modò recto experimento ipſam comprobaueritis. Eſt etiã alia fallacia, quæ te facilè decipiet, niſi diligẽter animaduerteris, vt ſi aſſumpſeris medicinam, in qua ſint contrariæ qualitates ſaporum, & ipſam indices tanquam ſimplicem ex eo, quod primo tibi guſtanti occurrerit, vt ſi centaureum minus guſtaueris, atque ex amaritudine caliditatem illius ponderaueris neglecta acerbitate, quam non percipis, tunc enim planè errabis, quoniam ſimplex indicabis, quod eſt compo-

ſitum : in hoc ergo oportet te cauere, & cautè ambulare, & exercere ſenſum tuum in ſimplicibus primo ſaporibus, deinde quoque in compoſitis : non multo enim tempore id facies, ac ſumma vtilitate ſingulorum differentiam percipies. Neque *enim tanquam puer deterreri oportet, ſi exempli gratia abſinthiũ guſtaueris, ob eius amaritudinem ita, vt abominatum expuas, nec velis vlterius guſtare, atque inde ex ſocordia credas abſinthium tantùm amarum eſſe, quia ſi viriliter contempta amaritudine diutius ſub palato verſaueris, elicies longe maiorem acerbitatẽ, quàm fuerit amaritudo, in profundo meritò latentem quoniã in craßiori ſubſtantia fundatur, & quidem frigida, quæ non facile ad actum ducitur, vt ſupra oſtendimus : amaritudo autem cum fundetur in ſubſtantia ſubtili calida, terrea quidem, ſed attenuata à calore facile ad actum ducitur, ideo longè prius percipitur.* His *igitur in iudico cautius obſeruatis, cum granum tritici exempli gratia, aut capillos veneris, maluámque guſtaueris, quantum ad caliditatem, & frigiditatẽ attinet (nam de his ſolis duabus loquimur nunc, inferius vero de reliquis contrapoſitis loquemur, quas paßiuas vocant) ſecundũ regulam à guſtu ſumptam nullũ exceſſum*

ceſſum inuenies, nã ex earũ guſtu nihil prorſus lingua immutatur, ita vt contrahatur, vel ſtimuletur, vel aſperetur, aut ſimile quid extraneum patiatur. Merito igitur tẽperata eſſe inter frigiditatem & caliditatem hæc & reliqua huiuſmodi iudicabuntur. Ad caliditatem vero accedentia in primo gradu ſunt chamæmelũ, flores liliorum alborum, ſemen lini, &c. quorum ſingula aliquo modo linguam feriunt, ſed blandè ita vt potius delectent: in ſecundo locantur anetum, apiũ viride, fœniculum, herbas virentes intelligimus, non autem ſemina habentes, hæc enim incipiunt iam manifeſtè linguam irritare. In tertio verò gradu erucam, thymum, ſemen fœniculi, aniſum & huiuſmodi pones: in quarto euphorbium, piper longum, ac reliqua, quæ manifeſtè adurunt, hæc quantum ad caliditatem ſimplicem attinet, nullam aliam qualitatem ſeu primam ſeu ſecundam conſiderantes. Pro frigiditate autem ſciendum ex oppoſito frigida ad actũ non duci ab humano calore, niſi prout ad minima ſecantur, & per motum arteriarum attrahuntur: ipſa ergo occurſu ſuo agunt, & proprias qualitates imprimũt. Igitur quæ ita linguæ offeruntur, vt ſenſum quidem frigiditatis, ſed leuem admodum incutiant, illa in primo gradu ſunt

collocanda, ſicut endiuia hortenſis, præſertim quæ hyemali tempore domita fuerit, alioquin ſubamareſcit, & caliditatem participat vt ex prædictis fundamentis patet. Quæ vero vlterius refrigerant ita, vt iam linguæ calor obtundatur, in ſecundo gradu frigiditatis collocabuntur, ſicut nymphæa, cucurbita, cucumeres, ſemen pſylij. At quæ vlterius refrigerant, vt iam ſenſum ſtupefacere planè incipiant, illa in tertio gradu frigida ſunt, ſicut inſquiamus, pomum mandragoræ, & ſemperuiuum. Quæ vero exactè ſtupefaciunt in quarto eſſe frigida dicuntur, cuiuſmodi pauer nigrũ, cicuta, ac reliqua frigida venena. Hæc de inditiis calidi, & frigidi à guſtu ſumpta ſufficiant. *Vnum hic diligenter obſeruandum eſt, quòd amara quæ nulli alij ſapori admiſcentur, cum aptiſsimè feriant linguam, atque ad profundum penetrent, & humorẽ exhauriant, calidiſsima omnia ſunt ita, vt planè ad tertium gradum accedant, vt nitrum: ſed non facilè medicamenta huiuſmodi inuenies, imo ferè omnia cum adſtrictione admiſcẽtur: ideo à frigiditate adſtringentium eorum calor longè magis moderatur, vt rarò ſecundum gradum caliditatis excedant, ſed plerũq; infra primum conſiſtunt: ratio autem huius eſt, quoniam amarum (vt*

ſupra

ſupra diximus) fit à ſubſtantia terrea, quæ calore attenuata fuerit: in huiuſmodi autem attenuatione terreæ illius & craſſæ ſubſtantiæ ſemper maxima portio remanet, cui propter multam craſsitudinem parum aut nihil calor dominatur. Hæc igitur cruda, & frigida permanens cũ ſua naturali acerbitate reſiſtit calori partis attenuatæ & ita redditur illud mixtum temperatæ caliditatis. Signum huius rei eſt, quoniam ſi ſuccus à rebus amaris exprimatur, ſicut ſuccus abſinthij, longè calidior eſt, vt Gal. atteſtatur, quàm tota ſubſtantia quoniã pars ſubtilis terrea à calore dominata ſeparatur à ſubſtantia craſſa frigida per expreſsionem. Quantùm vero ad qualitates paſſiuas attinet, licet nonnihil quoque ex guſtu iudicetur, ſiq; ſit calor admixtus ſiccitati, proculdubio ſemper acutior, humido verò languidior ſit ita, vt non facilè inuenias, quæ cùm humida ſint, primum gradum caliditatis excedant, frigiditas verò tam cum humiditate quàm cum ſiccitate vſq; ad vltimum gradum attingit ita, vt quandoque Galenus non dubitauerit affirmare ſuccum papaueris nigri frigidum eſſe & ſiccum in quarto gradu, vt in principio lib. de temperaturis: nihilhominus quoque & ſi hæc ſe rectè habeant, vera methodus inueniendi has

qualitates paſſiuas potius ex modo ſubſtantiæ aſſumitur conſiderando grauitatem, leuitatem, aſperitatem, lenitatem, mollitiem, duritiem, viſcoſitatem, & ſuum oppoſitum, quod Græci dicunt ἀγλισχρότητα, *craſſitudinẽ, tenuitatem, & reliqua huiuſmodi quartæ ſpeciei qualitates quas naturales potentias, vel impotentias appellant.* De his *igitur methodo ac certa ratione indagare oportet vt medicamentorum vires exquiſitè cognoſcamus.* Circa *quod primum ſupponendum eſt à ſicco cum humiditate temperata ſaporem generari, & ſecundum diuerſam proportionem victoriámq; & defectum ſiccitatis dicitur varios ſapores emergere: ab humido enim quatenus humidum eſt inſipiditas prouenit, ideo aqua quantò purior tantò inſipidior eſt: terram autem non talem inuenies, quæ non habeat ſaporem certum, propterea quantum ad hoc rectè dixit* Auerrhois *ſecundo de anima comment.* 105. & 6. *ab humiditate & ſiccitate ſapores fieri, licet poſtea non rectè dicat magis ab humiditate & ſiccitate ſapores fieri, quàm à caliditate & frigiditate: caliditas enim & frigiditas concurrunt tanquam agentia, humiditas vero & ſiccitas tanquam patientia: ſed agenti debetur magis ratio cauſæ quàm materiæ.* Hoc *ita ſuppoſito*

poſito tentemus prius an etiam ex ſaporibus methodus aliqua nobis oſtendat humiditatis & ſiccitatis dominium in medicamentis, vtque hoc rectius facere poßimus omnino nos non lateat tanquam maximum totius rei fundamentum, hoc quod diximus, humiditatem inſipiditatis eſſe cauſam, ſiccitatem verò ſaporum: ex hoc enim ſequitur, omnia ſapidiſſima, id eſt, quæ ſapore aliquo excellũt, & in lingua valide imprimunt, ea omnia habere ſiccitatis dominium ita, vt pro impreßionis vehementia accipi, ac diſtingui poßint gradus ſiccitatis, veluti etiam de caliditate, & frigiditate diximus. Quæ vero vel nullum, vel debilem admodum ſaporem efficiunt ea humida eſſe, atque hanc in animo tuo metam præfigere debes, quæ nunquam te fallet, niſi vbi medicamenta, quæ experieris, ſint diuerſæ ſubſtantiæ: ſed tunc eam ſubſtantiæ diuerſitatem, ex diuerſitate ſaporum arguere debes, ita vt in humiditate, & ſiccitate deprehenda idem facias, quod prius in caliditate, & frigiditate docuimus facere. Quod vt commodius efficiatur, methodo procedendum, quam ſtatim docebimus. Partes ſiccæ, & terreæ, quas ad ſapores generandos humiditati neceſſariò admiſceri diximus, vel ſunt craſſæ, ac denſæ, vel tenues, vel mediæ. Si craſſæ, vel

eas exuſsit calor, & aſſauit, & ſic, ſi medio-criter exuſſerit, efficietur ſalſedo, ſi multùm amaritudo. Ex ſalſedine igitur, & amaritudine indicabitur ſiccitas, & ex aduſtione ſubſtantiæ craſſæ, quẽadmodum indicabitur etiã caliditas: & ſecundum proportionem ſalſedinis, & amaritudinis, erit proportio ſiccitatis: quæ enim erunt plurimùm ſalſa, plurimã habebunt vim exiccandi, quæ amariſsima potentiſsimam vim exiccandi. Meritò ergò, tam ſalſa, quàm amara putrefactioni reſiſtent. Vel cùm craſſæ huiuſmodi partes fuerint, frigus in illis caloris loco dominabitur, & inde reſultabit ſapor acerbus, adſtringens valde, exaſperans, quem ſicuti frigiditatem indicare diximus, ſic etiam longè magis ſiccitatem indicabit, dico magis longe ſiccitatem, quoniam abſentia caloris concoquentis partes humidæ non ſunt præparatæ ad temperamentum, ſed potius vi frigoris expreſſæ, exhalante calido, ac ſimul hauriente humidum. Ergo ſecundum proportionem acerbitatis limitantur ſiccitatis gradus, ita, vt quæ acerbiſsima ſunt ſicciſsima eſſe iudices, ſicut diximus de amaro, & ſalſo. Amara enim & ſalſa non contrariantur acerbis ratione materiæ ſubiectæ, ſed ratione caliditatis, & frigiditatis, & formæ. Si verò terreæ partes ſubtiles

les fuerint, vel illis dominabitur calor & inde reſultabit acrimonia, quæ quidẽ maior erit, aut minor, ſecũdũ victoriã, aut defectũ caloris. Acria aũt ſicut calidiſsima, ſic & ſicciſsima ſunt, & cum ſiccitas hæc tam intẽſa fundetur (vt diximus) in ſubſtantia ſicca ſubtili, habent huiuſmodi medicamenta vires igni valde propinquas, incîdunt, colliquant, adurunt, putrefaciunt, eritque ſemper proportio harum actionum conſequens proportionem acrimoniæ. Si vero hæc terrea ſubſtãtia ſubtilis non vincatur à calore, ſed à frigore, reſultabit inde ſapor acidus. Ergo ſicut à ſapore acido arguebatur frigiditas, ita ab eodem arguitur ſiccitas: & quoniam hanc ſiccitatem in ſubſtantia tenui fundari diximus, propterea, quæ acida ſunt, vim habent penetrandi, & ſua penetratione vim diuidendi ſubſtantiam, ergo & incidendi. Ex quo apparet quãtum decipiantur, qui credunt acida habere vim adſtringendi, cum adſtringentia, & acerba ab acidis differant ſubſtantia, nõ qualitatibus, vt oſtenſum eſt, niſi fortaſſe dicant ea adſtringere ratione frigiditatis, ſed nõ aduertunt huiuſmodi frigiditatem facilè vinci à calore naturali, cum ſit in ſubſtantia tenui, & alioqui non ſit multum alienata, quoniam quæ acida ſunt potius ratione cuiuſ-

dam putredinis ad talem ſaporem perueni-unt. Ab ea enim ſubſtantia terrea ſubtili aquoſitati mixta calor innatus expirauit: ideo non ab re dixit Galenus, in libro tertio de cauſis ſymptomatum, acidos humores in ſtomacho putredinem generare. ergo non multum frigida ſunt, qualia ferè omnia, quæ ob putredinẽ refrixerunt. Ex dictis elicitur ſaporẽ acrẽ, & acidum non diuerſificari ſubſtantia, ſed qualitatibus: propterea vterque incidit, colliquat, præſertímque hoc poteſt acetũ, quoniam habet acrimoniam iunctam cum aciditate, ſuccus autem limonum tantæ aciditatis eſt, & in tenuiſsima ſubſtantia fundatur, vt acetum etiam incidendo, & colliquando ſuperet, & clarum eſt hoc experientia, cuius facultates neque à Galeno, neque ab antiquis deprahẽſas eſſe video, neque enim omnia experiri potuerunt. Si verò ſubſtantia terrea ſicca media fuerit inter ſubtilitatem, & craſsitiem, vel illi calor dominabitur, & inde reſultabunt dulcedinis omnes ſpecies, ſecũdum diuerſos gradus caloris. ergo iuxta caloris iudicium, quod à ſapore ſumetur, idem omnino iudicium de ſiccitate ſequetur. Si enim remiſſa erit dulcedo, remittetur etiam calor, & ſiccitas: propterea omnia pinguia, & oleaginoſa, niſi aliquis alius ſapor admixtus fuerit,

fuerit, vel ratione putredinis, vt in adipe rãcido, vel ratione naturæ, vt in adipe hircino, leonino acrimoniam habente, omnia temperata ſunt, tum in caliditate, tum in ſiccitate. Quæ vero dulciora calidiora etiam, & ſicciora, ſecundum proportionem dulcedinis ita, vt quæ dulciſsima admodum ſunt, etiã exiccẽt, imo propter caliditatem, quæ impreſſa eſt in ſubſtantia illa media, acquiſiuerunt etiam aliquid acrimoniæ, vt patet in melle. Si verò ſubſtantia terrea, quam diximus eſſe mediam, non ſuperetur à calore, ſed à frigore, ſapor inde emerget auſterus, qui ſicut indicat frigiditatem, ita etiam indicabit ſiccitatem, in auſteris tamen magis dominatur frigiditas, quàm ſiccitas, quoniam auſtera ſubſtantiam habent terream, ſicut diximus, moderatam, inter craſsitudinẽ, & tenuitatem, minime coctioni rebellẽ. Neque enim eſt purè terrea craſſa, neque ſubtilis ignea: auſteritatem igitur nacta ſunt, non ratione materiæ ſubiectæ, ſed ratione multæ frigiditatis, & cruditatis: propterea meritò dicuntur frigidiora, quã ſicciora. Hinc eſt quòd ſæpe plurima medicamenta auſteri ſaporis, habẽt etiam ſubſtantiam aqueam adnexam, ac eadẽ ratione euenit, vt pleriquefructuũ, primo auſteri ſint ſaporis, deindè proximè dulceſcant, ſi tantum

ſubſtantia à calore ſuperetur, & concoquatur. ab auſteritate enim ad dulcedinẽ fit trãſitus per nullum medium, quoniã ſcilicet dulce ab auſtero non differt ſubſtantia ſed qualitate. At ea, quæ inſipida ſunt, proculdubio oſtendunt minimam habere ſiccæ ſubſtantiæ portionem. ſi enimverũ eſt quod ſuppoſuimus ſapores fieri ex admixtione ſicci cũ humido, ergò ſi plurimum aquæ, minimum terræ habuerint inſipida, relinquetur, illa omnia habere vim humectãdi. Et ita à ſaporibus, nõ minus qualitatũ paſſiuarũ vires, quàm actiuarum hac methodo eliciuntur, & non tantum qualitates, ſed etiam gradus, ſemper mẽtiendo vim impreſſionis cum intentione gradus. Hæc ſemper verificabuntur, ſi ſimplices ſubſtantias conſideraueris, ſæpe tamen contingit diuerſas ſubſtantias in eodem medicamento naturaliter commiſceri ita, vt ſimul tenuis cum craſſa, aquea cum ſicca iungatur, ſed id medicamentum ſi rectè, & diligenter aduertas, ſicut diuerſas facultates, ita diuerſos quoque, & refractos habebit ſapores. Vbi non parum confert ad exactam notitiam modos quoque ſubſtantiæ conſiderare in mollitie, duritie, craſſitudine, tenuitate, friabilitate, ac lentore, reliquiſque huiuſmodi, ac ſaporibus ſapienter conferre, &

& ita in omnibus, vel veritatem aſſequê-ris, vel præ cæteris ad eam proxime accedes. In huiuſmodi vero naturalibus potentiis, ſi fateri verum velimus, nulla regula admodum tuta eſt, aut perpetua: nam inuenies omnia quidem, quæ ſi cæ ſubſtantiæ ſunt, vim quoque habere exiccandi: non tamen omnia quæ humida ſunt illa etiam humectant, imò quandoque validiſſimè exiccant, ſicut vinum potens, & aqua ardens. Cauſa huius rei eſt quoniam (vt ſæpe diximus) medicinæ tales, aut tales dicuntur, non ſecundum exuperantiam elementi in mixto, ſed prout variè à calore humano ad actum ducuntur. Quæ igitur aqueæ, humidæque ſubſtantiæ ſunt ſi aëreas quoque, igneáſque, & facile inflammabiles partes in temperatura habuerint, ita vt corpori oblatæ aptiſsime ad actum ducantur, igneſcántque, neque enim difficile eſt calori humano tenuem, liquidámque ſubſtantiam euincere, cum actus calidi ignei inflammati, ſubito tam valide appareat, euenit, vt quicquid in corpore excrementoſi humoris occurrit, concoquat, ac per halitum digerat, atque ita, non apparente alia eius medicamẽti actione, quàm per calorem reſolutione, merito dicimus exiccare, cum ta-

men in propria ſubſtantia humidum fuerit, ac proculdubio partes aqueæ in illo dominentur. Atque iſta eſt ratio, quòd Ariſtoteles, *tum in problematibus, tum in quarto libro* Meteororum, *vinum ſemper humidum vocauerit, cum tamen* Galenus *exiccare dicat, ſi illud medicamenti loco, & non alimenti conſideremus.* Ariſtoteles *enim ſubſtantiam mixti conſiderauit, nulla facta ad aliud relatione, Galenus vero prout talem effectum in corpore humano imprimit. At quæ ſiccæ ſubſtantiæ ſunt ob humoris multam indigentiam, quecunque modo ad actum ab humano calore ducantur ſemper exiccant, neque enim in iis mixtis eſt aliqua humoris exuperantia, quæ corpus afficere poſsit, ſicut erat caloris exuperantia in vino potenti, & aqua ardente.* Iure *ergo Gal. in* 11. *de ſimpl. med. facul. à ſiccitate ſubſtantiæ quæ eſt in Caſtoreo arguit exiccandi facultatem: argumentum autem quod ab humiditate ſumi poteſt, in eodem capite limitat dicens, ea quæ humidæ ſubſtantiæ ſunt, ſi caliditatem non naturalem, ſed aduentitiam, extraneámque habeant, illa quidem omnia calefacere, non tamen exiccare, ſicut patet de aqua, & oleo calefacto: at quæ facultatem intrinſecam habent calefaciendi, oppoſitum faciunt, & cau-*

ſa

ſa eſt, quam prædiximus, quoniam in eorum temperatura ſunt partes igneæ, & inflãmabiles, quæ ad actum ducta agunt, ſopitis partibus humidis, ac ſæpe à calore diſcuſſis, aut per proprios meatus excuſſis. Quæ verò viſcidæ, & lentæ ſubſtantiæ ſunt, ſiue craſſitudinem, ſiue tenuitatem habuerint, manifeſtum inditium præbent, vim habere humectandi, ſi præſertim cum lentore ſint, inquinatiua. Indicãt enim ex lẽtore, & inquinandi potentia, aëream ſubſtantiam cum aquea plurimum eſſe commixtam. Si verò quæ viſcida ſunt, non modo non inquinabunt, ſed etiam abſtergent, ea potius habebunt vim exiccandi, vt patet de melle, terebinthina, & reliquis. Ratio eſt, quoniam abſterſio fit per partes terreſtres attenuatas, vt inferius oſtendemus. At quecũque ſcabra aſpera, & ſqualida ſunt & quæ facile conteruntur, ea exiccandi vim arguunt. Hæc enim omnino ſiccam ſubſtantiã conſequuntur, ſiue illa craſſa ſit, vt ſcoria ferri, ſiue tenuis, vt pumex, aut ſpongia. Spongia verò teri non poteſt, cum ſicca ſit, quoniam minimi quoque meatus, quos plurimos habet, copia aëris repleti ſunt, cuius ratione omnes ictus conterentis effugit, ideo ſi aduratur euaporato aëre, meati-

búſque deſtructis facile teritur. Hac via inſiſtens poteris etiam ab his effectibus, modus ſcilicet quos naturales potentias vel impotentias vocimus, non parum elicere, vt intelligas, quæ ſiccæ, & quæ humidæ ſint ſubſtantiæ.

DE SECVNDIS qualitatibus.

NVnc quoniam vidimus, qua ratione qualitates primæ medicamentorum deprælendi poſsint, ſupereſt videndum, ſit ne etiam methodus aliqua, qua ſecundæ virtutes, & tertiæ deprehendi poſſunt. Secundæ virtutes vocantur, ſicut mollire, indurare, reſoluere, repercutere. Tertiæ verò magis particulares, vt prouocare vrinam, mouere, aut ſiſtere menſtrua. Nonnulli & quartas adiiciũt, quæ adhuc magis particulares ſunt, ſicut corroborare caput, renibus cõſulere, aut hæpati, aut ſtomacho, aut veſicæ, aut tali cuipiã mẽbro. A ſecundis igitur incipiendo, hac ratione procedemus exorſi ſemper à natura rei. Rarefacere eſt rem ſolidam, ac craſſam, tenuem, ſpongio-

ſpongioſámque reddere: cùm autem notum ſit ex ſuperiori ſcientia, calidi eſſe aperire, & frigidi adſtringere, ſequitur, quòd ſi cutim, aut carnē, aut muſculos, vel aliam corporis partem denſiorem rareſacere volueris, proculdubio caliditate opus eſt: quoniam vero calidum non agit, niſi per contactum, ſi aperire debet, oportet quòd penetret ad profundum rei aperiendæ: ergo nō tantùm caliditate indigemus, ſed etiā tenuitate ſubſtantiæ ſi rarefactio faciēda eſt. Caliditas autem excedēs, & intenſa non rarefacit, ſed adurit, & per aduſtionē cōdenſat, adſtringit, & exiccat, vt patet in rebus aſſatis, & torrefactis. At moderata caliditas aperit ſibi vias, & quod obſtat ingreſſui, mediocriter per halitum diſcutit ſine aliqua exiccatione ſubſtantiæ membri, vt patet de aëre balnei, & continentis temperatæ caliditatis, & aqua tepida. Ergo medicinæ, quæ rarefaciunt, debent eſſe moderatæ caliditatis, ne adurant, tenuis ſubſtantiæ, vt penetrēt ad profundum, humidæ, vel ſaltem temperatæ, ne exiccent: talia ſunt camemalum, altea, butirum recens, adeps ſuilla, oleum dulce, quale eſt ſabinum, & cætera. Cōdenſare autem eſt rem raram, humidamque incraſſare, ſolidiorémque reddere, hoc fiet cum his, quæ moderatè frigefaciunt,

exiccãt, & adſtringunt. Si enim horum aliquid immoderate fieret, à fine delabereris, nã frigidiora obſtruerent meatus ita, vt in ſuperficie tantum fieret condenſatio, in partibus verò profundis rarefactio remaneret. Acerbitas enim multa propter ſubſtantiæ craſsitudinẽ penetrare nõ ſineret: at ſiccitas immodica exaſperaret potius, inanéque proprio humore mẽbrũ efficeret quàm ſolidũ faceret. Ergo moderata ſiccitas, & adſtrictio in habẽtibus, vim cõdẽſandi, quærẽda eſt. talis eſt hypociſtis, radix rubi, lẽtiſcus, acacia, ſed nõ hæc noſtra à prunis adulterata. Circa mollitiẽ, & indurationẽ ſciẽdũ, ea dici dura, quæ tactui reſiſtũt, mollia, quæ cedũt eadẽ ſeruata ſuperficie, vt habetur ab Ariſtotele in quarto meteororũ. Dico eadẽ ſeruata ſuperficie, nam aqua cædit quidem, ſed diſijcitur à tangente. Durum igitur poterit eſſe aliquid, vel quia ſiccum vt os, lignum, vel quia congelatum, vt glacies, grando, vel quia plenum, vt vter flatibus inflatus: molle autem oppoſitis modis, vel quia humor expirârit, vt lutum, vel quia ſit colliquatum, vt aloë, gummi, quod incaluerit, vel quia vacuũ, vt cutis, & caro laxa. Totidem itaque modis erunt medicinæ, quæ indurant, aut molliunt: nam quando aliquod durum mollire volumus,

quod

quod ſiccitatis ratione tale ſit, illud contemperamus per ἐπίκρασιν, cum rebus humidis, & moderatè calidis, quæ ſi viſcoſam ſubſtantiam habuerint, tanto fœlicius res peragetur: humiditas enim ſiccitatem corriget, caliditas verò temperata adiuuabit, vt humiditas penetret ad profundum ſine vi reſoluendi. quòd ſi viſcoſitatem quoque habuerint retinebũt calorem innatum membri, debilem alioqui ob intemperiem aduentitiam, atque ita concoquetur alimentum quod ad ipſum deferetur, & hac quoque ratione humectabitur locus. Quæ verò adeo ſicca ſunt, & terreſtria, vt anguſtiſſimos, & nullos penè meatus habeant, per quos humidum penetrare poſſit, ſicut os, & lapides, hæc nõ poſſunt per ἐπίκρασιν emolliri: & ideò huiuſmodi mollientia, temperate calida, & humida fruſtra exhibere ſolemus calculos in veſica patiẽtibus, ſicuti quotidiana experientia deprehendimus. Ea igitur adhibenda ſunt, quæ humidam quidem, imo fluentem ſubſtantiam habent, ſed illam tenuiſsimam cum multis partibus igneis, vel terreis attenuatis ſimul admixtis. Ad hũc igitur vſum cõceſsi ſunt liquores omnes, qui vel purè acidi ſunt, vt ſuccus limonum, vel purè acres, vt ſuccus chelidonij, vel

mixti ex vtroque, acrimonia, inquam, & aciditate, vt acetum, quod etiam potentius redditur, ſi aliquod illi acre infundatur, vt ſcilla: propterea acetum ſcilliticum efficaciſſimum eſt. Non *mirum igitur eſt, ſi medici, ad frangendos calculos, ſummopere extollũt ſuccum limonum, & chelidonij, & oximel ſimplex, vel ſcilliticum.* Hæc *enim & quæcũque talia ſunt ſub hoc ordine cõſtituta ſemper huiuſmodi vſibus proſpera experiemur: à tenuitate enim ſubſtantiæ habent, quòd penetrent, ab acrimonia ſiue aciditate, quòd incidãt, & in minutas partes diſſipẽt, ab humore copioſo, quòd madefaciãt, & colliquent.* Quæ *verò molliunt ea quæ propter frigus fuerũt congelata, ſicut eſt ſcirrhus à pituitoſa materia per congelationem indurata, calida, & ſicca eſſe oportet: quæcunque enim per frigiditatem congelantur, per caliditatem ſoluuntur, vt dicitur in quarto meteororum Caliditas autem, ſi debilis fuerit, impotens erit ad ſoluendam materiam, ſi intenſa iam non tantum ſoluet, ſed etiã reſoluet, & ita ſubtilioribus partibus materiæ reſolutis reliquum poſtea gypſeum, & immedicabile efficietur.* Ergo, *quæ congelata ſoluunt, neque nimis intenſæ, neque remiſſæ caliditatis ſunt eligenda: talia autem ſunt, quæ in ſe-*

cundo

cundo gradu calefaciunt, ſicut in primo conſtituta imbecilliora haberi debent, ita in tertio validiora. Hinc *euenit, quòd quæ congelata ſoluunt, non tantum calida ſunt, ſed etiam ſicca: quæ enim ſecundum gradum caliditatis attingunt, maxima etiam ex parte exiccant.* At *quoniam, ſi quæ calida, & ſicca ſunt in ſecundo gradu, ea etiam eſſent tenuis ſubſtantiæ, periclitaremur, & non tantum ſolueremus congelata, ſed etiam partes ſolutas, & emollitas per halitum diſcuteremus, quod eſſet præter rationem, & præter illud, quod hic intendimus: ideò non tantum eligere debemus, quæ ſint in hoc ſecundo calida, & ſicca, ſed quæ cum his habeant aliquam partem terreſtreitatis, & adſtringendi facultatem, ratione cuius adſtrictionis introrſum arceantur ſoluti vapores, nec difflari ſinantur, vel ſi adſtringendi vim non habuerint, habeant ſaltem vim emplaſticã, qua meatus obſtruantur, & ſimilis difflatio prohibeatur.* Optima *igitur erit illa medicina ad hunc vſum, quæ vtriuſque facultatis particeps erit: ideò ammoniacum, bdelium, cum huiuſmodi ſint, ad emolliendum reliquis omnibus præferuntur, quibus ſuccedunt ladanum pingue & hyſſopus humida.* Ad *emolliendum, autem, quæ propter*

plenitudinem induruerunt, ſicut ſunt loca omnia inflammata, requiruntur proculdubio, quæ meatus nimia mole oppreſſos, & conſtrictos aperiant, quia materia in loco inflammato contenta, alioqui tenuis, calida, humida, & vaporoſa, non putreſcit, & ebullit, niſi quia meatus obſtructi ſunt, & coarctati: calidis igitur indigemus, nam quæ aperiunt calida ſunt. Sed ſi calor exceſſerit, duo maxima incõmoda efficiet, alterum quòd augebit qualitatem morbi, alioquin calidi, & feruentis, alterum quòd nouam attrahet materiam: calidi enim eſt attrahere, & ita non qualitas tantum morbi, ſed etiam ſubſtantia augebitur. Cùm ergo calor, non ratione ſui ipſius ad hunc vſum, ſed ex accidenti ſit opportunus, quatenus ſcilicet aperit meatus modica caliditate indigemus, ob id ad emolliendas inflammationes remiſſe calida eligimus, qualia ſunt in primo gradu conſtituta, vel proximè accedentia ad tẽperamentum. Quoniam verò quod ita plenũ eſt, etiã extenditur, & ex tali extẽſione cauſatur dolor, & noua attractio, & inde fit augmentũ morbi, ideò optimè conſulimus medicinas eligendas, nõ tantùm remiſſi caloris, ſed etiã aëreæ humiditatis participes. Talis enim humiditas vaporoſa maximè fa

cit

cit ad intentionẽ relaxandã: ergo aqua tepida maxime cõuenit, & decoctũ chamæmeli, altheæ, maluæ, & oleũ dulce, quale ſabinũ, butyrũ recẽs, & alia huiuſcemodi. Quot autẽ modis res ĩdurata emolleſcit, tot oppoſitis mollita indureſcit. Si ergo aliquod membrum in corpore ꝑpter aduentitij humoris copiã fuerit emollitũ, ſicut caro in vlcere, certũ eſt, quòd rebus exiccãtibus indigebit: ſed ſi ea quæ exiccãt vel mordicarent, vel eroderent, vel putrefacerẽt, mordicãtia, & erodentia plus attraherẽt materiæ, quã reſoluerẽt: putrefacientia autẽ non tãtùm humiditatẽ aduentitiã exiccarent, ſed etiã innatũ corrumperent. Exiccãtia igitur ad hunc vſum conuenientia erunt, ſed tamẽ à mordicatione, eroſione, & putrefactione aliena eſſe debent: talia erunt, neque intenſæ caliditatis, neque intẽſæ frigiditatis. Nam quæ frigida intenſè ſunt, licet nõ mordicent, aut erodant, calorem tamen innatum extinguendo putrefaciũt. Sint igitur in qualitatibus actiuis cõtemperata, vel ſi excedant ad alterutrum, nõ multùm vltra primũ gradum eleuentur, vel ſi frigida fuerint, ad ſecũdum tantùm gradum perueniant. Tales ſunt ferè omnes ſpecies cinerum ablutorũ, balauſtia, gallæ, valeriana, ſumach, & reliquæ huiuſmodi. Quòd ſi aliqua molleſcãt laxentúr-

que nimio calore ſoluta, frigidis proculdubio occurremus. Sed quoniam quæ ita molleſcũt exhauriente calore, multum humoris deperdunt, vt patet in his, quæ redundanti humore afficiuntur, propterea adhibemus ea, quæ cũ frigiditate humectant, vel ſaltem non exiccant, exiccatione aliqua inſigni: quod cum ita ſit, patet neque admodum adſtringentia, neque acerba cõuenire, nã hæc ad exprimendum potius ſunt idonea. Sed quoniã frigus intenſum non tantùm refrigerat, ſed etiam cõprimit, & exprimit, ideò frigiditatis exceſſus eſt remittendus: ergo frigida ad hunc vſum accommodata intra ſecundum frigiditatis gradum conſiſtentia ſunt, eruntq; humida, vel ſaltem parciſſimè exiccantia, nullámque, aut modicam, vim exiccandi habebunt. Quòd ſi & illis vires emplaſticæ inerunt, nihil ad finem aſſequendum deerit. Tale eſt oleum roſaceum, violaceum, ſuccus lactucæ, oleum nenupharinum, lenticulæ & paluſtrium tribulorum. Si tamen talis remollitio in ventriculo, aut hæpate fuerit, vel membro huiuſmodi, in quo calor conſeruandus ſit, tutius adhibebimus quæ præter refrigerationem, etiam adſtringant, vt oleum immaturum, quod omphacinum vocant, ſuccus mali citrij, plantaginis, & huiuſmodi. Ad

membra

membra propter vacuitatem remollita, ſicut contingit in atrophiis, & tabe, calidæ, & ſiccæ medicinæ, attrahentes ſunt neceſſariæ: indigemus enim attractione alimenti ad locum, quæ quidem fiet rebus calidis, in quibus inſignis eſt caliditas, neque enim à quolibet calore fit attractio, ſed à vehementi. Cùm autem in attenuatione requiratur apertio, vel latitudo viarum, propterea huiuſmodi caliditas fundari debet in ſubſtantia ſubtili, aërea, & ignea: terreſtris enim, & craſſa conſtringeret, conſtiparétque, & progreſſum attenuati alimenti impediret. Ergo ad hunc vſum elligere oportet medicinas, quæ in tertio gradu calefaciunt, & exiccant, & quarto etiam, ſi affectus intenſus fuerit, vt cum caliditate, ſubſtantiæ tenuitas adiungatur. Talia ſunt opopanax, ſuccus cyrenaicus, pix & reliqua ad dropaces conficiendos idonea: intenſiora verò ſunt euphorbium, pyretrum, ſinapi, & allia, quæ ad ſinapiſmos conficiendos, & metaſyncriſeis admittuntur. In quibus omnibus vnum perpetuò circa appoſitionem obſeruandum eſt, ne diutius loco affixa permittantur, ſed confeſtim remoueantur, vbi rubor apparuerit: alioqui vis redundãs caliditatis in medicamento reperta, non attrahet tantùm, ſed etiam attra-

cta reſoluet, & ita locum magis euacuabit. Hactenus recta methodo (ſicut opinor) indagauimus, quæ nã medicinæ, tum emolliendo, tũ indurando ſint idoneæ, quacũq; cauſa mollities proueniat, vel durities. Nũc de emplaſticis, & abſtergentibus conſequẽter agendũ.

DE EMPLASTICIS, & abſtergentibus.

Εμπλάττειν autem dicunt Græci, quod nos oblinire poſſumus interpretari. Eſt autem oblinire, craſſa materia aliqua, & tenaci aliquos meatus inanes opplere, & obſtruere, ad quod conficiendum ſatis conſtat nos, neque ſubſtantia admodum calida, neque ſicca indigere. Nam potius calor attraheret, aperiret, exugeret, ſiccitas autẽ exiccaret, & inaniret, quæ omnia oppilationi, & obſtructioni opponuntur. Sed neque adſtringenti, terreſtrique admodum ſubſtantia indigebimus, nã illa quidem meatus adſtringet, ſed non obſtruet: aliud enim eſt obſtruere, aliud adſtringere. Erunt igitur emplaſtica humidæ ſubſtantiæ, non aqueæ fluentis, ſed aëreæ cohærentis cũ moderato calore, non reſoluente, ſed ad penetrationem adiuuante. talis eſt cera, lithargyrus, oliũ recens amium, gummi, chondrus,

oriza

oriza & reliqua huiuſmodi : ῥύπτειν autem, quod nos abſtergere dicimus, oppoſita omnino ratione, eſt loca aliqua oppleta inanire, à ſordibuſq; expurgare. Hoc *autem ſit cum his, quæ ita exiccant, vt non multùm adſtringant, nimia enim adſtrictio coarctando meatus excrementorum exitum impediret.* E*adem neque caliditatem intenſam habebunt, qua atttrahantur noua materiæ, neque multam frigiditatem, qua obſtruantur meatus. Eſſentiale igitur eſt abſtergentibus, vt habeant vim exiccandi cum tenuitate ſubſtantiæ, craſsitudo enim tranſitum, & exitum impediret. Quantum ad frigiditatẽ, & caliditatẽ attinet, neutra talẽ actũ impediet, niſi quæ exceſſerit.* V*t enim abſtergamus nõ refrigeratione, aut calefactione, ſed exiccatione indigemus: frigida enim, quæ abſtergunt, ſunt, ſicut hordeum, farina fabarum, furfures, ſuccus limonum, omphacium, id eſt, ſuccus vuæ immaturæ exiccando idẽ poteſt licet ob multam obſtructionem non adeò penetret ad profundum, ſed ſuperficiem tantùm abſtergit. Calida verò abſtergentia ſunt, ſicuti nitrum, ſapo, omnia amara, & ſalſa, ac nonnulla, quæ moderatè acria ſunt dulcedine admixta, ſicut mel, ſaccharũ: talia enim exiccant ſine attractione.*

Sunt tamē & quædam, quæ impropriè abſtergentia vocantur à nonnullis, & quæ abluunt, veluti ſunt omnia liquida, aquea, quæ ſi dulcia quoque ſunt, habent ex dulcedine ſubſtantiam quandam terreſtrem ſiccam moderatè excoctam, cuius ratione vera abſterſione participant, vnde talia media quodammodo ſunt inter ea, quæ propriè, & impropriè abſtergunt: partim enim abluunt ex aqueo liquore, partim ex dulci ſubſtantia abſtergunt: talis eſt caro, & ſuccus peponum, & melopeponum. Adhuc alia ſunt, quæ aſperitate ſubſtantiæ ſuæ extimas partes abradunt, quæ impropriè abſtergentia vocantur, ſicut eſt parietaria, lupuli, cauda equina, vitrum contritum, margaritæ, & reliqua huiuſmodi.

DE ATTRAHENTIBVS, & repellentibus.

ATtractio (vt paulò ante dicebamus) fit à medicamento potenti, calido, & ſicco cum tenuitate ſubſtantiæ, ita enim, vt validus calor attrahet, & tenuitas ſubſtantiæ adiuuabit, quod craſsitudo impediet. Calida igitur,

& ſicca

& ſicca in ſecundo gradu moderatè attrahunt, magis verò quæ ſunt in tertio, maximè quæ in quarto ſunt: attractio enim fit pro ratione caloris. At repulſio ab his fiet, à quibus attractio, & impulſus prohiberi poteſt, prohibetur autem à frigidis, nam frigidi eſt mortificare, & ad centrum ducere, tum ab acerbis, tum adſtringentibus. Acerba enim repellunt comprimēdo ſubſtantia terreſtri, & ſicca. Quæ igitur ſunt acerba, & frigida validiſsimè repellunt, ſicut eſt ceruſſa, plumbum, plantago, galla, balauſtiæ. Quæ verò alterum tantùm habuerint, pro ratione virium æquales effectus producent: alumen enim, quamuis frigidum non ſit, validiſsimè tamen repercutit, quoniam acerbiſsimum eſt. Etiam ſuccus ſolatri, & ſemperuiuæ ad id efficaciſsimi ſunt, licet acerbi non ſint, quoniam frigidiſsimi ſunt. At crocus, & ſpica nardi parciſsimè repercutiunt, quoniam cum calida ſint, & modicè adſtringant, nec diſsimili ratione ſeris, ſiue endiuia repercutiendo inualida eſt, quoniam nec multùm frigida, nec multùm acerba eſt.

DE TENSIONE ET *laxitate.*

TEnſum à duro differt: nam quicquid tactui reſiſtit, illud durum eſt, ſiue à congelatione, ſiue à ſiccitate, ſiue à repletione fiat, vt ſupra diſtinctum eſt. Tenſum autem vocamus, cuius partes ad non naturalem ſubſtantiam extendũtur, vt inde labor, dolórque conſequatur, ſi tenſum ſenſibile fuerit. Intelligimus tenſionẽ fieri per partium diſtantiam, ita tamen, vt non à ſe inuicem ſeparentur: nam tunc non tenſio ſed diuulſio, continuíque ſolutio fieret. Omne igitur quod extẽditur indureſcit, quoniam partes à ſeipſis diſtractæ extenduntur, tactuíq; minimè cedunt. At omne durum, non ſtatim tenſum eſt: quod enim ex ſiccitate, aut congelatione induruit, non habet partes extenſas, ſed potius contractas. Tenſioni opponitur laxitas. Laxum igitur dicitur, cuius partes remiſſæ inter ſe concidunt, non vi, ſed languoris interuentu: addimus non vi ad differentiam eorum quæ congelatione, aut exiccatione indureſcunt: talia enim habent partes vi frigoris, aut ſicci contractas, neque tamen laxa, ſed dura dicuntur. Ergo cùm

hæc ita ſe habeant, tenſio fiet quoties materia quædam, ſeu vapor, aut flatus vacuitates partium replent, extendiq; cogunt, aut dilatari, ſicut contingere videmus in membrorum inflammationibus. Ad tenſionem igitur tollendam euacuantibus, & diſcutientibus indigemus. Diſcutiunt autem quæ cutim rarefaciunt: porrò rarefaciunt, quæ calida ſunt, ſed non adurentia. Nam quæ adurunt ſuperficiem aſſando potius conſtipant, quàm rarefaciant. Ergo ad hunc vſum eligemus, quæ à primo vſque ad tertium gradū calefaciūt, in primo tātùm, vbi timemus attractionem, in ſecundo, & tertio vbi ſine timore attractionis validam diſcuſsionem optamus. Debent autem talia ſubtilis ſubſtantiæ eſſe, vt facilè penetrent, & craſsitudine non conſtipent: vt ſunt lilium, chamæmelum, ſemen lini, fœnumq́ græcum, ſampſuchum, pulegium, calamentum, origanum, & reliqua. At laxitas, quæ à contrarijs cauſis oritur, id eſt, quando ſpatia particularum inaniuntur ita, vt inter ſe concidere cogantur, repletione reſtituitur. Quot igitur cauſæ erunt inanitionis, tot erunt inſtrumenta repletionis. Nam ſi inanitio, & laxitas fuerit propter membri imbecillitatem, fueritque imbecillum ratione frigiditatis, congruo calore contem-

perabimus, calidáſque medicinas eligemus. Sin fuerit ratione caliditatis cum refrigerantibus occurremus. Propterea Galenus dixit, quandoque frigida, & humida membrũ corroborare: & ſic de vnaquaque intẽperie dicemus, cui ſemper medicamentis oppoſitis occurremus, & methodum obſeruabimus.

DE PVS MOVENTIBVS.

PVS mouere eſt materiã abſceſſus ad formam reducere, quæ ſit illi maximè congrua. Hoc autem non niſi à calore naturali fieri poteſt: ſemper enim coctio à calore naturali fit, ſicuti putrefactio à non naturali. Ergò in pure mouendo hoc maximè obſeruandum eſt, vt calorem naturalem conſeruemus, & ſi fieri poterit, etiam augeamus, non quidem in qualitate, ſed in ſubſtantia. Calori enim naturali conuenit, vt plurimus ſit, ſed non intenſus, aut acris, vt alibi oſtenſum eſt. In pure igitur mouendo materiam eligemus, quæ contemperatiſſima ſit, & calori naturali ſimillima. In hoc differunt maturantia ab emollientibus, quòd emollientia (vt ſupra diximus) augere debent qualitatem caloris, & conſequenter excedere membri temperaturam, cui apli-

plicantur. Maturantia vero, ſeu ſuppurantia, intra eundem prorſus gradum conſiſtere cum corpore, quod ad ſuppurationem ducitur. Sed quoniam variæ ſunt, tum hominum, tum mẽbrorum temperaturæ, ideo pro varia illarum ratione, varia ſunt ſuppurantia, ita vt eadẽ medicina alicuius corporis reſpectu poſſit eſſe ſuppuratiua, alterius verò mollitiua, ſicut alterius quoque induratiua. Nos autem, vt medendi artem ad certam methodum, quàm maximè fieri poteſt redigamus, omnium humanorum corporum temperatiſſimum propoſuimus, cuius reſpectu tales, aut tales medicinas appellamus, quod quidem in omnibus, quæ ad hanc ſpeculationem attinent, obſeruãdum eſt. Simillima igitur in calore cum temperatiſſimo corpore ſunt, primò ipſius patientis manus, quæ loco ſuppurando applicari poteſt, deinde aqua modicè calida, oleum dulce, ſuilla adeps, farina tritici. Id vnum hic eſt præcipuè attendendum: nam cùm calor innatus ſit conſeruandus, vt diximus, quæ medicinæ ſubſtantiam habebunt emplaſticam, meatus obſtruendo, plurimum efficient, ne calor, ſpiritusq; diffletur, & ita non tãtum ſeruetur, ſed etiã augeatur, quod maximè quærendum eſt. Medicina igitur, quæ verè ſuppurat materiam, non tantùm moderati caloris

eſſe debet, ſed etiã facultatis emplaſticæ. Propterea omnia vnctuoſa, & pinguia, in quibus nullus caloris exceſſus ſit, ad hunc vſum aptiſsima ſunt.

DE APERIENTIBVS, & incidentibus.

RAreſactionem ab apertione diſtinguimus. Rarefacere enim eſt ſuperficiem cutis magis ſolutam reddere, vt vapores per ipſius meatus difflari commodè poſsint. Aperire autem eſt ad profunditatem meatuum penetrare, obſtruentésque humores attenuare, abſtergere, & excutere. Ideò rareſacientia (vt ſupra diximus) modico indigent calore, & ſubſtantiæ tenuitate: aperientia autem, cùm ad profunditatem penetrare oporteat, craſſosq; humores præparare, & excutere, indigent primò craſſa ſubſtantia, & valido calore. In craſſa enim ſubſtantia calor fundatus diutius conſeruabitur, nec facilè expirabit, donec actum proprium expleuerit. Sed quoniam periculum eſſet, ne quæ calidiora ſunt, & craſſæ admodum ſubſtantiæ, magis putrefaciant, quàm aperiant, ideò ad aperiendum ſapienter eli-

ge-

gemus, quæ ſecundum caloris gradum, vel primam tertij manſionem non excedant, tan tùm verò craſſæ ſubſtantiæ habeant, quãtùm ad ſuſtinendum diutius calorem ſufficiant, & ad penetrandum magis idonea reddantur. Moderata enim adſtrictio, quæ in craſſa ſubſtãtia fundatur, ſi calori adiungatur, tantum abeſt, vt caloris tranſitum impediat, vt potius adiuuet propellendo. Amara igitur omnia maximè ad hunc vſum conuenire videntur, quæ ſupra docuimus in craſſa ſubſtãtia fundari, quam calor ſufficienter concoxit: in caliditate verò non multum excedere. Vtilia igitur ſemper inuenietis ad obſtructiones aperiendas ſiue interius, ſiue exterius applicueritis, quæ amara ſunt. Verùm quia paulò ante docuimus rationem ſemper habendam tum temperaturæ corporum, quibus occurrimus, tum etiam cauſæ facientis ægritudinem (ſæpè enim incidere poteſtis in corpora, quæ vel ratione propriæ naturæ, vel ratione materiæ obſtruentis craſsitudinem, cruditatemq́; requirunt, atque optimè tolerant ad aperiendas obſtructiones) quæcunque acriora ſunt, & vltra tertium gradum caliditatis exceſſerunt, ideò ſæpe ad vteri inflatus, ac menſes retentos ſcillam, & reliqua huiuſmodi ſæpe adhibemus vtiliter. Talis igitur ſit medica-

mentorum aperitiuorum methodus. Nunc de incidentibus loquendum eſt. Ad hoc autem, vt aliquid commodè incidi poſsit, certum eſt diuiſionem, & penetrationē ſummopere neceſſariam eſſe, ſed vtrunq; eſt caloris propriũ. At quoniam, quæ incidi oportet in corpore humano illa omnia frigida, & craſſa ſunt, nõ poſſunt autem talia à quocunque calore ſuperari, ſed à valido tãtùm, & incidi, ideò incidentes medicinas calidas admodum eſſe oportet. Eliges igitur ad incidendum quæ in tertio gradu calefaciũt. Rurſus quoniã qualitatum primarum actiones per contactum fieri oportet, qualitates autem contingi non poſſunt, ſed corpora qualia, ideò medicinæ vim incidendi habentes tenuiſsimæ ſubſtantiæ eſſe debent, vt facilè penetrent. Habemus igitur ex diſcurſu tales medicinas calidas, & ſiccas eſſe in tertio gradu, cum tenuitate ſubſtantiæ, vt aniſum, ammi, carum, fœniculum, ſeſeli, caſsia odorata, cinnamomum, ginziber, piper, ac reliqua innumerabilia. Sed de aperientibus, & incidentibus ſatis iam dictum ſit.

DE PVTREFACIENTIBVS.

SAtis conſtat putrefacientia è regione aduerſari maturantibus, tum ratione agentis,

tis, tum ratione finis. Maturatio enim ſit à calore naturali materiam ad optimam, quàm poteſt formam reducente: putrefactio autem à calore præter naturam ſit, ſubiectam materiam ad corruptionem, & rarefactionem ducente. Ergo ſi maturantia ſimillima calori naturali ſunt, putrefacientia aduerſiſsima eſſe oportet: medio enim ambo extrema aduerſantur. Cùm igitur calor naturalis temperatiſsimus ſit, & in medio extremorum cõſtitutus, pariter ab vtroque extremorũ corrumpi poteſt. Meritò ergo omnia calidiſsima, & frigidiſsima aduerſa ratione putrefaciunt, frigidiſsima quidem extinguendo calorem naturalem, calidiſsima verò ipſum humidum ex naturali temperamento, igneum præter naturam reddendo, ita vt in pernitiẽ proprij ſubiecti colliquando, & adurendo degenerent. Talia ſunt, quæ tam in frigiditate, quàm in caliditate ad quartum gradum excedũt. Sed vtraque in agendo maximè differunt, frigidiſsima enim in primo occurſu, niſi deuicerint, & extinxerint calorem paulatim debilitantur. Eorum enim ſubſtantia in corpore calido morã trahens incaleſcit, vimque ſuam amittit. At calidiſsima primo occurſu calefaciunt, & igniunt, ſed ſi in tenui ſubſtãtia fuerint, confeſtim expirant, atque à calore natu-

rali euincũtur, propemodumq́; nimio ſuo feruore ſeipſa interimunt. Verùm quorum eſt craſſa ſubſtantia, & terreſtris, cùm eorum calor ad actum ductus fuerit, adurit, ac planè colliquat: neque enim facilè difflatur, aut euincitur craſſæ illi ſubſtãtiæ tenaciter inhærens, ſicut ignẽ videmus in carbone ex quercu, aut alio ligno robuſto exiſtẽtem. Id autem ita eſſe manifeſtè depræhẽdes, ſi diuerſas medicinas conſideraueris in eodem caloris gradu, vel non admodum diſsimili ſub diuerſitate ſubſtantiæ in craſsitudine, & tenuitate. Actiones enim videbis adeò diuerſas fieri, vt ſub diuerſis generibus collocentur: nam ſi calor fuerit in ſubſtantia tenuiſsima fundatus, illæ medicinæ erunt ſimpliciter inciſiuæ, & anaſtomoticæ, id eſt, aperitiuæ, quemadmodum ſupra docuimus, piperis exemplo. Si verò tenuem ſubſtantiam habuerint, quæ iam ad craſsitudinem vergat, erunt illæ medicinæ etiam attractiuæ, vt galbanum, ſuccus cyrenaicus, ſagapenũ. Sin adhuc augeatur craſsitudo ſubſtantiæ, calorq́; non adeò ſit acutus, ac mordax, fient medicinæ cathæreticæ, id eſt, carnem ſuperfluã colliquãtes, & abſumentes, vt alumen vſtũ, flos punicæ, flos aſij lapidis, &c. Si verò in eadem modica craſsitudine permanentes calorem habeant acutiſsimum,

erunt

erunt medicinæ eſcharoticæ , id eſt, cruſtam inducentes, ſicut thapſia, euphorbium, adarce, ſinapi, bupreſtis, cantharides. Denique adaucta craſsitudine, quæ mordaci calori adiungatur fient, quales diximus, medicinæ ſepticæ, id eſt, putrefactiuæ. Et ſic patet quemadmodum ſecundum diuerſitatem ſubſtantiæ in craſsitudine, ac tenuitate, diuerſæ admodum ſpecies actionum ab eodem calore producantur. Nunc de medicinis malas impreſsiones remouentibus agendum. Hæ ſunt ἀλεξιτήριαι καθαρτικαὶ, id eſt, purgandi vim habentes, & ἀνώδυναι.

DE ALEXITERIIS.

ALexiteria in duplici differentia ſunt, quemadmodum, & venena. Venenorum enim quædam certis qualitatibus, quædam verò tota ſubſtantia interimunt. Ergo venenis certa quapiam qualitate interimentibus alexiteria occurrũt oppoſitis qualitatibus: & ſic frigidis venenis calida alexiteria, frigida calidis offerimus. At venenis, quæ à tota ſubſtantia interimũt longè diuerſa ratione occurrẽdum. Neque hîc facilis methodi ratio habetur. Proinde diligẽtiſsimè aduertendũ, vt Galeni mentẽ obſcurã, & ſub nimia caligine vel breuitate verborũ

atque ambiguitate cælatã aſſequamur. Sciẽdum enim ad eorum, quæ dicturi ſumus, notitiam Galeni eſſe ſententiam (vt manifeſtè oſtenditur, 3. de facultatibus ſimpl. med. vltra medium) quòd ſicut quædam medicinæ ſunt, quæ à proprietate certos euacuant humores ita, vt quædam inueniantur, quæ ſurculos, & ſagittas carni infixas attrahunt, quæ ne digitis quidem facilè euelli poſſent: ſic alias nõnullas inuenies, quæ certa venena certis quibuſdam viribus à tota ſubſtantia emanantibus attrahere, & diducere valeant, vt ad viperarum virus, aſpidum, & ceraſtũ propria quædam alexiteria ſunt, quæ ſi viperarum, exẽpli gratia, virus attraxerint, ad reliqua venena inutilia reperiuntur. Talem autẽ attractionem fieri ratione cuiuſdam ſimilitudinis in ſubſtantia demonſtrat Galenus in loco prius adducto, & in 5. lib. de ſimpliciũ medi. facul. & alibi. Si ergo ex Galeni mente alexiteria venenorum, quæ à tota ſubſtantia interimunt, habeant proprietatem educendi, attrahendíque proprium venenum, quemadmodum magneti vis ineſt, vt attrahat ferrum ad ſe, eſtq́; huiuſmodi vis attrahendi, ſimilitudinis cuiuſdam ratione, quæ in tota ſubſtantia inuenitur: quæ tamen ſimilitudo non facit idẽtitatem, alioqui ferrum attraheret ferrum,

rum,ſed proportionem quandam formarum, quam ſequitur attractio vnius ad alterum, ita vt attrahens ſit, in quo eſt proportionis exceſſus, attractum, in quo defectus: relinquitur ex dictis, vt alexiterium parte aliqua ſimile ſit ipſi veneno, quod attrahit, non tamen omnino ſimile, tum propter rationem dictam, tum quoniam ſi omnino ſimile eſſet, pernitiem potius augeret, quàm ſalutē afferret. Quum ergo venenū diuerſiſsimum ſit toto genere corpori humano (vt teſtatur Galenus, tum alibi, tum in 5. lib. de ſimplicium med. facul.) relinquitur, vt quantò alexiterium in ſimilitudine à veneno recedit, tantò ad corporis humani naturā accedat: nam quod ab altero contrariorum diſsidere facit, alteri aſſimilatur. Ergo ſi hæc ita ſe habent, ſequitur alexiteria media eſſe inter corpus humanū, & venenū, vt rectè ſentit Galenus. Cùm ergo aſſumitur medicina alexiteria, inuenitq; venenum ſibi proprium in humano corpore, illud attrahit & hominem liberat à pernicie. Si verò non inuenerit, cùm ſit naturæ humanæ diſsimilis, vt oſtenſum eſt, accedátque aliqua ex parte ad veneni naturam, tunc lædet corpus, & ſi valida fuerit, etiam interficiet. At ſi pauca quantitas huiuſmodi medicinæ aſſumatur, venenum quidem mouea-

bit, ſed non educet: ſi multa vltra illud quod expellet violentè operabitur, & in magnum diſcrimen corpus humanum ducet, trahétque longè magis, quàm medicina ſolutiua facere ſoleat: quæ ſi pauca, ac debilis fuerit, humores mouebit, & non educet: ſi redundans, ſanguinem etiam attrahet, & mirũ in modum nocebit. Ex *quibus oportet cerni alexiterium cum medicina ſolutiua magnam habere ſimilitudinem: apparet etiam, quomodo intelligẽdum ſit, alexiterium medium eſſe inter venenum, & corpus humanum, & cur alexiteriũ plus æquò ſumptum noceat, cur minus, non proſit, quæ omnia à* Gal*eno ſatis obſcurè explicata fuerunt.*

DE CATHARTICIS, SIue purgantibus.

DE *catharticis verò plura dicere nõ oportet, cùm ſatis conſtet, vt de alexiterijs diximus, à forma ſpecifica humorẽ vnũ, vel plures attrahere ita, vt imbuat ventriculũ virtute attrahendi aliena.* N*aturalis enim vis eſt ventriculi alimentũ, & ſubſtantiam attahere per os, vt ad formã chyli conficiat, ſed vi medicamẽti alteratur, atq; ita extra propriã ducitur naturã, vt co-*

vt cogatur, propria actione ſopita, humores à meſaraicis, hepate, & toto ambitu corporis ad ſeipſũ violẽtè attrahere, neq; prius ceſſat, quàm medicamẽti vis reſoluta, & à naturali calore deuicta fuerit. Neq; *mirũ hoc videri debet, ſi & princeps animæ facultas in cerebro exiſtens epoto ſolatro maniaco, tantiſper ad inſaniam, ad extraneasq́; imaginationes adducatur, donec ſolatri vis à calore naturali omnino dominetur.* Certũ *eſt etiam noſtra ætate* Mauritanos, *pluréſque Syriæ populos, quoties ſua illis libido ſuaſerit, cuiuſdam herbæ ſuccum haurire, quo læti admodũ efficiũtur, oblitisq; omnibus familiaribus negotijs, viſa quædam periucunda perſpiciunt, cuius herbæ vi reſoluta ad priſtina negotia redeũt.* Multaq́; *huiuſmodi alia medicamenta ſunt, & reperiuntur, quæ varios, admirandóſque effectus in corpore producunt, vt mirum non ſit, ſi medicamentum ſolutiuum ita ventriculum afficiat, quemadmodum dictum eſt.* Ex *hoc attractionis modo rectè intellecto apparet, cur* Hippocrates *dixerit:* Corpora, *quæ purgare volueris, oportet fluida facere, & cur concocta medicari præcipiat: ſi enim humores attrahere oportet, debes vaſa omnia, per quæ tranſituri ſunt humores, aperire, molliréque, vt facilè tranſeant, neque*

in tranſitu aliquid obſit. Præterea cùm humores cocti, ac tenues facillimè attrahantur, vt oſtenditur in libro primo de vſu partium humores ſi craſsi, ac crudi, ſunt concoquendi, id eſt, attenuandi, & abſtergẽdi, vt facilius attrahantur. Præterea cùm ſyncera bilis, tenuis, liquida, & acerrima ſit, vt in libro ſecundo de facultatibus naturalibus, circa finem, & cùm propter ſubtilitatem imbibatur, & ob acrimoniam facilè abradat, & excoriet partes, per quas violẽter attrahitur, molles alioquin, & paſsioni expoſitas, facilèque medicamentum eludat. Propterea & illa concoquenda eſt, tum ſubſtantiam, tum acrimoniã contẽperando, vt ita ſine læſione extrahatur.

DE ANODYNIS, SIVE *dolorem ſedantibus.*

DE *anodynis autem medicamentis iam ſatis cõſtat, duo eſſe, quæ id efficere valeant. vel quæ moderatè calefaciũt cutis meatus aperiẽdo, & humores per halitum diſcutiendo, qui loco impacti diſtendunt, diſtrahúntq; partes, & ſolutionem continui moliũtur, vel quæ ſenſum ſua frigiditate mortificant, & ita locum affectum ſtupefaciunt, vt amplius propriam*

iniuriā non percipiat. Qualia verò ſint moderatè calida, quæ calefacere cutim, & per halitū diſcutere valēt, tum ea, quæ ſua frigiditate ſtupefaciūt, iā ſatis abūdè ſuperius declarauimus, ſubiectis ſingulorū exēplis. Supereſt igitur, vt ad tertiarū virtutū methodū inueniendā accedamus: quæcunque enim de ſecundis reliquimus, etiā à mediocri ingenio facilè inuenientur, ſi modò, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, rectè memoriæ mandauerit.

DE TERTIIS QVALITATIBUS.

CVm autem talis ſit proportio facultatum medicinarum inter ſe, qualis eſt actionum, vſuumq́; proportio inter ſe, ex quarundā actionum, vſuumq́; obſeruatione, quæ maximā habēt inuicem affinitatē, & mutuā proportionem, ea via, rationeq́; perſcrutabimur, vt huiuſmodi eſſentiali habitudine cognita, & ordine naturæ percepto, melius res intelligamus, & intellectas fidelius memoriæ cōmendemus. Actiones igitur vicinæ, cognatæq́; ſunt inuicē, vt oſtēdemus, vrinam ducere, pus, & craſſos humores è thorace excutere, calculos comminuere, mēſes mouere, lac, & ſemen generare,

obſtructiones aperire. Medicamenta igitur ad hos vſus cognata inuenire oportet, ſimilitudinémque, ac differentiam ſingulorum oſtendere, & cauſas effectuum initio à natura rei ſumpto perſcrutari.

DE VRINAE PROuocatione.

QVantùm ergo ad vrinæ prouocationē attinet, primò ſciēdum, de his nos tantùm acturos, quæ hoc primò, & per ſe, ac propria ſui ratione efficere valeant, non per accidens. Si enim, exempli gratia, obſtructio fuerit, vel in collo veſicæ, vel in renibus, vel in vaſis vrinarijs, & diſcuſſa obſtructione vrina ducatur, talis actus propriè non prouocatio vrinæ, ſed apertio obſtructionis eſt appellandus, quam poſtea vrinæ exitus liber, prius violenter detentus ſubſequitur. Suis igitur locis ſingula quæque proſequemur, & de obſtructione, & prouocatione vrinæ ſeorſum tractabimus. Supponendum itaq; eſt ad eorum, quæ proximè dicturi ſumus notitiam, renes ideò genitos à natura, vt ſerum aquoſitatémque ſanguinis attrahant, & ad veſicæ concauitatem repellant. Vbi igitur huiuſmodi actio, aquoſitatis

ratione impedita fuerit, quæcunq; talẽ aquoſitatem præparabunt, vt cõmodè attrahatur, & educatur, illa primò, & per ſe vrinã prouocare dicẽtur. Vitium autem, quo aquoſitas vel non attrahatur, vel difficulter trahatur, dum in aquoſitate eſt, cõtingit, vel quia pauca ſit, vel quia ſanguini multùm admixta, aut craſſa, aut viſcoſa: ſubtile enim facilius attrahitur, quã craſſum, vt Galenus teſtatur in lib. quinto de vſu partium. Si ergo prima cauſa fuerit, id eſt, aquoſitatis paucitas, vt vrina deficiat, ad ipſam prouocãdam eligere oportet illa, quæ tenuis, & fluidæ ſubſtantiæ fuerint, ac facilè penetrauerint, qualis eſt aqua pluuialis, vinum tenue album, paucis ferum, melopeponum ſuccus, &c. Si ſecunda, ac tertia cauſa contigerit, vt illa aquoſitas, vel ſanguini admixta, vel craſſior reddita fuerit, indigebit proculdubiò his, quæ facilè ad venas omnes penetrare poſſint, & vbi penetrauerint, fundere, incidere, craſſúmque à tenui ſeparare: quæ autem facilè penetrant, & incidunt, tenuiſſimæ ſubſtantiæ eſſe oportet, vt suprà oſtenſum eſt: calidi enim proprium eſt diffũdere, eliquare, ſæparare heterogenea, & cõgregare homogenea. Ergo ad prouocandam in hoc caſu vrinam, eligere oportet, quæ tenuiſſimæ ſubſtantiæ ſint,

intenſæq; admodũ caliditatis, ita vt diffundere & ſeparare faciãt. Talia ſunt calida, & ſicca in tertio gradu cum tenuitate ſubſtãtiæ, vt apium, daucus, petroſelinum, fœniculum, ammi, phu, ſeſeli, cinnamomum, & reliqua. Hic animaduertẽdum eſt, multa reperiri quæ vrinam medio quodam modo prouocant, videlicet neque omnino per ſe, neque omnino per accidens, ſicut ſunt quæ moderatam vim abſtergendi habent, attenuandi, & refrigerandi: iſta enim in venas penetrãtia, & calorem ardentem, adurentemq; inuenientia, & aquoſitatem reſoluentia, illum ſua frigiditate reprimũt, & ad temperantiam ducũt, ac præterea attenuãt, quod denſatum eſt, & viſcidũ abſtergũt, vt inde iam præparati humoris commoda ad renes reddatur attractio. Exempla ſunt horum, pepones, melopepones, cucurbitæ, & cucumeris caro, & ſemen, & gramen, &c. Conueniunt hæc magis calidioribus temperaturis ad prouocãdum vrinam, cùm ſcilicet veremur, ne calida illa diuretica potius adurant ſanguinem, pauciorémq; reddant aquoſitatem, quàm augeant. Dicuntur autem talia media, quoniam inter vtraque ſunt, id eſt, quia per ſe, & per accidens vrinã prouocãt. Per accidẽs enim prouocare videtur, quoniã extingunt calorẽ adurentem ſanguinem,

nē, & reſoluentē ſerum, ſiue aquoſitatē, quæ ad renes attrahi deberet: per ſe autē quoniam attenuando, & incidendo ſanguinem, ſeparant quod in illo fuerat aquoſitatis, non quidem vi caloris, ſed vi tenuitatis ſubſtantiæ penetrātis, ac ſeparātis. Reliqua autem, quæ abſtergunt, aperiūt, mordicant, ſi quādo vrinam prouocant per accidens id efficiunt.

DE PVRE, ET CRASSIS *humoribus è thorace excernendis.*

AD *pus verò, & craſſos humores è thorace cōmodè excernēdos ſimili quodam modo attenuationis, inciſioniſq; indigemus.* Exiccatio autem *hoc loco, calefactioq; non requiritur: nam cū aëris excuſſi impetu educantur è thorace excremēta, lōge cōmodius impellentur mediocriter humida, quàm ſicca, vt facile patet rerum naturā conſideranti.* Ergo *ad huiuſmodi vſum eligenda ſunt, quæ attenuant quidem, & incidūt, ſed non multùm calefaciunt, & ſiccāt: talia maximè erūt, quæ paulò antè diximus, media eſſe inter vrinam prouocantia per ſe, ac per accidēs mouentia, vt peponum, melopeponū, melonúmque caro, & ſemina, pinei nuclei, maluæ ſemen, terebinthina.* Non

igitur ab re affinia dicuntur, quæ vrinã prouocant, ac humores è thorace excernunt, colligíque ex dictis poteſt, quatenus ſimilia, ac quatenus diſsimilia ſint. Oxymel etiã ad hũc vſum commodiſsimum eſt, quod non admodũ acre, ſed dilutũ fuerit: tale enim maximè ſine calefactione, exiccationéque attenuat, & incîdit. Nã, vt ſummatim rem totam cõplectar vno verbo, quæcunque ita attenuant, & incidunt, vt non exaſperent, vel potenter exiccent, ac ſi fieri poteſt, etiã humectẽt, ea omnia ad thoracis humores præparãdos, cõmouẽdos, excutiendoſq; commodiſsimè admouentur.

DE COMMINVENTIBVS. *calculum.*

AD comminuẽdos calculos, & lapides, vnum ſciẽdum, quod parum hoc loco Galenus diſtinxit quædam propriam cõminuendi calculum vim habentia, quicũque, & à quacunque cauſa fuerit. Ea autem ſunt, quæ tenuiſsimæ ſubſtãtiæ exiſtentia, incidere, ac diuidere poſſunt ſine manifeſta caliditate. Neque enim aliter calculus comminui poteſt, cùm ſit ex materia terrea, viſcido humore conglutinata, & ab acri calore excocta: talia autem neque à

calido,

calido, neque à frigido diſſoluuntur, vt habetur in quarto meteororum, vt patet de lateribus, ſed conteri, incidíque, atque in minimas partes ab aliquo incidente, ſeu conterente comminui poſſunt. Ad hunc igitur vſum (vt diximus) attenuantibus, & incidentibus ſine aliquo manifeſto calore indigemus, nam quæ acrius calefaciunt magis excoquunt, indurántque lapidem, quàm comminuant: talia autem maximé ſunt, acetum ſcilliticum, oxymel ex eodem cõfectum, & ſuccus limonum, deinde ſuccus oxalidis, quam acetoſam vocant, radix rubi, aſparagus regius, betonica, gramen, adiantum, ſeu capillus veneris, hemionilis, aſplenium, ſeu cetrach, & reliqua. Quædam verò alia ſunt, quæ non propriè lapides incidere dicuntur, ſed abſtergendo, atterendóque ſuperficiem, non parum ad comminutionem conferunt. Talia autem ſunt omnia, quæ ſua aſperitate abſtergunt, & atterunt: duo enim corpora dura, & aſpera ſimul colliſa atteruntur inuicem, & comminuuntur, vt vitrum contritum, lithoſperma, milium ſolis, melia, vel chia, quæ eſt genus terræ, imò etiam ipſemet calculus à nõnullis in potu exhibetur. At quæcunque calidiora vſq; etiam ad tertium gradum ſæpiſsimè contra huius regulæ præceptum, ab authoribus ad

comminuendos calculos exhiberi ſolent, nō aliter cõueniūt, quàm vel vbi calculus ſatis cõpactus nō ſit, nullãque habeat, vel paruã glutinoſitatẽ. nã ſi vlterius calefiat, frangitur exiccato debili glutine, in puluerémque redigitur, vel vbi indigemus vrinæ prouocatione, ſeparationéque ſænoſitatis à ſanguine, quæ abluat, deducátque harenulas, & calculorum fruſtula, quæ ſæpe in meatibus impinguntur, magníſque cruciatibus hominẽ torquẽt. Ergo vrinæ multitudo abluẽdo, ac abſtergendo ad hunc vſum maximè faciet, quod maximè poſſunt medicinæ tenuis ſubſtantiæ, calidæ, & ſiccæ in tertio gradu, vt ſuprà docuimus. Et ſic perturbari nō debemus, ſi talia quoque à ſcriptoribus inter calculos cõminuẽtia connumerantur. Sed potius enitendũ, vt opportunè ſeorſum ſingulis vti diſcamus, diſtinguamúſq;, quãdo verè cõminuentibus, quãdo abſtergentibus, & atterentibus, & quãdo vrinã prouocantibus ſit vtendũ, quæ omnia à methodo therapeutica ſunt expectanda. Neque ideo prætermittere oportet, quædam inueniri, quæ ab occulta quadã proprietate, & non à qualitatibus manifeſtis per methodum inuentis, poſſunt ſingulas actiones efficere, quas & hactenus diximus, & infra dicturi ſumus. Exẽplum de vrinã prouocantibus, vt cãtharides:

de thoracẽ expurgantibus,tuſsilago,ſiue farfara:de lapidem comminuentibus, vt lapis iudaicus,de quo Aetio teſte refertur, quòd ſi diutius inguini apponatur, calculum veſicæ frangit.

DE PROVOCANTIBVS menſtrua.

DE medicinis autem mẽſtrua prouocãtibus multæ proponuntur difficultates,in quibus omnes ferè, quos hactenus viderim, implicantur. Cùm enim plurimæ cauſæ ſint,quæ menſes retineant,& totidem ſint medicinarum genera,quæ ſingulis retentionis cauſis occurrant,non ſtuduerunt inuenire propriam,& per ſe huiuſmodi retentionis cauſam,vt illam diſtinguentes ab aliis, quæ per accidens,& non propriè id efficiunt,medicinas quoque proprias ad mẽſes ducendos excogitarent.Cùm ergo menſtrua retineri poſſint,vel ratione virtutis,vel vitio ſanguinis, vel obſtructione viarũ,& orificiorum exiſtẽtiũ in matrice.ſi rectè rei naturam perpendentis, vt à medico faciendũ eſt, videbitis nihil propriè menſtrua prouocare, niſi quod vias,

& orificia aperiat, & abſtergat. Nam ſi virtus imbecilla fuerit, ac propterea deficiat in expellendo, & ſeparando excrementa, conſtat, ſi quis eam virtutem corroborauerit, per accidẽs menſtrua prouocaſſe: neque enim minus reliquis corporis functionibus, expulſionibúſque ita conſulunt. At ſi ſanguinis vitio id acciderit, fuerítque paucitas cauſa, tũc corpus alere oportet, & ſanguinis copiã generare, quod valde per accidẽs eſt mẽſtrua ꝓuocare. Si verò fuerit in ſanguine viſcoſitas, aut craßities, vel erit illa craßities terreſtris ratione caliditatis adurentis, craßioremque ſanguinem reddentis, & tunc cũ frigidis, & humidis ſedando acrimoniam, & ad temperiẽ calorem naturalẽ reuocando, ſanguinem tenuiorẽ aptiorémq; ad fluxũ reddemus, & ita menſes prouocabimus. Qua ratione Dioſcorides lactucam ad menſes ciendos aptam eſſe teſtatur, plurimam ambiguitatem legentibus afferens, qui rectè diſtinctionibus vti neſciunt. Sed id quoq;, vt ſatis patet, alterare ſanguinem eſt, non ducere menſes. At ſi craſſitudo ſanguinis viſcida fuerit cũ multa pituitæ admixtione, tũc indigebimus, valide ĩcidẽtibus & calefaciẽtibus, quæ attenuãt, calefaciũt, incidũt, liquefaciũt, & craſſum ſeparant à ſubtili: ac propterea oĩa diuretica ſunt ad hunc

hunc vſum aptiſſima de quibus ſuperius copioſè tractauimus, & in hoc caſu nõ differũt diuretica à prouocantibus menſtrua, vbi plerique medicorum hallucinantur, neque diſtinguere ſciunt, quæ menſes cient, à diureticis, ſicut quotidie conuerſando deprahendetis. Sed cùm hæc operatio ſit ad vrinas, & menſtrua ducenda communis, ideo patet non eſſe per ſe menſtruis tradenda, ſed potius vrinis: nam in hac ſeparatione, licet purificetur ſanguis, liberetúrque à viſcido humore, nihilominus ſeroſitatis actualis fit ſequeſtratio, quam ita ſequeſtratam renes ſubitò attrahunt, & ita actio directa eſt ad vrinas, non ad menſtrua prouocanda: ſequitur enim poſtea, vt ſanguis purificatus, tempore menſtruorum liberè fluat. At ſi menſes retineantur propter meatuum, orificiorúmque obſtructionem (intelligo per meatus vias, per quas ſanguis deducitur per orificia, vaſorúmque extremitates) tunc verè mẽſtrua prouocari dicuntur, quæ violenter retinebantur, ſeu intercipiebantur, vt in alias partes auerti cogerentur. Id autem fit aperientibus, & abſtergentibus. Nam cùm tantus ſanguinis impetus intercipitur, neceſſe eſt, vt meatus ipſi, & orificia ſint in profundo obſtructa lẽtóque humore obſeſſa: ideo nõ leniter aperiẽ

rientibus, & abſtergentibus indigemus, quorũ vires propter ſubſtantiæ tenuitatẽ facilè reſoluuntur: talia enim potius ad incidendũ cũ violẽter & citò pertrãſeãt, quam ad aperiẽdũ accõmodãtur, vt ſuprà oſtẽdimus. Ergo in hoc caſu eligẽda ſunt medicamẽta craſsioris ſubſtãtiæ, vt inhæreãt loco aperiẽdo, nec facilè reſoluãtur, ita tamẽ, ne tãta ſit craſsitudo, vt trãſitus obthuretur, ſed moderata, quæ tantũ ſufficiat ad morã idoneã, & ad reſiſtẽdũ maturæ reſolutioni, quæ in ceteris adiuuat potius penetrationẽ, tanquã manuducẽdo ea, & cõprimẽdo, quã impediat, quod facere nos ſuprà docuimus omnes medicinas, quibus adiũcta eſt immodica caliditas, & nõ modicè abſtergẽtes. Ergo ſi verũ eſt, quod ſupra probauimus, amara omnia calida eſſe, & in ſubſtantia craſſa fundari, atq; in hoc ab incidẽtibus differre, ineſſéque illis maximã vim abſtergẽdi, nulla ad mẽſes ducẽdos cõmodior inueniri poterit medicina, quàm quæ amara ſit. Talis enim adhærendo abſterget, ac penetrando deducet quicquid obſtabit. Quòd ſi cum amaritudine, & moderata abſterſione ſibi acrimoniã quoque ſimul aſciuerit, qua craſſos humores poſsit incidere, illa medicina proculdubiò omnibus numeris ſufficiet. Nõ igitur mirũ, ſi ſabinatã efficaciter poſsit ad mẽſes ducendos,

cùm,

cùm, vt Celſus, & Galenus quoque aſſerunt in capite proprio, amaritudinē habeat acrimoniæ, abſterſioníque permixtā. Si ergo inuenies medicamenta his tribus ſaporibus inſignita, cæteris ad hūc vſum præferēda cognoſces. Sin minus amara eligito, hanc præterea methodū obſeruando, quæ ex rei natura pariter ſumitur, & de qua nos ſuprà quoque nonnihil meminimus. Nā ſi exterius ad orificia vaſorū vuluæ medicamenta prouocantia applicueris, illa obſeruari debent, ne multum ſint adſtringentia: alioqui adſtrictio prohiberet, ne medicinæ vis ad profundū penetraret. Ideo ad hunc vſum potius eligemus, quæ cū amaritudine, tenuitatis quoque ſubſtantiæ nō parū participēt, ſicut eſt amaracus, centaureū minus, ariſtolochia, pulegium, ciclaminus, ſcilla, & huiuſmodi. Si verò intrà per os exhibueris maiorē adſtrictionē nō timebis, dūmodò ſit inſignis amaritudo: neq; enim ita obſtabit adſtrictio. Nā medicina illa vias ſatis latas inueniet, per quas tranſitura eſt, calorémque idoneum habebit, qui dilatet, & educat. Ideò aloë, & abſinthium interius ſumpta ad mēſes ducendos efficaciſsima ſunt, quæ exterius appoſita parum prodeſſent, vel fortaſſe etiam nocerent.

DE COMPONENDIS MEDICAMENTIS COMMENTARIVS A IOANNE BAPTISTA *montano phyſico Veronenſi dictatus.*

ET A VINCENTIO CASALI BRIXIENSI AV*ditore notatus.*

MEdicamenta ad vſum aptiora, commodioráque reddimus, vel duo, aut plura ſimul commiſcentes, vel aliqua arte ſingula præparantes, vel vtrumque facientes, id eſt, & ſimul commiſcẽtes, & mixturã certa aliqua ratione cõdiẽtes. Circa iſtos tres tãquã apices, ſummáque genera tota ars verſatur, qua medicamenta ad vſum paramus. Tres igitur ſectiones proponemus in quibus ſingulis ſingula genera explicabuntur. Primò tamen illud ſciendum, nos ideo ad quodlibet horum generum accedere, vt medicinarum vel qualitas, vel ſubſtantia

emendetur

emendetur, vel vt gratiores, commodioréſque aſſumentibus reddantur, ſúntque hæc omnia tribus hiſce generibus maximè communia.

SECTIO PRIMA.

QVA ARTE COMMISCEANtur medicamenta ſecundum qualitates primas ſimiles.

Commiſcemus igitur medicinas, vel vt qualitas tãtùm, ſeu qualitates, vel ſubſtãtia alteretur, vel iocunditatis gratia, vel vt duo, aut omnia tria ſimul efficiantur. Primò itaque de ratione miſcendi medicamenta ob qualitatem, vel qualitates alterandas dicemus poſtea de reliquis. Sed quoniã apud medicos quædã primæ qualitates dicũtur, vt caliditas, frigiditas: quædã ſecũdæ, vt dulcedo, amaritudo: quædã tertiæ, vt abſterſio, cõſtrictio: quædã quartæ, vt prouocatio vrinæ, menſtruorum, & ſudoris: dicendum eſt prius, qua ratione primæ qualitates commiſceantur. Si vſu veniat, vt qualitates tantùm medicinæ ſint cõmiſcendæ, id proculdubiò fiet, quãdo in vna ſimplici medicina non habemus gradus preciſos, qui ad vſum noſtrũ

ſunt neceſſarij: exẽpli gratia ſi corpus ad duos gradus frigiditatis lapſum fuerit, & ideo medicina indigeamus, quæ per duos gradus oppoſitos à temperamento receſſerit, atque ea quidem ſi tunc temporis nobis deſit, copia verò ſit aliarum multarum, quæ partim excedant, partim deficiant, quæ deficiunt cum his quæ excedunt tali ratione commiſcebimus, vt in mixto quæſita graduum menſura reperiatur: vt ſi duas habuerimus medicinas, alteram quidem in primo gradu tantùm calidam, alteram verò in tertio, cùm illa quidem deficiat, hæc autem excedat, ſi vtráſque ſimul commiſcebimus, ex eo exceſſu tertij gradus, & receſſu primi reſultabit tertia menſura ſecundi gradus, quæ erat quæſita à nobis. Nec *diſsimili modo, ſi frigidã primi gradus calidæ in tertio admiſcebimus, ad ſecũdũ gradũ caliditatis (vt vulgatum eſt) totũ compoſitum reducemus: atque id quidem ſine controuerſia* Galenus *comprobare videtur. Sed quoniam hæc maxima omnium eſt difficultas, quæ in arte componendi inueniri poteſt, propterea antequã ad alia progrediamur eſt pro viribus explicanda, & quid ſentiam proferendum. Primò igitur ſupponendum eſt, quod aliàs fuſius declarauimus, medicinam non agere in humano corpore,*

pore, quemadmodum faciunt elementa. Ele*menta enim applicata copori alterant illud per qualitates, quæ illis actu inſunt, vt aqua ſua frigiditate, & humiditate actuali, ſic ignis caliditate, & ſiccitate actuali: propterea primo occurſu ſic ſtatim agunt, niſi qualitas aliqua in corpore humano prædominetur, quæ ſuperet vim, & qualitatem elemẽti, tũc enim corpus deſinit pati: vt ſi aqua ſua frigiditate corpori occurrat, & caliditas corporis maior exiſtens agat in frigiditatem, (à maiore enim proportione agentis prouenit actio) tunc aqua nullo amplius pacto refrigerat corpus, & quãtùm ad hanc qualitatem attinet, nõ amplius eſt expectãda ab huiuſmodi aqua refrigeratio, niſi deſtituatur à calore intrinſeco corporis, & ad propriam naturam redeat.* Medicina *autem cùm ſit corpus mixtum non operatur, niſi per qualitates, quæ emanant à forma ſpecifica, & à ratione proprii temperamenti, & ſi contingat aliter operari, talis operatio inerit illi per accidens: vt ſi, exempli gratia, oleũ roſaceum niue refrigeratum actu refrigeret, aut ferrum candens exurat, hoc eſt per accidens, non quia mixtum, ſed quia actu frigidum, vel calidum eſt. Cùm autem calor complexionalis vniuſcuiuſque mixti ſit propriũ ſubie-* Calor complexio

Iinis eſt, qui ex temperamento proficiſcitur.

ctum vel potius inſtrumentum formæ, tunc exercitantur actiones formarum, cùm calor cōplexionalis in quolibet mixto, prætcrquā in animali, non actu, ſed potentia exiſtens excitatur, & elicitur de potentia ad actū: & ideo ſi fricetur electrū, aut magnes, lōgè efficacius hic ferrum, ille paleas attrahit. Ergo *cùm medicina corpori humano interius, vel exterius applicatur, à calore innato incaleſcit, ex qua calefactione calor complexionalis medicinæ excitatur, & elicitur, vnde ſtatim omnes actiones eluceſcunt, & excitãtur, quæ formæ ſpecificæ, & proprio temperamento conueniunt, videlicet, calefaciendi, refrigerādi, humectandi, exiccandi, abſtergendi, maturandi, erodendi, & ſimiles.* Meritò *igitur dixit* Galenus, *omnes medicinas vires ſuas habere in potentia, & ad actū duci à calore naturali, quæ vbi ad actum reductæ ſunt, quod ad qualitates primas attinet, ſi cum corporis humani temperatura conuenerint, nulla inſignis alteratio ſuccedet, ſed ſi temperaturæ diſſimiles fuerint, mutationes, alterationéſque habebunt pro diſsimilitudinis ratione, ſequetúrque victoria, vel ex parte corporis, uel ex parte medicinæ, pro magnitudine viriū alterius. Si igitur temperamentum medicinæ tale fuerit, vt, corpori humano comparatum,*

ſuperet

ſuperet in illo qualitas caliditatis, & ſiccitatis, calor naturalis acuetur, & totum corpus reddetur calidius ad talem gradũ, ad quem deducere poterit vis medicinæ. Idémque dicẽdũ omnino de frigido, & humido, ſiccóque, quod de calido diximus, imò & de reliquis omnibus ſecũdis qualitatibus. Sed nũc ſermo de primis futurus eſt. Ergo nõ malè dicebat Galenus, ſi piper ſub glacie refrigeratũ, quãtumuis actu frigidiſſimũ eſſet, & ſuccus mãdragoræ ignis vi ad quemuis feruorem redactus fuerit, poterit vtrũque iſtorũ ſuis aduentitiis qualitatibus, piper quidem primo occurſu refrigerare, ſuccus verò mandragræ calefacere, nihilominus, dum poſtea calor innatus corporis, vtriuſque calorem complexionalem excitauerit, longe diſsimili ratione, piper calidiſsimũ reddet corpus, ſuccus, mandragoræ frigidiſsimum: quoniam, ſcilicet, piperis temperamentum corpori humano comparatum longè calidius eſt, temperamentum autem mãdragoræ longè frigidius eſt. Cõcluſio igitur ſuppoſiti, de quo diſſeruimus, quæ nobis deſeruiet, talis ſit, Medicinas nõ agere in corpore humano eſſentialiter, propter aliquã qualitatem in illis actu exiſtentem, quemadmodum faciunt elementa, ſed ratione propriæ formæ, & temperamenti, quarum vires

eliciuntur de potentia ad actum per excitationem ſui caloris complexionalis factam à calore innato humani corporis. Ex *quibus ſequitur medicinarum facultates, cùm commiſcentur, refringi inſimul, & alterari ad formam temperamēti à ſingulis ipſarum diſtincti, ſicut contingit ex mixtione elementorum, in quibus qualitates ſimplices ſunt in actu, in mixtis verò in potentia tantùm, refractæ ad ſecundam formam temperamenti. Quando igitur ſimul miſcentur medicinarū qualitates in potentia exiſtentes, ſub forma mixti, non inſimul agunt, vel patiuntur, ſed nec formæ ſubſtantiales agunt, cùm non ſint inter ſe contrariæ.* Erit *igitur huiuſmodi cōpoſitio medicinarum, appoſitio quædam, non mixtio, vbi ſingularum formæ ſunt in actu: & quando tale compoſitum applicatur corpori, & à calore naturali calor complexionalis fuerit excitatus, ſingulæ medicinæ in hoc compoſito exiſtentes agunt ſecundū proprias formas, & virtutes, quæ ſibi ſunt actu: vt ſi ſit in compoſitione medicina frigida in tertio gradu, & alia calida in eodem, quælibet agit ſeorſum ſecundum proprias virtutes ita, vt altera calefaciat præciſè in tertio, altera in eodem frigefaciat.* Et *hoc perpetuò verum eſt, niſi medicinæ fuerint ſimul fermē-*

tatæ: fermentatio enim, ſiue fuerit facta per aërem extrinſecus, ſiue per ignem, ſiue per putrefactionem, nō eſt ſine motu, & alteratione naturali, vt poſtea loco ſuo exquiſitius declarabimus, & peculiarem huius rei methodum, & rationem trademus. His *igitur ita ſe habentibus ſi rectè intelligantur, poterimus certa methodo ſumpta à rei natura metiri quomodo fiat intenſio, & remiſsio graduum in medicinarum cōpoſitione, quando interius ſumuntur non fermentatæ, poterimus inquam, metiri, non tamen exquiſita menſura, ſed coniectura quadam, quæ proxime accedet ad veritatē: præciſos enim gradus actionum naturalium ſolus* Deus *nouit, qui eſt formarum ſubſtantialium ſolus optimus author, & conditor.* Primò *igitur videndum eſt, quo modo remittantur, & intendantur, deinde, ad quem gradum.* Id *præ oculis pro confeſſo habeamus medicinas compoſitas non fermentatas, vbi à calore naturali modo iam dicto excitatæ fuerint, ſingulas agere ſecundum proprias formas.* C*omponatur itaque medicina calida in tertio gradu cum medicina in primo gradu calida, & hoc compoſitum intra corpus ſumatur, excitetúrque calor vtriuſque complexionalis, ita vt vtraque agat ſecundum formam pro-*

priam, certum eſt ex ſuppoſito, quòd altera calefaciat in primo, altera in tertio. Quæritur modò hîc, an ex tribus gradibus caloris in altero, & vno in altero ſimul iunctis in corpore, totus calor intendatur, vel remittatur? Facilè reſpondet Galenus, difficultatémque huius loci vel ignoraſſe, vel diſſimulaſſe videtur. Ait enim abſolute medicinam calidã in tertio iunctam cum calida in primo, compoſitum reddere calidum in ſecundo, affirmátque omnino intenſum à remiſſo remitti, exemplo ab aqua feruente ſumpto, quæ cum tepida cõmiſcetur. At nemo fortaſſe negabit intenſum non remitti à remiſſo, & exemplum quoque concedet, ſed neſcio, an de ſimilitudine conueniet. Sed quicquid ſit, duo dubia hic relinquit Galenus, & tacitè prætermittit, quæ omnino diſcutienda fuerunt, præſertim ab eo, qui minima quoque diſcutiat ad ſaturitatem. Alterum, an verum ſit, quòd ex vno, & tribus gradibus caloris à diuerſis temperamentis prouenientibus totus calor remittatur. Alterũ, quod eſt longe difficilius, an, ſi conceſſerimus remiſsionem fieri, ſit huiuſmodi remiſsio ad ſecũdum gradũ præciſè, vt ipſe tam facilè pronunciat, ac ſi eſſet omnibus notum. Pro declaratione primi dubij omiſsis rationibus, quas Cõciliator, & Auer-

rhois

rhois imaginãtur, veritatem, quã nos eſſe arbitramur, ſimpliciter proferamus, eamq; tam diſtinctè ante oculos proponamus, vt penè ſenſibus diſcerni queat. Primò certum eſt, ad hoc, quòd medicina calefaciat, aut refrigeret, in primo, vel ſecũdo, vel alio quopiã gradu, non tãtùm requiri propriũ temperamentum, & formam, merito cuius apta ſit agere, quicquid agit, ſed etiã determinatã quantitatem: omnis enim virtus in materia exiſtens augetur, & minuitur ſecundũ augmentum, & decrementum proprij ſubiecti. Vnde quandq dicimus, exempli gratia, piper calefacere in tertio gradu, intelligimus, vt in quãtitate tali offeratur, quæ idonea ſit efficere, quod intendimus ita vt neq; deficiat, neque redũdet. Si enim ſupponamus, piperis drachmã ſufficere ad hoc vt calefaciat totũ corpus vſque ad tertium gradum, & exhibeamus drachmas duas, proculdubiò ita inflãmabimus corpus, vt penè igneſcat, imò ita poterit augeri, vt etiam tanquam venenũ pernecet. At ſi è conuerſo ſemidrachmã tantùm offeramus, non erit hoc pondus idoneum, vt totum corpus in tertio gradu calfaciat. Quòd ſi ſolùm ſcrupulum dederimus, minùs calefaciemus, atque ita inuenire poſſumus quantitatem, vt vix ſenſibilem calorem inducat, nõ

aliter, quàm ſcintillæ ignis centeſima pars, etiam ſi habeat formam ignis, præ exiguitate tamen ſubiecti, quamuis paleæ admoueatur, vrendi facultate carebit. Hoc igitur tanquam manifeſtum ſuppoſitum admittentes dicimus, quòd, ſi exibuerimus drachmam piperis, & illi non admiſcuerimus aliquid, cuius temperamentum frigidum fuerit, de qua mixtione inferius loquemur, ſemper calefaciet in tertio gradu, etiam ſi admiſcuerimus illi calidam medicinam remiſſam, vt in primo gradu vel etiam temperatam. Ratio eſt, quia remiſſum non remittit intentum, niſi duo ad minus concurrant, videlicet, quòd qualitates, & formæ ſint ſub eodem genere contrariæ, & quòd ſuſcipiant maius, & minus, quales ſunt qualitates primæ elementorum, & tādem omnes paſsiones, ſeu paſsibiles qualitates. At quæcunque actio emanat ab aliqua forma mixti, quæ ſit illi propria, & eſſentialis, poterit quidem remitti ab alia forma, ſiue actu formæ contrà operante: vt ſi ab vna forma, & vno quoque temperamēto emanat actus calefaciendi corpora, poterit remitti ab alia forma, & temperamēto, vnde proueniet actus refrigerandi, ſi ambo ſimul applicentur corpori humano, & ambo ad actum ducantur. Nam quantùm vnum poterit

terit à propria forma calfacere, tantùm alterum poteſt refrigerare. Exempli gratia, Roſa eſt in primo gradu frigida, & ſpica nardi calida eſt in primo gradu, ergo ſi æquis ponderibus componantur, & corpori applicẽtur, ex hoc compoſito neque calefiet corpus, neque refrigerabitur, quoniã vtraque forma harum medicinarum æquales habet vires directè oppoſitas: quantùm igitur hæc poterit refrigerando, tantùm altera poteſt calefaciendo. At non eadem ratio eſt, ſi ſunt eiuſdem generis. Nam ſi, vt ſuppoſitũ eſt, piperis drachma totum corpus calefacere poßit in tertio, ſi admiſcueris illi ſpicæ nardi drachmam, quæ in primo tantùm calfacit, nihil propterea dempſeris à caliditate piperis, niſi forte aliquid addideris contrariorũ: quoniam vtriuſque formæ ſeparatim agunt, quantum agere poſſunt, neque inuicem commiſcentur, neque contrà operantur, imò ambo calfaciunt. Declararíque id poteſt exemplo ſatis commodo, & claro, vt ſi Socrates quatuor gradus virium habeat, quibus ſatis commodè poßit ad ſe nauim attrahere, ſi acceſſerit illi aduerſus Plato, qui paribus viribus eodem tempore retrahat tantum, quantũ ipſe Socrates attrahit, nullus omnino motus nauis ſequetur, ſed à quacunque parte vires declinauerint,

ſiet quidem aliqua ex parte aduerſa attra-ctio tantò tamen imbecillior, quanta erit oppoſiti reſiſtentia. At ſi ab eadem parte Socratis alius accedat vno tantùm gradu virium pollens, qui pariter cum Socrate nauem conetur attrahere, hic profectò, non tantùm tractũ Socratis non impediet, aut intenſas eius vires non remittet, ſed etiã adiuuabit, & aliquo pacto intendet. Quo modo igitur Galenus dixit medicinam calidam tertij gradus à calida primi reduci ad ſecundũ? Hic meminiſſe oportet ſuppoſiti, quod paulò antè declarauimus, videlicet, actiones formæ materialis, ad hoc, vt debitè agant, requirere determinatã & debitã quantitatem Si igitur piperis drachma ſit quantitas ſufficiens ad hoc, vt corpus in tertio gradu calfaciat, ego qui remiſſiorem quæro calefactionem, vt ſecũdi tantùm gradus, ſumã ſcrupulos duos tãtum. Sed quoniã huius põderis vires præ ſui paucitate, antequã totũ corpus debitè calfaciat, à calore innato reſoluetur, addenda illi aliqua moles eſt, quæ ſimul non impediat, aut augeat caloris gradũ à nobis quæſitũ, ſimúlq; cõueniens pabulũ adferat calori, vt nõ citius reſoluatur materia, quàm opus ſit. Addã igitur illi tãtundem alterius medicinæ remiſſioris caloris, quæ molem quidem idoneã faciat,

vt

vt poſſit medicamenti vis per totum corpus diffundi, non eius tamen acrimoniæ ſit, quæ eſſet in ſolo pipere: & accipio, exempli gratia, ſpicæ ſcrupulos duos, quæ calida eſt in primo gradu. Hæc *ergo duo ſimul iūcta molem quidem vnam ita conſtituunt, quæ, vt dixi, ſit idonea toti corpori calefaciendo, diuerſæ tamen formæ vtriuſque ſeruantur: & cùm piper, quamuis aptum ſit calefacere in tertio gradu, non poſſit tamen præ exiguitate ſua, & ſpica non niſi in primo, quæ & ipſa, cùm exigua ſit, non ſatis idonea eſt ad proprium ſuum affectum producendum, neceſſe eſt, vt ex iſtis operationibus imperfectis duarum formarum reſultet quædam operatio, remiſsior quidē operatione potentioris formæ, intenſior tamen debiliore: & ſic calor reſultās ex hoc compoſito erit quidem acrior, quā qui à ſola ſpica produceretur, debilior tamē, quàm qui à ſolo pipere, ſi alterius integra, & idonea quantitas ſumatur.* Id *autem eſt, quod quærebamus, vt ſcilicet, haberemus medicamentum, quod declinaret à calido tertij gradus, quod eſt in pipere.* Nō *diſsimili ratione, ac ſi Socrati, qui quatuor gradibus viriū poteſt nauim attrahere, demerentur duo gradus, quibus demptis vix poſſet mouere nauim, & ita* Plato *vno gradu pollens*

accederet, qui tractũ iuuaret, ex duabus iſtis uiribus iunctis fiet quidẽ tractus valentior, quàm ſi Plato ſolus traheret ſuis integris viribus pollens, validior etiam, quàm qui fieret à Socrate ſolo ſic affecto, & integris viribus pollente. Trahetur igitur nauis circiter tribus gradibus virium: Simili modo in compoſitione prædicta corpus calefiet circa duos gradus caliditatis, quod quærebamus. Et quod diximus de temperanda medicina calidiori commixtione alterius, quæ ſit remiſsioris gradus, idem tibi dictum putato de reliquis qualitatibus primis, frigiditate, humiditate, & ſiccitate. Et ſic habes, quo modo in cõpoſitione duorũ medicamentorũ, alterius intẽſioris, alterius remiſsioris remittaturqualitas prima compoſitæ medicinæ, & quo modo non remittatur, quod erat primum dubium. Secundum autem dubium fuit de gradu determinato remiſsionis, quem Galenus ſe ſciuiſſe profitetur, inquiens: Si admiſceatur medicina calida in tertio cum medicina calida in primo fit compoſitum calidum in ſecundo, de qua re nunc breuiter dicam, quid ſentiã. Si ingenuè fateri velimus, nihil hactenus habuimus, quod determinatè, & exquiſitè vobis afferre poſsimus: poſſumus quidem, vt ſuperiori exemplo vidimus, videli-

cet,

cet, in mixtione duorum ſcrupulorum piperis cum totidem ſpicæ, & in diſcurſu ibidē facto, accedere ad propinquam quandam cōiecturam, qua exiſtimemus cōpoſitū in hac mixtione non procul abeſſe à caliditate ſecundi gradus. Et ſi vos cōſideratis ſingula, rectéque intelligatis, ingeniáque exerceatis in hac, & ſimilibus mixturis, facilè videbitis vera eſſe, quæ diximus. Exquiſitiſsimam autem, præcipuámque huius rei notitiam tunc demum vobis oſtendam, quando formas ſubſtantiales rerum exquiſitè cognouero, quas adhuc fateor me ignorare. Interim his contenti eritis, quæ tamen ad rectam medendi methodum ſufficiunt, & ad remittendas, intendendáſque actiones primarum qualitatum in compoſitis per additionem ſimilium non ſine methodo, & ratione.

QVA ARTE COMMISceantur medicamenta, ſecundum qualitates primas oppoſitas.

QVo modo verò remittantur per commixtionem diſsimulium, & virtutum oppoſitarum, commiſcendo calida cum frigidis, nunc ſupereſt dicen-

dum: Longéque facilius eſt hoc explicare, meo iudicio, quã quod iam declarare conati ſumus de mixtione rerum, quæ ſimiles habent facultates, differentes tantùm ſecundum intenſionem, & remiſsionem, licèt Auerrhois ſenſit oppoſitũ. Facile enim eſt videre, ſiquis recte teneat, & intelligat, quæ ſuperius dicta ſunt, quomodo, ſiquis admiſceat medicamentũ calidũ in tertio cum medicina frigida in primo, vt piper cum roſis, redeat compoſitum ad caliditatem ſecundi gradus: tantùm enim poterit forma roſæ vno gradu refrigerare, quantùm piper tribus gradibus calfacere. Igitur ſi ex tribus gradibus caloris piperis vnum dempſeris, qui à roſæ frigiditate remittitur, duo tantùm gradus ſupererunt. Conſidera verò hic, ſempérque memineris, quicquid de oppoſitione inter caliditatem, & frigiditatem diximus, idem nos dicere de altera, quæ eſt inter humiditatem, & ſiccitatem. In quibus omnibus te exercere oportet, niſi volueris nomine tãtùm medicus eſſe. Eritq; perpetuò nobis in mixtionis ratione obſeruãdum, cùm voluerimus integrũ gradum, vel integros gradus medicinæ remittere, quantitatem vtriuſq; æqualem miſcendam eſſe, quæ quantitas ſit idonea ad ſuos effectus integrè producendos. Exempli gratia,

ſuppo-

ſuppoſuimus drachmam piperis totum corpus ad tertium gradum caliditatis calfacere poſſe, ſupponamus modò drachmam roſarum itidem poſſe totum corpus in vno gradu refrigerare. Ideò ſi voluerimus integrum gradum caliditatis piperis remittere, roſarum drachma admiſcenda erit. Nam ſi plus addideris, plus, quàm quæris, refrigerabis: Sin minus, erit etiam refrigeratio minor. Vnde ſi dimidium tantùm vnius gradus caloris à pipere ſit tollendum, roſarum ſemidrachmam commiſcebis. Atque hac via in his mixtionibus te frequenter exercebis, in his enim tibi exercitato facilis erit aditus ad miſcenda, nō duo tantùm, ſed plura etiam medicamenta. Nam cùm vſus, atque neceſſitas poſtulauerit, vt plures commiſceantur medicinæ, qualitates prius intendas, vel remittas: & ſi non vna tantùm qualitas, ſed plures fuerint remittendæ, vel intendendæ, neq; duarum medicinarum mixtione id fieri poſſit, plures tūc commiſcendæ ſunt eadem prorſus obſeruata ratione. Prius tamen ingenium in duabus tantùm exercendum: quod vbi probè fuerit exercitatum, tunc iter ad plura quoque miſcenda patebit, & ita medicus eris re, non tantùm nomine.

QVA ARTE COMMISCEANtur medicamenta ſecundum qualitates ſecundas.

HIc modò ſeries poſtulat, vt de miſcendis ſecundis qualitatibus dicamus, quas eſſe diximus dulcedinem, amaritudinem, odorem, fœtorem, & reliqua huiuſmodi. Has igitur miſcebimus vel ratione odoris, vel ſaporis tantùm, vel ratione alterius qualitatis, quæ talem ſaporem comitatur. Ratione ſaporis, aut odoris tantùm, vt ſi medicina amara, aut fœtida exhibẽda ſit, vereamúrque (vt iure verendũ eſt) nè amaritudinem, aut fœtorem natura, ſpiritúſque animales abhorreant, refugiant ab illis, & proſternantur, vt & virtutis læſio ſequatur, et infœlix ſucceſſus purgationis, tunc amaris quidem dulcia, fœtidis verò odorata cõmiſcebimus. Et hac ratione ducti rebus amaris mel, viroſis verò, odoréque malis medicamentis aromata coniungimus. Ratione autem nõ tãtùm ſaporis, ſed alterius qualitatis, quæ ſaporem conſequitur, ad mixturã accedimus, vt ſi medicina exhibẽda ſit, à qua euerſionem ſtomachi, & vomitũ vereamur, vel ratione ipſius medicamenti, vel ratione aſſu-

aſſumentis,tunc illi admiſcemus aliquid acidi, auſteri, vel acerbi, non quidem ratione ſaporis tantùm, ſed etiam, quoniam à ſapore vis alia reſultat adſtringendi, corrugandi, exiccandíque ventriculum, unde virtus contentiua ventriculi corroboretur. Et ita cum agarico aliquando oxymel, quandoque ſuccum cydoniorum, & myrobalanos admiſcemus, & cum ſcammonio palmulas, quas dactylos vocāt, & huiuſmodi alia. Quæ autem arte, & proportione iſta admiſcenda ſint, erit proprius loquendi locus. Præterea hac eadē intentione plurimi antiquorū medicorū purgantibus omnibus medicamentis ſal admiſcebant, non quidem ratione ſaporis, ſed quia ab hoc ſapore ſequitur vis irritandi, & abluendi ventriculum, & inteſtina, vnde prouenit feſtina euacuatio, & poſt euacuationē melior mūdificatio, & expulſio medicamenti: ita enim faciliùs abluitur, & abſtergitur. Ideo etiā noſtri moderni agarico, & colocynthidi ſal, quod gemmæ vocant, conuenienter admiſcent, partim vt acceleretur purgatio, quæ in his duobus medicamentis tarda eſſe ſolet, partim vt facilius ex inteſtinis abluātur, detergantúrque eorum ramenta, quæ alioqui ob leuitatem adhærent, & impingūtur, óbque abraſionem, dyſenteriā, colicóſque

dolores inducunt , quos ſæpe etiam inducunt medicinæ, vbi prudenter correctæ non fuerint. Hactenus de contemperandis medicamentorum ſaporibus. Sequitur, vt de arte componendi dicamus, quæ verſatur circa tertias qualitates.

QVA ARTE COMPONANTUR medicinæ ſecundum tertias qualitates.

MAgnum hic, variúmque artificium, & pulcherrimus exercendi campus nobis occurrit. Oportet autem, ſi quæ dicturi ſumus, aſſequi volumus, vt ſingula quæque rememoremus, quæ in methodo de ſimplicibus medicamentis anno elapſo, circa has tertias qualitates explicauimus. Et omnino nihil de arte componendi acquiremus, niſi methodum, artémque ſimplicium probè nouerimus. Antè quàm igitur ad rem accedamus, maioris luciditatis gratia, oppoſitiones, vel omnes, vel pleraſq; qualitatum tertiarum ante oculos proponemus, vt faciliùs poſtea totã methodum cõponendi eliciamus. Tot autẽ ferè ſunt: Rarefactio, condenſatio: Mollitio, induratio: Illitio, ſeu (vt

vulgò dicitur) emplaſtratio, abſterſio. Attractio, repulſio: Laxatio, intentio: Apertio, conſtrictio: Incraſſatio, attenuatio: Doloris ſedatio, irritatióque: Concoctio, ſuppuratio: Diſcuſsio per halitum, quæ vulgò diſſolutio dicitur, vſtio, vel cauterizatio, inductio cruſtæ, quam ἐσχάρεν vocant: Putrefactio, eroſio: Liquefactio, coagulatio. Purgatio, ſiſtendi vis: Exaſperatio, Lenitio, Obſtructio, Deobſtructio. Circa hæc ferè veluti ſumma capita verſatur tota ars componendi medicamenta, quantùm ad tertias qualitates attinet, occurrítque hic uarius vſus, & ratio componendi. Quandoque enim contraria cõmiſcemus, quandoque diſsimilia, quãdoque ſimilia. Contraria verò ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant inter ſe, vt apertio, & conſtrictio: Diſsimilia quæ ſub diuerſis generibus ſunt, & quorum naturæ ſub diuerſis lineis diſcrepant, vt coagulatio, doloríſque ſedatio: nihil enim ſimile habet doloris ſedatio cũ coagulatione, cõtraria tamẽ nõ ſunt, nã & ſimul eſſe poſſunt, nec ſunt ſub eodem genere proximo, cúmque diuerſarũ naturarum ſint, habent lineas diſcrepantes: nã ſi ſub prædicamẽto qualitatis ſuo quæque loco collocabitur, facilè patebit, quo modo à diuerſis generibus vna quæque emanet, & ſub diuerſis lineis

collocetur. Similia verò ſunt, quæ ſimilitudinem habent naturæ, cùm tamen eadem non ſint, ſed diuerſa. Vt ergo certo ordine ſingula distinctè, & lucidè interpretemur, primò de contrariorum mixtione tractabimus, poſtea & de reliquis. Ad contrariorum igitur mixtionem accedimus vel ex parte eorum, quæ in ægro inueniuntur, vel ab his, quæ reperiũtur exterius. Quæ in humano corpore inueniuntur, vel ſunt morbi, vel cauſæ, vel ſymptomata morborum, vel naturæ diuerſitas. Quæ verò exterius, vt aër, conſuetudo, vel aliquid tale. Quãdo igitur morbi inter ſe ſunt contrarij, cùm contrariorum curatio ſit per contraria, neceſſariò medicinæ contrariæ ſunt commiſcendæ. Exempli gratia: Si occurrat nobis, qui patiatur ſimul vlcera inteſtinorum, & obſtructionem hepatis, habet hic proculdubiò morbos contrarios, qui contrariis indigent medicinis, adſtringentibus, inquam, & aperientibus: vlcera enim adſtringentibus indigent, obſtructio autem aperientibus medicinis. Igitur admiſcere oportet, quæ vtrumque facere poſſunt, & ita in hoc caſu coniungemus ſigillum lenium, ſeu terram ſigillatam cum aniſo, aut fœniculo, aut ſpica aut cinnamomo: ex his enim apertionem, ex illo adſtrictionem habebimus. Quando

autem

autem morbi ſimiles ſunt, & quatenus ad morbos eadem indigent curatione, vt in hemitritæo, vbi duæ febres ſunt, altera continua ex putredine pituitæ, altera à bile interpollata, inuadénſque alternis diebus: quatenus igitur febres omnino ſimiles ſunt, ſimillimis etiam indigent remediis, videlicet refrigerantibus, & humectantibus. Cauſas tamen habent omnino contrarias, cùm pituita ſit craſſa, frigida, & humida, bilis verò calida, & ſicca, & tenuis. Contrariis igitur indigebunt remediis, & auxiliis. Atque ita indicatione ſumpta à cauſis, admiſcendæ erunt nobis medicinæ contrariæ, partim quidem habentes vim incidendi, & attenuandi, partim verò contemperandi, & frigefaciendi. Congruè igitur faciemus apozemata, id eſt, decoctiones, & ſyrupos ex hordeo, ſeminibus melonũ, & cucurbitæ, ex endiuia, ſimul cum pipere, aniſo, cinamomo, abſinthio, & huiuſmodi. In primis enim vis eſt contemperandi, ſubſtantiam craſſefaciendi, refrigerandi, & humectandi: in ſecundis autem vis eſt attenuandi, incidendi, calfaciendi, exiccandi. Interdum etiam nec cauſæ, nec morbi ſunt contrarij, ſed ſymptomata, quæ tamen propter vehementiam vicem cauſarum gerunt, curationémque ad ſe trahunt:

vt in principio magnæ inflammationis materia fluente ad locum, ſi ſimul dolor ingens infeſtauerit, pro ſedando quidem dolore cogimur adhibere rarefacientia, & moderatè calefacientia, quæ augent defluxum materiæ, ratione verò defluxus indigemus conſtipantibus, & repellentibus, quæ augent dolorem. Sūptis igitur indicationibus à duobus ſymptomatibus oppoſitis, videlicet, defluxu, & dolore, oppoſitas medicinas commiſcemus, hanc quidem rarefacientem, & moderatè diſcutientem, illam verò conſtipantem, & repellentem, ſingulorum menſuram commodam commenſurando, prout alterum magis, vel minus inſtat. Sed de hoc poſtea fuſiùs ſuo loco dicemus. Quandoque verò, nec cauſæ, nec morbi, nec ſymptomata aduerſantur, ſed natura patientis contrarias exigit medicinas. Ex*empli gratia :* Erit *aliquis cathartico medicamento per ſeceſſum purgandus, cuius ventriculus admodum imbecillus eſt, & à quacunque, vel leui cauſa ad vomitum excitatur, tunc cathartico, in quo eſt vis aperiendi, & attrahendi admiſcemus medicinam, in qua ſit vis adſtringendi : & repellendi, & ſic cū ſcammonio miſcemus ſantalos, roſas, myrobalanos, & reliqua huiuſmodi.*

di. Vel quando alicui aperiendæ ſunt obſtructiones hæpatis, qui ardori vrinæ ſubiectus ſit, tunc ratione quidem obſtructionis indigemus attenuantibus, & incidentibus, ratione autem ardoris vrinæ emplaſticis indigemus, & craſſefacientibus. Admiſcebimus igitur, exẽpli gratia, oxymeliti, vel aniſo, vel dauco, vel ſeſeli, in quibus eſt vis incidẽdi, & attenuandi, ſemen maluæ, althea, pſilij, tragacanthum, in quibus vis eſt emplaſtica, & craſſefaciens. At ſi contigerit, vt nihil quidem ratione corporis, ſiue ſit ægritudo cum ſuis cauſis, & ſymptomatibus, ſiue ſit naturæ diuerſitas, inueniatur oppoſitum, quod indigeat contrarijs medicinis, ſed exterius aliqua occurrunt, quæ indicant contraria, tunc quoque cogimur ad oppoſitarum medicinarum commixtionem accedere. Vt ſiquis obſtructionem patiatur meatuum, qui ſunt in cute, ob impactionem craßiorum humorum, degátque hic tunc temporis ſub feruenti cælo, ratione obſtructionis indigebit attenuantibus, & incidẽtibus. Sed quoniam ea plurimam apertionem efficiunt, periculum eſt, ne feruida aëris intemperies plus penetret, attrahat, & reſoluat ſpiritus, & innatum calorem diminuat, præſertim ſi natura quoque patientis ad huiuſmodi reſolu-

tionem fuerit idonea, tunc enim longè tutius eſt cum attenuantibus, & incidentibus admiſcere, quæ moderatè craſſefaciant, & obtundant, ne ſcilicet, calor, & ſpiritus plus æquo attenuentur, & ab aëre extrinſeco diſſoluantur. Propterea adfrictiones, quæ in hoc caſu fieri ſolēt, oleum chamæmelinū, & anethinum, vel ſuſinum, id eſt, de lilijs albis admiſcere iubebimus, cum roſaceo, aut myrtino, aut melino, ſi fuerit prædicta cœli intemperies, vt de attenuandi, & incidendi viribus, quæ ſunt in præcedentibus oleis detrahamus aliquid cum iſtis poſterioribus, quæ vim habent conſtipandi, & obtundēdi acrimoniam: ita enim tonus, vigorq; contentiuæ virtutis conſeruabitur, ne nimia apertione lāgueſcat. Præterea ſiquis patiatur excoriationem veſicæ, fueritq; aſſuetus vti continuè rebus acidis, quales ſunt limones, omphacium, id eſt, agreſta, vt vulgò aiūt, vinum acidum, pruna, mala granata acida, ac reliqua huiuſcemodi, huq; cibarijs ratione temperaturæ plurimùm lætetur, ac ſe iuuari ſentiat: in hoc caſu, emplaſticis, & adſtringentibus indigemus, quibus acida omnia opponuntur, in quibus vis eſt abſtergendi, & incidendi, vt alibi probauimus, nihilominus conſuetudinis ratione, vt natura melius amplectatur remedia, quibus

vſuri

vſuri ſumus, mixtionem idoneam facimus ex acidis, in quibus vis eſt incidendi, & abſtergendi cum emplaſticis, & adſtringẽtibus. Hac *igitur intentione miſcemus, exempli gratia, tragacanthum, aut muccilaginem pſilij, aut altheæ, aut bolum armenum cum ſucco granatorum, aut ſyrupo oxyacanthæ, quem vulgo vocant ſyrupum de berberis.* Hoc *autem loco oritur dubitatio, quam primus excitauit* Auerrhois, *quomodo fieri poſſit, quòd duæ operationes contrariæ ſint ſimul, eodem tempore, in eodem loco, vel ſubiecto, vt conſtrictio, & dilatatio?* Non *enim valet ſolutio (vt rectè, quantùm ad hoc, dicit* Auerrhois) *quam nonnulli adduxerunt dicentes, idem contingere in huiuſmodi virtutibus tertijs contrarijs, quod contingit in qualitatibus ſenſibilibus cõtrarijs.* Neque *enim abſurdum eſt (aiunt illi) vt duæ qualitates ſenſibiles oppoſitæ ſimul, eodem tempore percipiantur, ſicut calor, & frigus: dulcedo, & amaritudo: album, & nigrum: bonus odor, & fœtor: vox grauis, & acuta.* Eodem *igitur modo non erit incongruum conſtrictionem, & dilatationem ſimul fieri.* Hæc *ſolutio (vt diximus) parum efficax eſt.* Neque *enim ſimile eſt, quod ſimile exiſtimant.* Nam *ſpecies ſen-*

ſibilium percipiuntur à ſenſibus, & ideò nihil incommodi ſequitur, ſi ſimul oppoſita ſentiantur, cùm realiter non immutent inſtrumentum, neque motu propriè dicto: ſi enim eſſet ibi verus motus, tunc alteratio ad alterum terminum non obſtaret alterationi ad alterum oppoſitum, vt apparet etiam in ſenſu tactus, qui magis materialis eſt. Quamuis enim in eo ſenſu recipi poßint ſimul in ſenſitiuo primo ſpecies oppoſitæ caliditatis, & frigiditatis ita, vt videatur homo ſimul calfieri, & frigeſieri, nihilominus quantùm ad realem mutationem attinet, ea pars præciſa, quæ alteratur ad terminum frigiditatis, nullo pacto poteſt alterari eodem tempore ad terminum oppoſitum caliditatis, ſed ſucceßiuè tantùm, vt rectè diſcurrenti patet. Ergo *in his tertijs qualitatibus id multò minus fieri poteſt, cùm magis materiales ſint, & ad verum motum magis attinentes, quando enim aliquid dilatatur, ne imaginatio quidem recipit, vt eodem tempore conſtringi etiam poßit.* Et *quod de his oppoſitis dicimus, eodem prorſus modo de reliquis eſt dicendum, vt de rarefactione, condenſatione, remollitione, induratione, & aliis. Sunt enim omnes motus materiales, habentes terminos oppoſitos in ma-*

materia alterabili, & non motus intentionales, ſicut viſio, & auditio, in quibus motibus ſine reali alteratione ſpecies tantùm rerum in ſenſorijs recipiuntur. Hæc *ſentētia, & ratio ita perſuaſit* Auerrhoi, *vt confugerit ad ſententiam dogmati ſuo planè contrariam: oblituſq́; eſt hoc loco conſequēter loqui, quod tamen vbique affectat.* Vult *enim à cōmixtione artificiali fieri vnum in forma, ſicut in cōmixtione naturali ita, vt qualitates omnes inuentæ in miſcibilibus per artem inuicē refringantur, donec fiat vnitas formæ reſultans ex refractione diuerſorum, ſicut fit in mixtione naturali, vbi qualitates miſcibilium actu in ſingulis exiſtentes refringuntur mutuò, & remittuntur, faciuntq́; certam temperaturam compoſiti, diuerſam à temperatura omnium miſcibilium.* Et *ita nullum abſurdum ſequetur, ſi duæ medicinæ contrariæ commiſceantur, quarum altera vim habeat repellendi, altera diſcutiendi.* Iſtæ *enim duæ qualitates contrariæ, cùm per hanc opinionem, mutuò refringantur in mixto, tertiam formam efficiunt ſub qua contrarietas ad temperamentum reducitur per extremorum remiſſionem.* Miror *autem, quomodo vir iſte hanc ſententiā ſine vlla aſſignata ratione protulerit, tum placitis ſuis alienā, tum repugnātem.*

Vult enim alibi, calorem, complexionalem medicinarum reduci ad actum à calore naturali animalium & ante reductionem ad actum omnes qualitates earum eſſe in potentia. Quomodo igitur, ſi miſceantur, nec immutentur à calore aliquo extrinſeco, vt aëris, ignis, vel putrefactionis, de quibus poſtea diſſeremus, qualitas refringet qualitatem, quæ omnes ſunt ibi in potẽtia? Præterea formæ ſubſtantiales miſcibilium per artem, vel erunt in mixto ſecundum eſſe refractum, vel ſecundum eſſe perfectum. Non refractũ, quoniam ſequeretur formas ſubſtantiales mixtorũ ſuſcipere magis, & minus: quod omnino eſt contra veritatem, & ipſum Auerrhoem, licet hoc de formis primorum elementorum concedat. Si ſecundum eſſe perfectum, non ergo eſt ſimilis mixtio naturali mixtioni, quæ fit per artem, vt ipſe affirmat. In mixto enim naturali formæ miſcibilium non remanent in mixto ſecundũ eſſe perfectum. Quod ſi quis dixerit formas miſcibilium per artem penitus corrumpi, ergo in huiuſmodi mixtis nõ erit complexio, quod eſt manifeſtè falſum. Conſequentia probatur. Nam complexio fit per refractionem, & temperamentum plurium qualitatum extremarũ ad vnã formam mediam. Ergo corrupta forma ſubſtantiali,

ceterum

corrumpentur, quæ illam conſequuntur. Quòd ſi formæ ſubſtãtiales horum miſcibilium manent actu in mixto ſecundum eſſe perfectum, emanabunt ab illis qualitates perfectæ, dum ad actum ducentur, & nullo modo poterunt refringi, vel remitti, niſi vel per ſubtractionem debitæ quantitatis, vel additionem contrarij, vt antea modò monſtrauimus. Quando autem remittuntur per additionem contrarij, extra corpus humanum inuentæ non remittuntur: ibi enim in potentia tantùm ſunt, propterea nec intendi, nec remitti poſſunt. Talis ergo remiſſio non priùs fit, quàm hoc compoſitum applicetur corpori humano, & ab illius calore naturali ad actum ducatur: tunc enim qualitates ad actum ductæ mutuò intenduntur, & remittuntur, intenduntur quidem ſimiles, remittuntur verò contrariæ, & hoc non fis per commixtionem ſimilium, vel contrariorum, vt multi falſò opinantur, & incidũt ex tali falſa opinione in plurimos errores, & tenebras. Modi autem huius intenſionis, & remiſſionis, ſicut etiam ſuprà docuimus, fiunt, dum formæ ſubſtantiales ſingulorum miſcibilium ad proprium actum à calore naturali excitantur, tunc enim à ſingulis formis certæ prodeunt qualitates, in actu diuerſæ pro diuerſarum

formarum natura: quæ ſi inter ſe ſimiles fuerint, effectus augebitur qualitatibus illis conueniens, niſi diminuatur potentioris qualitas eo modo, quo ſuperius declarauimus. Si verò fuerint contrariæ, tantò minuitur alterius effectus, quantò eſt vis maior contrarij reſiſtentis. Et hæc omnia ſemper dicimus de medicinis non fermentatis, ne hic aliquis anſam capiat dubitandi. Ad propoſitum igitur redeundo Auerrhois nullo modo ſaluari poteſt, qui non veritati tantùm, ſed ſibi ipſi quoque repugnat. Nam, vt oſtendimus, nec extra humanum corpus, nec intra etiam poteſt fieri huiuſmodi mixtio, quã ipſe imaginatur. Cæterum ſine hac vana imaginatione optimè ſaluari, oſtẽdique poteſt, quomodo vires oppoſitæ qualitatum tertiarum ſimul operentur, corpori humano applicitæ, ſi modò ſupponamus principia à nobis rectè fundata, quibus nihil eorum, quæ hactenus diximus, contradixit, neque contradicent, quæ deinceps dicturi ſumus. Contingat igitur, vt ſimul indigeamus, exempli gratia, medicina adſtringente, & medicina dilatante, ſicut contingit in principio inflammationis, vbi reſpectu materiei defluentis indigemus re adſtringente, & repellente, ratione verò materiæ, quæ fluxit, re dilatante,

te, & diſcutiente, admiſceatúrque ſimul oleum roſaceum cum oleo amygdalarum dulcium, quæ quidem habent ſuas temperaturas directè oppoſitas: roſaceum enim frigidum eſt, & ſiccum in primo gradu, amygdalinum autem in eodem calidum, & humidum: ab oppoſitis autem temperaturis oppoſitæ fiunt actiones: formæ enim ſubſtantiales (vt voluit etiam Galenus) vel ſunt temperaturæ, vel ipſas in omnibus actionibus conſequuntur. A frigido igitur, & ſicco temperamento, ſi in craſſa ſubſtantia fuerit, quãtùm ad ſecundas qualitates attinet, acerbus ſapor emanat, quantùm verò ad tertias virtutes, vis adſtringendi, & repellendi. A calido autem, & humido ſapor dulcis, & qualitas tertia dilatandi, aperiendi, & diſcutiẽdi. Tam diu ergo qualibet harum medicinarum corpori humano applicata, & ad actũ ducta, per has virtutes operabitur, quã diu propriam formam, & temperamentum ſeruabit. Tam diu autem ſeruabit, quam diu nõ corrumpetur, vel per fermentationem, vel per aliquid aliud. Admiſceatur itaque oleum roſaceum cum amygdalino ſine aliqua fermentatione, quẽadmodum quotidie facimus, & inflãmationi in principio applicetur roſaceũ quidem refrigerabit, & adſtringet, amyg-

dalinum autem calfaciet, & aperiet. Vel ergo æquis ponderibus applicabuntur, vel inæqualibus: ſi æqualibus, cùm alterum tantum præciſè poſſit refrigerando, & adſtringendo, quantum alterum calfaciendo, & dilatando: nam vt paulo ſupra docuimus, & probauimus ab eodem gradu temperamenti in oppoſitis qualitatibus inuento æqualis actio prouenit: fiet ergo par conatus vtriuſque virtutis, vt hæc quidem adſtringat, illa vero dilatet: ad neutrum tamen terminorum deducetur pars alteranda, ſed in eodem tono permanebit. Actiones enim, & paſſiones non proueniunt, niſi à proportione maioris: & minoris proportionis, vel inæqualitatis, vt alibi didiciſtis. Si verò ponderibus inæqualibus miſceantur, tantò inclinabit actus alterius, quantò erit maioris, aut minoris virtutis proportio, cedétque dilatio, ſi ita contingat, conſtrictioni, non ita tamen, vt liber ſequatur actus conſtrictionis, ſed impeditus propter reſiſtentiam contrarij, ita, vt in eiuſmodi reluctatione fiant in eodem à diuerſis agentibus actus oppoſiti, ſed alterius apparet victoria, quod nullo modo eſt abſurdum, nec repugnat imaginationi, rationi, & authoritatibus: & hoc non aduertit Auenhois. Poſſumus autem

tem hoc optimè aſsimilare duobus luctantibus ita, vt alter alterius impulſionem ferat ad terminos oppoſitos, ſi quidem ambo æquis viribus pollebunt, neuter de loco cadet, ſed vterque in tono, & vigore permanebit. Si verò inæqualibus, fueritque inæqualitas maxima, imbecillis nullam, aut minimam faciet reſiſtentiam, paucóque negotio profligabitur, aut etiam proſternetur: non multa vero inæqualitate exiſtente cadet quidem imbecillior pro inæqualitatis ratione, reſiſtet tamen, & reluctabitur, impellentíſque conatus, ſi non ex toto, magna tamen ex parte, irritos reddet. Hæc de mixtione medicinarum, quæ in tertijs qualitatibus opponuntur, dicta ſufficiant. Accedamus modò ad mixtionem earum, quæ non ſunt oppoſitæ, ſed diſsimiles.

QVA ARTE COMMIſceantur medicamenta ſecundum tertias qualitates diſsimiles.

DIſsimilitudo harum qualitatum duplex eſt. Vel enim cõueniunt in vnitate ſui primi generis, & ſunt diſsimiles in proximis tantùm, vt emollitio, & exulceratio: nã ſub primo genere am-

bo conueniunt, cùm æqualiter ſint qualitates tertiæ, diſsimilãtur tamen in proximis. Aliud *enim eſt proximũ genus emollitionis, & induratoinis, aliud exulcerationis, & emplaſticæ facultatis.* Vel *etiam in ſuis primis generibus diſsimiles ſunt, vt emollitio, & vẽtriculi corroboratio: nam corroboratio ventriculi eſt ſub genere quartarum qualitatũ, emollitio verò tertiarum.* Prius *igitur de prima diſsimilitudine dicendum, deinde ad alterã accedemus.* Medicinas *in qualitatibus tertiis diſsimiles cõponimus, eoſdẽ omnino ſcopos obſeruantes, quos de contrariis enumerauimus, niſi quòd ibi contrarietas, hic diſsimilitudo tantùm attenditur. Cùm ergo cauſæ ægritudinum ſunt diſsimiles, diſsimiles componimus qualitates.* Vt *ſi atra bilis ſimul cum ruffa venas, & totum ambitum corporis repleuerit, cùm hi humores, non quidem contrarii ſint, ſed diſsimiles, diſsimiles etiã illis conuenient qualitates.* Et *quantùm ad primas attinet, atræ quidem bili calida, & humida competent, ruffæ autem frigida, & humida: quantùm ad ſecũdas qualitates, atræ dulcia, aquea, ruffæ inſipida, & acida: quãtùm ad tertias, atræ emolliẽtia, ruffæ emplaſtica, & cõtemperantia.* Ergo *aquam, ſeu decoctum violarum, cucurbitæ, lactucæ,*

portulacæ,

portulacæ,nymphe æcũ ſaccharo,aut ſucco granatorum dulcium, vel pomorum depurato, aut iulep violaceo aut mannæ, aut flori caſſiæ commiſcebimus, prout variæ intentiones occurrent, & ita habebimus qualitates primas, ſecundas, & tertias aduerſus vtrumque humorẽ conuenientes, cõmixtas, vt benè diſcurrẽti apparet. Aegritudines *diſsimiles ſunt, vt ſi quis patiatur frigidam, & humidam ventriculi intemperiem cum excoriatione æſophagi facta ex vomitione bilis praſsinæ. Diuerſis igitur qualitatibus occurremus, ac excoriationi quidẽ pro qualitatibus primis cõueniunt frigida, & ſicca, pro ſecundis ſapor acerbus, pro tertiis adſtrictio.* Malæ *verò temperaturæ frigidæ, & humidæ, pro primis quidem qualitatibus calida, & ſicca, pro ſecundis autem amara, pro tertiis abſtergẽtia, & incidentia. Cõmiſcebimus igitur in hoc caſu baccas myrtorũ, & rhu obſoniorum, quod ſumach vocant, hypociſtidẽ, mora immatura, gentianã, ariſtolochiam cum ſucco abſinthij, centaurei minoris, ſucco cichorei, cũ rhabarbaro, aut aliquo tali: in primis enim illis ſunt omnes qualitates excoriationi congruæ, in iis poſterioribus ad malã tẽperaturã frigidam, & humidam ventriculi idoneæ, nec tamen ſunt vel hæ, vel illæ interſe cõtrariæ, ſed diſsi-*

miles tantùm, ſicuti etiam diſsimiles ſunt ægritudines propoſitæ, & inde apparet ars cõponendi. Symptomata etiam diſsimilia ſunt, vt dolor colicus, & ſyncope ob reſolutionem ſpirituum. Dolori igitur conueniũt anodyna, dolorémque lenientia, quæ ſunt calida, & debent eſſe in primo gradu aperientia, & ſine attractione diſcutientia, quale eſt oleum amygdalinum dulce, oleum ſeſaminum, ſuſinum, ſabinum, & huiuſmodi. Syncopæ congruunt odorata, calfacientia, & nutrientia, quale eſt vinum, maximé falernũ, & maluaticum, moſchus, ambra, cinnamomum. Rectè igitur in vſu commiſcemus, ſi ita contigerit, Accipe olei amydalini dulcis vncias ſex, vini maluatici vncias duas, aut tres, moſchi, ambræ, ſingulorum grana quinque, cinnamomi ſcrupulum vnum, & calidum propinabitur. Hinc patet & ſymptomata & remedia cõmixta eſſe diſsimilia, non tamen contraria. Poſſunt autem comparari non tantùm cauſæ ad cauſas, morbi ad morbos, ſymptomata ad ſymptomata, ſed etiam cauſæ ad morbos, & morbi ad ſymptomata, tã in contrarijs, quàm in diſsimilibus. Exemplum in cõtrariis cauſarum ad morbos, vt ſi cauſa fuerit pituita, morbus vero febris, pituita enim frigida eſt, & humida, febris calida, & ſicca. Exemplũ

morbi

morbi ad ſymptomata, vt ſi morbus fuerit inflammatio ventriculi, ſymptoma autem dolor capitis. Hic *enim eadem methodo medicinas commiſcemus ſemper dirigendo rationem, & ſcopum commiſcendi ad ſcopum cõtrarietatis, vel diſſimilitudinis, quæ ſecundũ commodam, & omnimodam comparationem inueniuntur in cauſis, morbis, & ſymptomatibus.* In *diſſimilibus verò ſumptis à rebus extrinſecis, vt aëre, conſuetudine, nullam ſumimus indicationem componendi medicamenta, quemadmodum facimus in cõtrariis.* R*atio eſt, quoniam à rebus extrinſecis nulla ſumitur indicatio curandi, vt ab aëre, & cõſuetudine, ſed iſta tantùm cõcedunt, vel prohibent nos aliquid operari.* Exempli *gratia, ſi à morbo ſumpta indicatione ſit alicui vena ſecanda, aëris qualitas, & cõſuetudo nihil quidem indicant eſſe faciendum, ſed permittunt, aut prohibent id fieri.* Si *enim aër fuerit temperatus, & æger fuerit hoc remedio aſſuetus, audacter ſecabimus.* Si *oppoſitum contigerit, vel omnino abſtinebimus, vel parcè ſecabimus. prohibemur igitur, vel permittimur, vbi eiuſmodi extrinſeca ſimilia, vel contraria occurrerint.* N*am ſi diſſimilia ſunt, neque prohibent, neque concedunt.* Sit *enim aliquis venationi aſſuetus, cui purgan-*

tem

tem medicinam exhibere oporteat, profectò ratione illius conſuetudinis ad venandum nulla indigemus compoſitione, quoniam nihil facit, vel impedit, ſiue velimus, ſiue nolimus exhibere. Simili modo, ſi quis planitiẽ, vel mõtes inhabitet, degátq; ſub cœlo ſereno, vel nubilo, ſi modò indigeat euacuatione, planities, vel mõtes, vel ſerenitas cœli, vel nubes nihil nobis faceſſunt negocij, vt oporteat aliquid ratione ipſorũ medicamento admiſceri, videlicet quoniam contraria non ſunt medicationi, ſed diſsimilia: inter res autem diſsimiles non eſt actio, vel paſsio. Pro ſecunda diſsimilitudinis ſpecie, quæ eſt in diuerſis generibus, ſupponendum quaſdam eſſe medicinas, quarum temperaturis ineſt, vt alicui determinato mẽbro ita ſint familiares, vel inimicæ, vt corpori applicitæ, illi membro vel ſoli, vel præcipuè, aut proſint, aut noceãt, cui vel prodeſſe, vel nocere à natura inſtitutũ eſt: vt in aloë inſignem proprietatẽ ineſſe videmus, qua maximè ſtomacho, inteſtiníſque confert, corallũ etiã aiũt exterius appoſitum, vel appenſum & pro amuleto geſtatum ad ventriculi robur efficaciſsimũ eſſe, hæpati ſpicam nardi, & rhabarbarum familiariſsimũ. Sed, vt vulgares etiam medici nôrunt, adiãtum, ſeu capillus veneris renibus, betonicam

vesicæ,

veſicæ, ſtoechadem capiti, bechium, ſiue tuſsilaginem, quã vulgo vngulã caballinã vocãt, pectori conferre, vnde & nomẽ accepit. Probauit hæc ita eſſe Galenus primo de componendis medicamentis ſecundũ genera in proœmio contra nonnullos antiquorum, exemplis ductis à marino lepore, & cãtharidibus, quorũ cantharides quidem, ſi intra ſumãtur, reliquis omnibus mẽbris, per quæ tranſeunt, ſine læſione prætermiſsis, veſicam tãtùm, lædunt, & exulcerant: leporem verò marinum pulmoni tantũ infeſtum eſſe, illumque ſolum exulcerare, quãuis per tot alia mẽbra trãſeat, & illa quidẽ mollia, antequã ad ipſum accedat. Simile eſt, quod etiã ab eodẽ Galeno in libello de vi purgantium medicamentorũ dicitur de herba à ſubulco quodã obſeruata, quæ hæpar eliquabat, totúmque ſanguinem educebat. Ineſt & alia proprietas quibuſdã medicinis præter hanc, quã diximus membra reſpicere, videlicet educendi quẽdam humorem è corpore, vt ſcammoniæ, & rhabarbaro bilem, aloë ſtercus feceſque inteſtinorum, quæ ideo à græcis ἐκκοπρωτικὰ id eſt, ſtercoraria medicina appellatur, epithymo, & elleboro nigro bilem nigram vel atram, agarico pituitã, aſparago, & carduo vrinam, ſtapidiagriæ id eſt, pediculari herbæ manducatæ muc-

eos, hordei decocto, & anchuſæ, quæ lycopſis nuncupatur, éſtque lactucæ ſimilis ſudori. Ego *præterea olim audiui, & accepi à* Hieronymo Leandro, *qui nunc* Cardinalis *eſt, viro tum aliarum diſciplinarum, tum medicinæ peritiſsimo, ſe experimento comprobaſſe, præcipuumq́; inter arcana habere, aquã deſtillatá à flore illius violæ quæ bicolor eſt, purpurea, inquam, & alba, foliis inciſis, oblongis, vulgóque notiſsima, & paſsim in hortis naſcens, efficaciſsimam eſſe ſi quid vnquam aliud, ad ſudorem prouocandum.* Et *hæc ſatis de proprietatibus medicinarum, quas ideò quartas virtutes appellauimus, vt à reliquis tribus qualitatibus diſtinguerentur.* Conſequuntur *autem iſte omnes potiùs formam ſubſtantialem, quàm qualitatem aliquam manifeſtam, ideò ſola experientia deprahẽdi poſſunt, neque alia ratione perdiſci, niſi memoriæ mandentur, quod quidem facilè fieri poterit, cùm non adeò multa ſint.* His *igitur ita explicatis, videamus modò, ad quas intẽtiones directi componamus tertias qualitates medicinarum cum huiuſmodi quartis qualitatibus, vt mollitiuam cum prouocatiua vrinæ.* Id *profectò faciemus, quando vel plures, diuerſæque res præter naturam inueniũtur in corpore humano, quarum aliæ ter-*

tiis

tiis qualitatibus, aliæ quartis indigeant, vel quia vna tantùm res ſit præter naturam, cui ſit occurrendum, ſed aliis quoque medicinis indigemus, vt membrum principale aliquo pacto corroboremus. Exemplum primi *ſit, vt ſi quis laboret ſimul & alui fluore, & retentione vrinæ, pro alui quidem fluore conſtringentibus, & conſtipantibus indigemus, pro retentione autem vrinæ iis, quibus vis ineſt prouocandi vrinam.* Ad *has igitur intentiones directi hanc, vel ſimilem medicinam cōponemus.* Exempli *gratia: accipe radicū cardui, aſparagi ſingulorum vncias duas, ſeminum aniſi vnciam: decoquantur in tribus libris aquæ fontis vſque ad conſumptionem medietatis, deinde ſumatur ſucci citoniorum depurati, ſucci, vel ſyrupi baccarum myrtorū, ſingulorum vncia, miſceatúrque tribus vnciis illius decoctionis, & exhibeatur calidum in aurora.* Ex *aſparagis, & carduis habemus vim prouocandi vrinam: miſcemus autem aſparagos cum carduis, nam ſi cardui ſoli ſumerentur, nimis violentè ducerent, ſunt enim efficaciſſimi,* Cùm *autem radicum vnciæ quatuor eſſent decoquendæ pro tribus potionibus, nec eſſent omnes ſumendæ ex ſolis carduis ob rationem dictam, propterea vt ſimul & quantitas eſſet ſufficiens, & vis va*

lidioris refringeretur, ſumpſimus medicinam quidem eiuſdem virtutis, ſed debiliorē. Et ex *hac mixtione habuimus gradum virium, quem ſufficere iudicauimus, ſeruantes rationem methodi quam ſuprà docuimus, vbi de remiſsione medicinarum calidarū ex admixtione alterius medicinæ remiſsiùs calidæ loquebamur.* Aniſum autē *commiſcemus, quoniam ſuis qualitatibus manifeſtis, caliditate, ſcilicet, tertij gradus, & facultate, quam habet incidendi, & colliquandi ſeparat seroſitatem à ſanguine, vrinæq; copiam facit: & pro hoc recurratis ad methodum de ſimplicibus medicamentis, ad caput de prouccantibus vrinam, & hæc omnia vobis patebunt.* Ex *ſucco autem citoniorum, vel mirthorum conſtat nos habere vim conſtringendi aluum, & ita ex iſta commixtione aſſequimur, quod à principio quærebamus, videlicet, vrinæ prouocationem, & alui conſtrictionem.* Exem*plum autem ſecundi, videlicet, & quando plurimum medicinarum compoſitione indigemus, quamuis vni rei tantùm præter naturam ſit occurrendum, tale erit.* P*atiatur aliquis hemicraneam ob acres humores in paniculis cerebri contentos, iſte vno quidem affectu laborat, & iſte euacuato prius capite, ſolis indiget medicamentis, quæ habent vim*

contem-

contemperandi, refrigerandi, & obtundendi acrimoniam. Vnde quantum attinet ad affe ctum ſufficeret caput tantum linire oleo ad hoc opus idoneo, quale eſt violaceum, aut nymph eæ, quod vulgò nenupharinum vocãt: vt tamen actio magis imprimatur cerebro, admiſcemus illi aliquam portionem medica menti, quod habet quandam affinitatem cũ capite, quale eſt oleum gariophilorum, vel ſtoechados contritæ, vel maioranæ. Et ſic accipiemus, exempli gratia, olei violacei vncias quatuor, olei gariophilorum, vel ſtoechados, vel maioranæ vnciam. Quibus commixtis caput deraſum foueatur. Vel ſic: accipe olei nenupharini vncias tres, ſtoechadis, aut maioranæ diligenter contritæ, & cribro excuſſæ drachmas duas, miſce, & cum modico ceræ albæ fiat linimentum pro capite. Hactenus de arte commiſcendi medicamenta, in quibus ſunt diſsimiles qualitates. Sequitur vt de ſimilium qualitatum commixtione diſſeramus.

DE COMPONENDIS
QVA ARTE COMMISCEANtur medicamenta ſecundum qualitates ſimiles.

ARbitror iam ex ſuperioribus eſſe manifeſtum, indicationum caput, vnde varietas oritur omnium compoſitionum ſumi ab aliqua re præter naturam, quæ corpori humano contingat: cui ſi vna tantùm facultate medicamenti occurrere poſſumus, nullam præter hãc quærimus, ſi pluribus indigemus, neque omnes in ſolo medicamento reperiuntur, ad plurium compoſitionem confugimus. Meritò igitur varia erit compoſitio pro varietate rerum præter naturam, quæ nobis occurrunt. Quam igitur de contrariis & diſſimilibus diximus, eadem omnino ratio ſeruabitur in ſimilibus. Et quoniam vt in therapeutica docetur, indicationes curandi quandoque ſumuntur à cauſis, vbi morbus cauſas habuerit, quandoque à morbis, vbi morbi non dependeant, ſed planè ſint perfecti, quandoque à ſymptomatibus, vbi habebunt rationem cauſæ, vt ſyncope & dolor vehemens. Si ergo à cauſis incipienda ſit curatio, quæ plures ſint, non ta-

men

men contrariæ, neque diſsimiles, ſed ſimiles, ad ſimilium compoſitionẽ accedemus, quãdo ſimplex medicina nõ ſuffecerit. Sit ergo ſcirrhus in aliqua parte corporis à materia pituitoſa craſſefacta, ad quam defluxerit etiã pituita tenuis, & viſcoſa, quod quidẽ ſæpe cõtingit, appellatúrque is tumor à Grecis medicis σκίῤῥος οἰδηματώδης *. Hic habemus duas cauſas huius ſcirrhi ſimiles admodũ inter ſe: ſunt enim ambæ frigidæ, & humidæ, & ſub eodẽ genere, ac nomine pituitæ, aliqua tamẽ ex parte diuerſæ, vnde & diuerſas faciũt indicationes curãdi. Pituitæ enim craſſefactæ, & induratæ cõuenit emollitio, & inciſio, viſcidæ autem, & tenui abſterſio. Sed emollitio materiæ duræ ob craſsitudinem, & abſterſio frigidæ viſcidæ, atque inciſio craſſæ ſunt operationes admodùm ſimiles, & ab eadem radice ortæ. Quæ enim dura ſunt ob craſſitudinem, emolliuntur à calidis, & ſiccis vſque ad ſecundum gradũ, quale eſt bdellium, & ammoniacum. Quæ frigida, & viſcoſa, abſterguntur à calidis, & ſiccis vltra ſecundum, quale eſt mel, lupini, aloë. Quæ incidunt craſſa, calida eſſe oportet in tertio gradu, vt ciminum, origanum, calamenthum, pyrethrũ, piper. Conueniunt præterea in ſubſtantia omnia hæc, cùm ex ſubtilibus partibus con-*

ſtent. Hunc igitur ſcopum obſeruantes, videlicet, vt ſimilibus cauſis ſimiles adhibeamus medicinas, ſcirrhum propoſitum curabimus, indicatione ſumpta à cauſis. Si per os ſumus materiam aliquo pharmaco concocturi, & preparaturi, ita faciemus commixtionem. Accipe myrrhæ, bdellii ſcythici ſingulorum ſeſquiunciam, croci ſemidrahmam, mellis roſacei libram. Cuius mixtionis ſingulis diebus mane ieiunis deuorabitur vncia, ſtatimq; poſtea parum vini aromatici ſuperhibetur. Myrrha, & bdellium pari pondere adiiciuntur, quoniam in vtroque eſt par gradus caloris, & ſiccitatis, párque vis concoquendi: vtrunque autem ſimul apponitur, quoniã in bdellio ſcythico vis maxima eſt emolliendi indurata ob craßitudinẽ, in myrrha verò vis eſt moderatè abſtergẽdi, & iucũdo odore ſpiritus vitales, calorẽque naturalẽ recreat, quibus omnibus indigemus, ideo nõ fruſtra cõmiſcẽtur. Crocus adiicitur quoniã præter ſuã innatam vim, qua habet facultatẽ cõcoquendi, habet etiam adſtringendi potentiã, qua retinet calorẽ naturalem: habet præterea partes admodum tenues, quibus penetrat ad profundũ, vt reliquas medicinas deducat, nec minùs proprietate pollet, qua cordi tonum, vigorémque adfert: quod non leue præſidiũ eſt ad aliorũ

actiones

actiones fœlicitãdas. Sub triplo autẽ pondere tantũ, ad myrrhã & bdelliũ apponitur, quoniam vis illius, & vt Græci dicunt ἰνὶϱ ϐια efficaciſsima eſt, vt paruo admodum pondere efficiat, quod aliæ medicinæ vix maximo poſſunt: demum mel roſaceum adiicitur propter vim abſtergendi, qua maximè indigemus ob pituitã tenuẽ viſcoſam, quã in propoſito tumore ſuppoſuimus: roſaceũ verò potius, quàm ſimplex, quoniã præterquã quòd magis abſtergit ratione amaritudinis, quã acquiſiuit à roſis, etiã corroborat, & modicè adſtringit, quod etiã nobis cõfert ad retinẽdũ calorẽ. Si verò occurrere velimus huic tumori, nihil offerẽdo per os, ſed remediis exteriùs applicitis, eaſdẽ intẽtiones obſeruãtes admiſcebimus myrrhã, bdelliũ, ammoniacum, farinam lupinorum, terebinthinam, aloẽn, & ſimilia. Vos igitur his, & ſimilibus exẽplis excitati, ingenia exercebitis, vt poſtea & voſmetipſi cõponere ſciatis, & aliarũ cõpoſitionũ artificia cognoſcere. Quòd ſi à pluribus morbis ſimilibus indicationes curãdi ſumẽdæ fuerint, eadẽ prorſus ratione, quã de cauſis diximus, ad cõpoſitionẽ accedetis. Sit enim tracheæ arteriæ præter naturam aſperitas cũ duritie ob ſiccitatem orta, vnde tuſsis, & vox vitioſa ſubſequatur. Duo hîc ſunt morbi in compo-

ſitione, ſcilicet, aſperitas, & , durities, non tamen iidem, ſed admodum ſimiles: ſimilibus igitur indigebunt medicinis, diuerſis tamen. Ergo pro aſperitate emplaſticas medicinas eligemus, pro duritie mollientes. Mollitiua au*tem induratorum propter ſiccitatem, debent eſſe humida, & cum nulla prorſus, vel ſaltē modica caliditate eaſdem qualitates medicinæ emplaſticæ maximè expetunt, niſi quòd craſſam, viſcidámque ſubſtantiam adiiciunt, quæ tamen mollientibus non adeò aduerſatur.* Meritò *igitur hæ medicinæ ſimiles dicuntur, & meritò in huiuſmodi caſu componūtur, quoniam & morbi ſimiles ſunt. Sumatur igitur tragacanthum, vel gummi arabicum, vel muccilago ſeminum maluarum, altheæ, citoniorum, vel omnium, vel plurium ex iſtis ſecundū varias rationes, aut corporū, aut morborum, quos curamus, vt aliàs docebimus, commiſceantur cum ſyrupo violaceo, aut nenupharino, aut cōfectione ex ſucco tuſſilaginis, & fiat eclegma, ſiue lābitiuū, quod iugiter in ore teneatur, & paulatim deglutiatur.* In *tragacantho enim, & reliquis illis eſt virtus emplaſtica tollens aſperitatē: in ſyrupo autē violaceo, & iis alijs poſterioribus vis emolliendi indurata ob ſiccitatem, quæ tamen ambæ facultates admodùm ſimiles ſunt.*

ſunt, & ſe inuicem adiuuãt, & iure etiã ſimilibus morbis applicantur. Quicquid de cauſis, morbiſque diximus, idem penitus de ſymptomatibus pluribus ſimilibus eſt dicendum. Sit enim dolor colicus ob materiã craſſam incluſam intra tunicas inteſtinorũ ſimul cũ adſtrictione alui. Hîc ſunt duo ſymptomata admodũ ſimilia: nam ambo à conſtipatione proueniunt: ſimilibus igitur tollentur remediis. Vẽtris autem adſtrictio lenientibus, & abſtergentibus indiget, colicus dolor aperientibus, & diſcutientibus. Sed iſtæ omnes facultates per quàm ſimiles ſunt, & ab iiſdẽ fere principiis oriuntur, nam tenuem ſubſtantiam pariter requirunt cum caliditate moderata. Nos igitur ad has facultates animũ dirigentes enemata componemus, quale erit hoc, exempli gratia: Accipe oxymellis ſimplicis vncias quatuor, olei chamæmelini, anethini, ſingulorum vncias tres, duo vitella ouorum, ptiſanæ colatæ vncias quatuor, miſce, & fiat enema. Ab oxymellite vim habemus abſtergendi, incidendi, & irritandi: incidendi quidem, & abſtergendi pituitam craſſam, & lẽtam, quæ plerunque, & plurimùm remoratur feces: Irritandi autem inteſtina, vt virtus expulſiua excitetur ad expellendum, ab oleo chamæmelino, & anetino habemus vim a-

periendi, & diſcutiendi, vtrumque autem commiſcemus, vt anetini caliditas potentior refringatur à chamæmelino, remaneátque intenſior quidem, quàm in chamæmelino ſolo, remiſsior autẽ, quàm in anetino ſolo, vt ita idonea ſit ad maiorem apertionem, ita tamen, ne plùs æquo incaleſcat locus, & inde ſequatur attractio nouæ materiei. Ptiſana ponitur, vt ſimul adiuuetur abſterſio, ſimùlque, ſi qua mordicatio in affectis ab oxymellite impreſſa fuerit, vt inde augeatur dolor, leniri, obtundíque poſsit: ad ptiſanæ æqualitatem vitella ouorum adiiciuntur ad molliendum, dolorémque ſedandum. Erit *igitur hoc enema propoſitis ſymptomatibus valde conueniens, ac vobis exemplum paratum ſimilia componẽdi, eaſdem, quas nos fecimus, intentiones obſeruando.*

QVA ARTE COMMISCEANtur *medicamenta ſecundum quartas qualitates.*

R*Eliquum eſt modò, vt de mixtione quartarum qualitatum diſſeramus, vbi diutius remorari nõ oportet. Iiſdem omnino ſcopis admiſcebũtur, quibus*

bus tertias admiſceri diximus, modò cōtrarias, modò diſsimiles, modò ſimiles componendo, prout cauſæ, vel morbi, vel ſymptomata contraria, aut diſsimilia, aut ſimilia fuerint. Si quis enim vrinæ difficultatem, quam ſtranguriam vocant, patiatur, ac ſimul podagrico dolore laboret: certum eſt, ſiquis ambo ſymptomata curare voluerit, medicinas admiſcere neceſſe, eſſe, quæ aduerſus vtrumque pugnent. Adianton igitur, exempli gratia, althæam, daucum, fœniculum, aſparagum, carduum cum chamæpity, id eſt, iua, acoro, hermodactylis, hapontico, myrobalanis, chebulis, & reliquis huiuſmodi commiſcebimus ſcientes quidem in adianto, & aliis deinceps prædictis vim ineſſe prouocandi vrinā, in chamæpity autem, & quæ ſequuntur, partim purgandi, partim corroborandi articulos. Hoc *igitur modo, & calle procedentes in quartis his virtutibus, ſicut in aliis prioribus docuimus, ingenia ad cōponendū exercebitis.*

QVA ARTE COMMISCEANantur *medicamenta ſecundum ſubſtantias, vel modos ſubſtantiæ,*

c *Vm explicuerimus, quot modis, & qua arte, vel via qualitatū genera ſimul componi debeant:*

Sequitur, prout à principio erat inſtitutum, vt de ſubſtantia, vel modis ſubſtãtiæ tractemus. Sæpe enim contingit, vt aliqua ſubſtantia ratione craßitudinis, vel aſperitatis, aut alicuius ſimilis impedimenti ſit moderanda, & temperanda. Vt igitur id quoque certa methodo, atque arte explicemus, proponendæ ſunt inſigniores omnes contrarietates, quæ in modo ſubſtantiæ inueniuntur, vt ex iis poſtea componendi rationem eliciamus. Nolim tamen vos opinari, illas omnes nobis eſſe neceſſarias, quæ quarto meteororum ab Ariſtotele enumerantur: plurimæ enim earum ſunt, quæ nihil ad nos pertinent. Quæ verò vſui noſtro deſeruient, ferè tot ſunt: Craßities, tenuitas: Durities, mollities: Aſperitas, lenitas: Acuitas, obtuſio: Tarditas, velocitáſque operationis: Facilitas ad reſolutionem, & ad eãdem difficultas.

DE MIXTVRA TENVIVM, *& craſſorum medicamentorum.*

TEnuem igitur medicinã craſſæ admiſcemus, vbi craſſa quidem indigemus: illa tamẽ præ craßitudine ſua non poteſt penetrare ad partes, ad

quas

quas penetrare oporteret: propterea cum tenui admiſcemus, nullum alium vſum à tenuitate quærentes, niſi vt penetrationi ſuccurrat: cùm alioquin etiã ſit fortaſſe potiùs detrimẽto. Hanc *autem methodum, & rationem tradidit nobis* Galenus *in* 10. *de cõponẽdis medicamentis* κατὰ τοὺς τόπους, *capite primo. Si quis enim vlcus in veſica patiatur, ratione vlceris indiget emplaſticis, conglutinãtibus, & adſtringentibus. Sed quoniam hæ omnes facultates in craſſa ſubſtantia fundantur, admiſcemus illis diuretica quæ ſunt tenuis ſubſtantiæ. Sumamus igitur, exẽpli gratia,* Andromachi *deſcriptionem eodem loco poſitam à* Galeno, *ita habentem:* Accipe *ſeminum lini, ſeminum papaueris albi, ſeminum cucumeris, tragacanthæ, ſingulorum drachmas duas, amyli drachmas quatuor.* Ex *aqua paſtillos format miro artificio doctiſsimus* Andromachus, *& ad exulcerationem veſicæ hoc medicamentum componit. Semper enim vlceribus veſicæ duo adiunguntur dolor, & inflammatio.* Notetis *igitur obſecro vos, artem ſummi viri.* Primò *ponit ſemen lini, in quo ſunt vir s mollien di, diſcutiendi, ſedandi dolorem, & propter tenuitatem ſubſtantiæ penetrandi, quibus omnibus indigemus: mollire enim, & diſcu-*

tere oportebat inflammationem, dolorem ſedare, penetrationémque adiuuare ad loca remota propter craſsitudinem aliarum rerum, quæ poſtea admiſcentur. Adiungit deinde, etiam ſemen papaueris albi, in quo vis eſt ob refrigerationem leniẽdi imflammationes ſedandíque dolores: ſed præterea ſomnum conciliat, vnde vires patientis recreantur, concoctionéſque adiuuãtur, & fluxiones ad veſicam ſiſtit, quod maximè confert vlceri ſanando, neque interim caret tenui ſubſtantia, quæ facilè penetrat. Subditur ſemen cucumeris, quod iam planè diureticum eſt ita, vt tanquàm familiare medicamentũ emplaſtica, & adſtringentia ad veſicam commodiſsimè conuehat, quæ ſunt vera vlceris remedia: neque propterea tamen ocioſé conuehit, ſed interim & ipſum ſua frigiditate inflammationem ſedat, & dolorem lenit. Vltimò ponitur tragacanthum, & amylum, quæ ſunt fundamenta, & vt vulgò loquuntur, baſes compoſitionis. Vlcus enim eſt, quod ſanare intendimus: id autẽ per ſe facere poteſt in veſica tragacanthũ, & amylũ: habet enim vtrũque vires emplaſticas conglutinandi, & adſtringendi, quæ omnia ſanando vlceri veſicæ commodiſsima ſunt. Admirabilis igitur quædam proportio, & harmonia eſt in huiuſmo-

di

di mixtione, nec credatis minorem eſſe artem in ponderum proportione, ſed in his vos alibi exercebimus. Craſſam verò medicinam per contrarium tenui admiſcemus, cùm tenui quidem indigemus, craſſam tamen admiſcere oportet ratione vel membri, vel temperaturæ. Ratione membri, vt ſi humor viſcidus, craſſus in pulmone contentus, incidendus, abſtergendúſque ſit, ad hũc vſum indigemus medicina tenuis ſubſtãtiæ, calida, & ſicca. Sed trachea arteria, ab huiuſmedi exiccãtibus, & calfacientibus ad nimiã aſperitatem duceretur, tuſſiſq; immodica prouocaretur: emplaſticã igitur medicinã cum incidente, & abſtergente commiſcemus, vt ſimul & humores craſsi in pulmone contenti præparentur, & interim trachea arteria defendatur à nocumẽto. Hac ratione a Lyſia medico cõfectio quædã arteriaca inſtituta eſt, quæ in 7. de cõponẽdis medicamẽtis κατὰ τοὺς τόπους deſcribitur à Galeno. Ita autẽ habet: croci, myrrhæ, ſucci glyzirizæ, thuris, caſsiæ aromaticæ, ſingulorum drachma, piperis grana 24 paſsi cretici, mellis attici, ſingulorũ cyathos tres. Vtilitas huius medicamenti principalis eſt concoquere, & attenuare craſſos humores in pulmone contentos. Ideo pro coctione quidem crocus, & myrrha adhibẽtur.

Ineſt autem myrrhæ præter coctionem vis quoque abſtergendi, propterea non fruſtra additur croco, ad quem etiam vſum mel adiicitur. Pro *inciſione autem adiicitur piper in quo eſt vis incidendi efficaciſsima, ideo & maxima quantitas huius imponitur, quoniam præcipua eſt intentio incidendi.* Maximam *quantitatem voco grana 24. piperis, tum ratione virium acerrimarum, tum reſpectu modicæ quantitatis reliquarum ſpecierum, quæ in hac compoſitione ingrediuntur.* C*aßia autem præter vim, quam habet incidendi, & attenuandi, prohibet etiam putrefactionem: ideò vtiliſsimè piperi adiicitur.* Humores *enim craßi in pulmone contenti facilè putreſcunt, vnde febres malignæ oriuntur.* Sed *proculdubiò tot abſtergentia, & incidentia nimis exiccarent, exaſperarént que arteriã, & importunam tuſsim plùs æquo excitarent.* Summa *igitur arte prouidit author, vt emplaſtica, craſſæq; ſubſtantiæ medicamenta admiſcerentur, vt ſic leniretur arteria, & ab incidentium, ac abſtergentium iniuria vindicaretur.* Opportuniſsimè *itaque addũtur thus, & paſſum creticum, in quibus ambobus vis eſt emplaſtica, & craſſa ſubſtantia.* Nec *minori artificio pro hac intentione thus adiici-*

tur paſſo cretico: quantò enim vis maior emplaſtica in thure, & craßior ſubſtantia, tantò in paſſo viſcoſitas ſuperat, aptißimáque eſt ad remorandum, retinendúmque in tranſitu materiam, quæ applanet, & adæquet aſperitatem eius. Præterea liquor, & fluor commodißimus eſt ad motum, & penetrationem, quo prorſus carebat thus, quin etiam ob ſuam dulcedinem non paruam habet cum natura affinitatem, vt facilè natura ipſum amplectatur, & ad actum ducat. Hic *obiter notandus eſt error codicis, tam græci, quam latini.* Interpres *enim errorem non vidit ob imperitiam artis componendi.* V*bi igitur ſcriptum eſt, paßi cretici ſextaria tria, tu cyathos ponito.* Nimis *enim abſona proportio eſſet, tum trium ſextariorum paßi ad tres tantùm cyathos mellis, tum drachmæ quinque ſpecierum, quæ ſolæ totum compoſitum ingrediuntur ad tria ſextaria paßi, quæ græca ratione computando conficiunt libras quatuor cum dimidia.*

DE MIXTVRA MOLLIVM, *& durorum medicamentorum.*

DVra autem cum mollibus commiſcemus, vel commoditatis gratia, vt quãdo aliquis abhorreat medicinam ſolidam ſicut pilulas, & huiuſmodi, tunc diluimus cũ aliquo decocto, aut infuſione, aut aqua, vt ſimul emolliatur, potabil'éque reddatur, quod durum, & ſolidum eſt, ſimúlque adiuuetur aliquo vtilitatis genere medicamentum, vel refringendo eius caliditatem, aut acrimoniam, aut fœtorem, vel augendo vim ſoluendi, vel tale aliquid operando: neque enim debemus liquorem, quo medicamẽtum diluimus ocioſum ſumere, & ſinere, quin & ipſe aliquid adferat commodi. Vel admiſcemus dura cum mollibus, vt ad vlteriores partes, ad quas tranſire intendimus, medicamentum ducatur. Et hac ratione Galenus ſpecies hieræ picræ ſimplicis ex vino, aut aqua potandas iubet, vbi optat eius vim vltra iecur procedere. Hîc autem durum, & molle intelligere oportet, non propriè, quemadmodum quarto meteororum Ariſtoteles intellexit, & ſecundo de generatione,

ne atque interitu : ſed communi ſignificato, pro quocunque ſolido,& liquido.

DE MIXTVRA LENIVM, *& aſperorum medicamentorum.*

Aſperi verò,& lenis mixtionem facimus,vel quia re aliqua indigemus, cui contingit eſſe aſperam,& quærimus remota eius aſperitate quæ nobis impedimento eſt, cæteris commoditatibus frui:tunc enim admiſcemus aliquid lene,quod emendare poſsit aſperitatem. Vt in fluore alui orto à nimia humiditate ventriculi,& inteſtinorum,vbi pro exiccandis, corroborandíſque his partibus indigemus corallis, margaritis, electro, teſtis buccinorum crematis,& contritis,ac talibus aliis. Sed ſi timuerimus, ne ſua naturali aſpenitate nimis abſtergant,irriténtque ventriculum, & inteſtina, atque inde fluorem adaugeant, tunc illis admiſcemus, exempli gratia, ſyrupum de iuiubis, de ſiliquis, de myrthis,carnes palmularũ,aut tale aliquid, In his enim omnibus eſt quædã vis leniendi, & emplaſtica, qua tollitur aſperitas præcedentiũ. Vel aſperitatem quidẽ quærimus, at quia trãſitura eſt per loca anguſta,mollia,&

iniuriæ maximè expoſita volumus efficaciam eius refringere, & contemperare. Et hac intentione in calculo renum comminuendo, & expellendo vtiliſſimè miſcemus vitrum combuſtum, & contritum cum muccilagine ſeminum altheæ, cytoniorum, pſilij, gummi arabico, tragacantha, & huiuſmodi. Nam meritò timenda eſt nimia vitri aſperitas, ne tranſiens per anguſtos renum meatus, aliquam partem exulceret: propterea opportunè adduntur emplaſticæ, lenientéſque muccilagines.

DE MIXTVRA MEDICAMENTORVM, *quæ tardè, & velociter operantur.*

TArditas præterea operandi nos ſæpe cogit ad compoſitionem accedere. Vt ſi exhibenda ſit aliqua medicina cathartica, & illa adeò tardæ operationis fuerit, vt periculum ſit, ne eius operatio, vel occurrat alicui magno paroxiſmo futuro, vel noctu cogat ad importunos ſeceſſus, vnde æger, & algeat, & à ſomno arceatur.

Vt ergo eiuſmodi incommoda euitemus, addimus illi aliam medicinam, quæ citò operetur, non quidem adæquatis viribus, vel ponderibus, neque enim leuis error ſequeretur propter nimios, inæqualéſque motus, qui in corpore fierent, vt diffuſius ſuo loco docebimus: ſed ita moderanda ſunt vtriuſque pondera, & vires, vt medicina tardæ operationis, quam eligimus, & cuius operationes exquirimus, prorſus in hac mixtione dominetur, & nullo pacto ab alia trahatur, ſuperetur, & corrumpatur, ſed tantùm excitetur: quod facilè fit, dum virtus minoris medicinæ citò operantis attrahere incipit proprium humorem. Tunc enim calor naturalis, & ſpiritus acuuntur, viæ, & meatus dilatantur, ac facultates tam attractiua, quàm expulſiua excitantur, vnde & medicina tardæ operationis expergeſit, & ad actum deducitur. H*ac ratione plurima medicamenta cathartica apud* Græcos*, &* Ara*bas medicos compoſita inuenietis, vbi mirabili artificio ſcammonium, exempli gratia, cum agarico, & colocynthide copulatur: neque propterea ſibi ipſis diſſident clariſſimi illi viri, cùm priùs iuſſerint admiſcendas non eſſe medicinas tardæ operationis, cum his, quæ velociter purgant.* Nos *autem pro-*

prium caput de hac re inferiùs facturi ſumus, vbi purgantium medicinarum varias compoſitiones, admirandáque antiquorum artificia docebimus.

DE MIXTVRA MEDICAmentorum facilè, vel difficilè reſolubilium.

PRæterea contingit ſæpe, vt quarundam medicinarum vires ſint adeò reſolubiles, ac tranſpirabiles, vt præ nimia velocitate reſolutionis vſum præſtare non poſsint, cuius gratia illas conquiſiuimus. Sunt igitur coërcendæ cum ſuo contrario, quod tardè tranſpiret, & reſoluatur. Et hoc conſilium obſeruantes pomum ſolemus conficere, quo tempore peſtilentiæ, & febrium peſtiferarum, & in qualibet epidemia, medici, & alij quoque vulgares omnes paſsim vti conſueuere ad contagioſos halitus reſoluendos, repellendos, & corrigendos. Species enim aromatum odoratorum, vt ambræ, moſchi, camphoræ, cinnamomi, gariophylorũ, ladani, & reliquorum huiuſmodi ſubigimus cum gummi arabico, aut tragacantha diſſo-

lutis

lutis in aqua roſacea. Harum enim emplaſticarum medicinarum viſciditate, & craſſitudine, aromatum tenuitatem, tranſpirabilémque naturam coërcemus, vt diutiſsimè in pomo odoris iocunditas perſiſtat, & conſeruetur: quod niſi fieret, euaneſceret, & citò admodùm difflaret. His, & huiuſmodi intentionibus modos ſubſtātiæ in medicinis corrigimus, ſemper id obſeruando, vt extremorum congrua æqualitas obſeruetur, quæ ad certum vſum accommodari poſsit, videlicet extremorum alterum modò intendendo, modò remittendo, prout perſuademur à fine, quem aſſequi intendimus.

QVA ARTE COMMISCEANtur medicamenta iocunditatis gratia.

EX his, quæ hactenus dicta ſunt, apparet etiam, quomodo iocūditatis gratia medicinas commiſcemus, quod erat tertium huius ſectionis principale membrū. Iocundas enim medicinas reddimus delicatorum gratia, vel varios ſapores commiſcendo, vt dulcia, acria, acida, ſalſa cum amaris, pro vario quorumlibet guſtu, vel varios odores, vt odorata cum

fœtidis. Sunt etiam nonnulli adeò molles, vt colores etiam aſpernentur, quibus omnino conſulendum, vt vel ipſi inuiti ad ſanitatem ducantur, remittendique colores cum ſuis contrariis, quos abominari videntur. Liquores præterea craſſos, & turbulentos plurimi reſpuunt, qualis eſt præcipuè caßiæ dilutæ, quibus ſi propinandi ſunt huiuſmodi liquores, enitendum, vt quàm maximè tenues propinentur. Quo caſu ego conſueui, & experimento commodiſſimum eſſe depræhendi, vt iure pulli quàm feruentiſsimo huiuſmodi medicinæ diluantur. Facilè enim & à pauco liquore attenuantur, quæ alioquin in nimiam molem excreſcerent, ſi frigidum eſſet, quo diluuntur. Inſuper autem augeri poſſunt intentiones, & inde etiam augeri numerus componentium medicamentorum. Exempli gratia: Si contigerit, vt non tantùm plures qualitates ſint commiſcendæ, ſed ſimul ſubſtantia quoque permutanda, ſimúlque guſtui aſſumentis conſulendum: tunc enim congregatis tot intentionibus neceſſarium eſt aliam compoſitionem conficere, quæ iis omnibus ſatisfaciat. neque erit difficile, vt hoc quoque aſſequaris, ſi modò in in illis, quæ præceſſerunt, fueris mediocriter exercitatus. Atque ita primæ

ſecti-

ſectioni finis imponetur, in qua tractare polliciti ſumus, qua arte medicinæ eſſent commiſcendæ, ſiue qualitates tantùm, ſiue ſubſtãtia, ſiue iocunditas aſſumentis, ſiuè plura, aut omnia ſimul attenderentur. Ad reliqua igitur progrediamur, vnũ tamen primò admonentes, ne aliquis admiretur, ſi ego in qualitatibus recenſendis nullam mentionem fecerim de coloribus, quoniam à Galeno in libro de componendis medicamentis κατὰ τὰ γένη tã diligenter fuerunt obſeruati, vt noſtra non egeant obſeruatione. Colores enim conſiderantur à medicis, vel vt medicamenta viſu gratiora ſpectantibus offerantur: quod parui admodum momenti eſt, & medico graui fere indignum. De hoc ſatis erunt, quæ paulò antè de coloribus dicebamus. Vel conſiderantur colores, quoniam coctionis, mixtionis, & tãdem cuiuſlibet præparationis modi, & perfectiones ex coloribus cõpoſitorum cognoſcũtur: quod quidem in medicina magnum eſt. Neque hoc ſenſu omnino de colore conſiderationem omitti oportet, ſicut & meritò non omiſit Galenus in iis libris κατὰ τὰ γένη, vbi emplaſtrorum conficiendorum artem diligentiſsimè tradit. Nos hanc quoque partem in ſectionibus proximè conſequentibus ſuo loco non contemnemus.

DE COMPONENDIS SECTIO SECVNDA.

DE PRAEPARATIONE *medicamentorum.*

EX *tribus maximis partibus huius artis primam variam quidem, multiformémque cõfecimus, vbi intentiones omnes explicauimus, quibus medici in qualitatibus, in ſubſtãtia, & aſſumentis commodo ad diuerſas compoſitiones accedunt.* Duæ *verò ſequentes longè maioris artificij occurrunt nobis.* Ex *his enim duabus prima, quæ in toto ordine ſecũda eſt, docebit, quomodo medicinæ in ſeipſis, ſine aliqua cõmixtione conſideratæ, & cur, quóue conſilio ſint præparandæ, profundum omnino, & non niſi eruditiſsimi viri opus.* Neque *enim tantùm ſupponit omnium naturarum, omnium ægritudinum, omnium temporum rationẽ, ad quæ hæc ars dirigenda eſt; ſed etiam omnium ſimplicium, quæ præparanda ſunt exactiſsimam cognitionem ita, vt non tantùm ea noſcamus à figura, à magnitudine, & à colore, qualia ſint: ſed ad eorum quoque ſubſtantiam medullitus ingenio penetremus, vt ſciamus, quænam melius, deteriúſue infundãtur,* deco-

decoquantur, deſtillentur, putreſiant, terantur, triturentur, incidãtur, & reliqua huiuſmodi. Peritiſsimum præterea ſcientiæ rerum natu*lium huius artis inuentorem eſſe oportet, vt ſciat varios effectus calidi, & frigidi, variáſque paſsiones humidi, & ſicci, ſi modò ab illo diſtinctè ratio omnis diuerſitatis tractanda eſt, qua medicinæ multifariam præparantur.* Altera verò è duabus, quam in toto ordine tertiam collocauimus, quæ non tantùm tractabit, qua arte commiſcenda ſint medicamenta, ſed etiam, quo modo in mixtione ſint præparanda, reliquas duas excedit artificio, & doctrina. Primò enim ſupponit, quæcunque in reliquis duabus ſcienda eſſe diximus, deinde addit proportionum rationem, quibus medicinæ admiſceri debẽt, quas proportiones qui rectè metiri velit, in arte excellentiſsimum eſſe oportet, ſummáque ingenij acrimonia, & doctrina pollere. Pernoſcenda enim ab illo eſt, non tantùm menſura omnium virium, & effectuum medicinarum, ſed etiam mixturarum, contemperamentorúmque rationes, vt quid, quantum, qualéue reſultet, ſi hæc res cum illa iungatur. Quo modo enim ſi hæc exactè non nouerit, proportionum menſurã metiri poterit? Fermẽtationũ præterea vires quàm optimè callere oportet,

quæ potiſsimùm fiũt ab aëre, ab igne, & putrefactione: quæ quidẽ res, quàm multiplex, quámque ſcitu perdifficilis ſit, indicant hi, quos vulgò Alchymicos vocant, qui integras ætates diù, noctúque in fermentationum arte conſumunt, atque vltimò, tandémque circa proprium ſtudium cæcutiunt. In rebus igitur tam arduis, tam pulchris, tam neceſſarijs, imò etiam tam raris, vt à nullo hactenus, niſi tanquam per ſomniũ ſint pertractata, ſi quis vobis polliceatur, ſe de his rebus traditurum, quicquid longa ætate, aſsiduis ſtudijs, cogitationibus, experimentis, obſeruationibúsque adinuenerit, ac ſub certa ratione, & methodo collocauerit, vóſque tamen ſegnes, tardóſque ad artẽ tam præclaram reddatis, ego vos nõ tantùm ſegnes, ſed ſtupidos quoque, marmoreóſque iudicauero. Ne igitur tãta nota cenſeamini, attendite obſecro, quæ dicturi ſumus in artis myſteria ingreſſuri, à medicinarum ſingularum præparatione, quæ alijs non admiſcentur, initium facientes.

QVOT MODIS PRAEparentur medicamenta.

MEdicinæ ſingulares plurimis quidem artificijs præparari ſolẽt, vt vſui quàm maximè reddãtur idoneæ. Præcipua tamẽ, & me-

medicis familiariſsima ſunt, Ablutio: Infuſio, ſeu Maceratio: Reſtinctio: Elixatio: Frictio: Torrefactio: Aduſtio: In calcem redactio (calcinationē vulgò vocāt) Incineratio: Deſtillatio: Putrefactio: Arefactio: Inſalatio: Suffumigatio: Oleificatio: Expreſsio, vel exuccatio: Colatio: Deſpumatio: Deſquāmatio, ſeu decorticatio: Inciſio: Trituratio: Deraſio, ſeu ſectio in ramenta: Cōtritio: Cribratio: Calefactio: Refrigeratio. De quibus omnibus, vt hanc doctrinæ partem aſſequamur, ſingulatim à nobis dicendum eſt.

DE ABLVTIONE MEDI*camentorum*.

ABluimus igitur medicinas, vt vel vis aliqua addatur, vel auferatur, vel tertiò, vt abiecta medicina, diluto eius tantùm vtamur. Liquores autē, quibus abluere ſolemus ſunt, aqua dulcis, aqua ſalſa, vinum, acetum. Aqua dulci præcipuè abluimus, vel quando vim medicinæ auferre, vel addere volumus: & ſic cadmiam, calcem, lithargyron, & omnia metallica abluimus, vt vis, quæ ineſt illis, vel mordicandi, vel adurendi, tali ablutione auferatur, & tamen ſine moleſtia aliqua exic-

cent. Ideo videtis in omnibus emplaſtris cõficiendis ad vulnera, vlceráque conſolidanda ſemper huiuſmodi materias ablui. Vel abluimus, vt non tantùm vim aliquam auferamus, ſed etiam contrariam addamus, & ſic ceratum frequenti ablutione purgamus, vt non tantùm, ſi calor aliquis illi ineſt, aut mordicatio, auferatur, ſed vis quoque emplaſtica, & refrigeratio per talem ablutionem acquiratur. Aqua verò ſalſa abluimus, vel cùm dulcis ad intentam medicinæ purgationem non ſuffecerit: & ſic noſtra ætate ceram aqua ſalſa abluimus, vt exquiſitiſſimè purgetur & candorem acquirat: vel vt ablutæ rei ſalſedo ad certum vſum addatur, & hoc conſilio linimentum pro ſcabie confecturi terebinthinam, aut larignã aqua ſalſa abluimus, vt addatur ſalſedo ad extergendã ſcabiem, & exiccandam efficaciſſima. Vino abluimus, vt rei abluendæ addatur, vel calor vel odor, vel vis corroborandi. Calor, vt quãdo æſtatis tempore mora, perſica, & huiuſmodi fructus frigidiores vino potẽti abluimus, vt minùs noceant ſtomacho frigidiori, nec tam facilè putreſcant. Odor, vt quando rhabarbarum aromatico vino irrigamus, vt eo odore naturæ ſit iucundius, & fœliciùs operetur. Vis corroborandi, vt lithargyrum,

aut

aut pompholygem, quam tutiam vulgò vocant, aut aliquid tale vino acerbo, & adſtringenti abluimus, ad nonnulla emplaſtra conficienda, vt maior vis corroborandi, exiccandique addatur. Aceto *abluimus, vt vis medicamenti excitetur, ſubſtantia attenuetur, penetrabiliórque reddatur: & ſic coriandrum aceto præparant officinæ, vt eius ſubſtantia, craſſa alioqui, & terreſtris, tenuior, aptiórque reddatur.* Conſilium *verò noſtrum abluendi medicinam, vt ipſa abiecta, diluto tantùm vtamur, eſt quãdo in medicinæ ſuperficie vis aliqua fuerit, qua tantùm indigemus, at reliquæ partes vſui noſtro inutiles ſint: & ſic cineres variorum lignorum, variorúmque metallorum abluere ſolemus, vt inde dilutum, quod* κονίαρ Græ*ci vocant, latini lixiuium, conficiamus, ad varios vſus nobis idoneũ: quod etiam à prudenti artifice ex omnibus illis liquoribus confici poteſt, ex aqua, inquam, dulci, & ſalſa, vino, & aceto.* S*i enim methodum, viréſque ſimplicium, ægritudinúmque, ac corporum naturas cognoueritis, ſcietis facilè, quinam ex iis liquoribus aptius lixiuium ſit confecturus.*

DE INFVSIONE, SEV *maceratione medicamentorum.*

INfundi *medicinā vocamus, quando tam diu in aliquo liquore immergitur, quam diu tota, tam interius, quàm exterius madeſcat, & maceretur.* Vnde, & *antiqui talem infuſionem macerationem appellauerūt, & quod nos infundi dicimus, ipſi macerare dixerunt.* Infundimus *igitur medicinas (vtar enim vocabulo minus proprio, ſed magis vſitato) ſimili modo, ac lixiuia paulò antè confici dicebamus, vt ſcilicet, per macerationem tota pars ſubtilior exprimatur, terreſtris verò, tanquam vſui noſtro inutilis relinquatur: & in hoc differt à confectione lixiuij.* Nam *in lixiuio conficiēdo medicina adhibita, & abluta non madeſcit, aut maceratur, ſed tantùm à ſuperficie tenuis quædam materia, & vapores acres eliciuntur, & eleuantur, qui in liquore abluente perſiſtunt.* In *infuſione autem tota ſubſtantia rei infuſæ madeſcit: ac tali madefactione, ſeu maceratione totus ab illa ſuccus exprimitur, & pars tantùm terreſtris remanet.* Ergo *ad infuſionem accedimus, quotieſcun-*

cun-

cunque occurrunt nobis medicinæ, quæ contrarias, aut diſsimiles habent ſubſtantias, vel virtutes, noſq; aliqua tantùm illarum indigemus. Reliquæ verò nobis obſtant, vt ſi qua medicina partes alias craſſas, terreſtres, & adſtringētes, & alias partes igneas, aut aëreas, tenues, & aperientes, ac expurgãtes habeat, indigeamúsque nos tantùm tenuioribus partibus purgantibus, ſcilicet, & aperientibus, nulloq; vſui futuræ ſint nobis partes terreæ, & adſtringentes, ſed potius nocumento: tunc enim huiuſcemodi medicinam infundimus, vt tali infuſione pars vſui noſtro vtilis ab inutili ſeparetur: & tali conſilio myrobalanos, rhabarbarũ, aloën infundimus. Quodlibet enim iſtorum habet partes diſsimilares, adſtringentes, inquam, terreſtres & aperientes igneas, vel aëreas. Vbi igitur purgantibus tantùm, & aperiẽtibus indigemus, adſtringētes verò, terreæq; partes nobis inutiles ſunt, huiuſmodi infuſionem, & aſperſionem, expreſsionémque perficimus. Eſt etiam alia vtilitas infuſionis. Sunt enim quædam medicinæ, in quarum ſubſtantia, vel venenoſitas, vel vis aliqua erodens, inhærens, nec facile extirpabilis inuenitur. Vt igitur à damnoſa ſubſtantia qualitatem vtilem ſeparemus, quoniam ſcilicet earum virtute purgãte tan-

tùm indigemus, ad infuſionem accedimus. Et hoc conſilio, vbi corpora debiliora nacti fuerimus elleborum nigrum infundimus, & infuſionem tantùm propinamus abiecta ſubſtantia, in qua vis quædam delibatoria, & deterrima eſt, neque omnibus corporibus tutò exhibenda. Tali quoque conſilio habentibus viſcera debilia, aut ſubiectis colico dolori agaricum exhibituri, ipſum infundimus, vt ab infuſione vim purgandi habeamus, & ſubſtantiam tanquam periculoſam reijciamus, ne imbecillis inteſtinis adhæreat, & tormina excitet vt frequenter facere ſolet, cùm alioquin ob leuitatem, raritatémq; ſuæ ſubſtantiæ facilè adhæreat, & ad euulſionẽ pertinax ſit. Liquores autem infuſioni idoneos eligimus ſecundum varias intentiones à nobis propoſitas. Si enim à ſubſtantia rei infuſæ medullitus quæſitas virtutes abſtergere intẽdimus, liquorẽ eligimus, in quo ſit vis abſtergendi efficaciſſima cũ tenuitate ſubſtantiæ, quæ penetret ad profundũ, & in hoc caſu eligimus ſerum lactis. Eſt enim ſua vi abſtergendi, & ſubſtantiæ tenuitate ad hunc vſum accommodatiſſimum, vt meritò Meſuẽ illud infuſionum materiam appellauerit. Vbi verò caliditatem, aut naturæ familiaritatem, aut alicuius membri corroborationẽ quærimus, non

non impediente febre, in vino optimo infundimus, aut in aliquo decocto medicinarum, membro corroborãdo idoneo. Demum liquores innumeris penè modis variamus, pro vt nobis medendibus variæ vtilitates, variáque occurrunt conſilia eligendi, quod magis præſtare putamus. Et hoc commune eſt ablutionibus, infuſionibus, reſtinctionibus, elixationibus, & huiuſmodi.

DE RESTINCTIONE *medicamentorum.*

REſtinguere dicimur, quando aliquam materiam ignitam in quopiam humore, ſeu liquore ſæpius ſuffocamus. Id facere ſolemus, vt vel vaporem tantùm à re extincta habeamus, vel vt liquorem, vel vt euaporatis tenuioribus partibus craſsiores ad certũ vſum ſeruemus, vel tertiò, vt liquore abiecto ipſa re ſæpius extincta vtamur. Reſtinguimus interdum vaporis tantùm colligendi gratia, quando pyritem lapidem, quem vulgò marchaſitam vocant, aut lapidem molarem, ſicut Galenus in ſcyrrho curando docet, accenſum in aceto ſuffocamus, vt vapore inde emanante à tali ſuffocatione, ſcirrhi duritiem reſoluamus.

Liquorem tantùm habere intendimus, quo vtamur, quando ferrum candens in aqua ſæpe reſtinguimus, vt poſtea illam potandam demus ad ventriculum, vel lienem, vel inteſtina corroboranda, & ad venarum fracturas, ad aliáſque multas commoditates. Euaporare autem ſtudemus per extinctionem tenuioris partis, vt craſſis tantùm vtamur: vt quando in lacte tam diu lapillos ignitos extinguere non ceſſamus, donec pars tota ſeroſa, ac pinguis difflârit, caſei tamen ſubſtantia permãſerit, quem cibum offerre ſolemus his, qui dyſenteriam patiuntur: & hoc etiam documentum Galeni eſt. Rem extinctam abiectis liquoribus chyrurgi præcipuè quærunt, qui metalla ignita, quandoq; in aqua, quandoque in vino, quandoque in aceto frequentiſſimè ſolent extinguere, vt ijs poſtmodum vtantur tanquam magnopere exiccantibus, aut carnem ſuperfluam remouentibus, aut aliquid tale molientibus.

DE ELIXATIONE MEdicamentorum.

CVm elixatio (vt rectè dixit Ariſtoteles quarto meteororum) ſit maturatio quædam humoris interminati exiſtentis in re elixanda, quæ matura-

turatio ſit à calido humido circunſtāte, vt ab aqua, nos ſemper huius rei naturā obſeruantes, tali inſtrumēto in præparandis medicinis vtimur ad varias cōmoditates. Quandoq; enim elixamus, vt humor crudus aliquis, & redundās, ac propterea inutilis, maturetur per elixationē, & terminetur, vſuiq; noſtro cōmodior efficiatur. Et ſic non tantùm ferè omnia cibaria, quæ elixātur, hac ratione elixari ſolent, ſed etiā quàm plurimæ medicinæ. Ita enim ad cataplaſmata conficienda, præcipuè in quibus eſt maturādi vis, herbas ingredientes elixamus, vt excerptis, exhalatiſq; excremētis humor reliquus maturationi reddatur idoneus. Quandoque verò elixamus, quando alicuius medicamenti ſucco indigemus, fueritq; ille paucus, ſuiſq; partibus terreis adhærens multùm, nec poſsit aliqua cōtuſione, vel cōtritione exprimi, neq; aliter, quàm exquiſitiſsima elixatione elici queat. Atque hoc cōſilio adductus Dioſcorides in ſucco à gētianæ radice extrahendo, ſuccus, inquit, ex illa hoc modo colligitur. Tunditur radix, ac diebus quinque madeſcit, deinde in eadem aqua coquitur, quouſque ſuperſtent radices, cumq; friguerit aqua, per linteum traijcitur, elixatúrque rurſus vſq; ad craſsitudinē mellis, & picato vaſe recōditur. Has vobis ex Dioſcori-

de recenſere volui, vt eſſet perpetuum præceptũ, & regula ad cæterarum herbarũ, & radicũ ſuccos aptè extrahendos, in quibus paucus admodùm, terreſtríſque liquor, & ſuccus extiterit. Neque enim, exẽpli gratia, à betonica, aut roremarino facilè alio pacto, quàm iſto ſucci copiam habebitis. Quandoq; elixamus, vbi nec ablutio, nec infuſio ſufficere videntur ad vires medicinæ euocandas : & ſic myrobalanos poſt infuſionem decoquere ſolemus. à ſola enim infuſione parum admodùm vigoris extrahimus. Nam adeò terreſtres, & acerbi ſunt, vt neceſſaria ſit elixatio ſi vim illorum purgandi habere velimus. Omninóque in quacunque elixatione duo ſunt perpetua: primum, quòd humor rei elixatæ à centro trahatur ad circunferentiam, tum in liquorem elixandum: ſecundum, quòd humor ille attractus maturetur, & terminetur ad alium modum ſubſtãtiæ ita, vt ſæpe etiã qualitates, & virtutes proprias immutet, reddaturq; ex tenui craſsior, ex acerbo dulcior, & in reliquis huiuſmodi. In hocq; maximè differt infuſio ab elixatione, quoniã infuſio extrahit ſuccum à re infuſa non variatum, vel alteratum extra propriam naturã, ſed talem omnino, ſicut erat prius, vnitũ ſuæ parti terreſtri. Neque enim hic alia cauſa alterãs inter-

tercedit, niſi ſimplex penetratio liquoris ad profundum rei infuſæ, qui dum poſtea exprimitur, omnes ſimul partes tenues in ea expreſſione eliciuntur. Sed in decoctione per actionem calidi in humido non ſolùm extrahitur humor in re elixata exiſtẽs, verùm etiam decoquitur, & alteratur. Vbi igitur medicinæ vires integras conſeruare voluerimus, ſola infuſione vtemur. Nam in elixatione plurimum partium tenuiorum in vapores reſoluitur, in quibus partibus potiſsimè vis erat purgandi efficacior. Et ideo rhabarbari infuſio copioſiùs, & fœliciùs educit, decoctum verò longè debiliùs. Quod ita eſſe apertè oſtenditur in melle decocto (vt etiam benè animaduertit omnium bonorum præceptor Galenus) mel enim decoctum lõgè imbecilliùs purgat, lenit ventrem, & abſtergit, quàm crudum faciat; ſcilicet, quoniã in decocto partes tenuiores, in quibus vis erat abſtergendi ſunt reſolutæ: non ita tamẽ vſu venit in decoctis myrobalanis. Eorũ enim decoctum longè magis purgat, quã infuſio, vt experientia declarat, quicquid in contrariũ dicatur à Meſuë. Et ratio eſt, quoniã in myrobalanis hoc ineſt proprium, vt in ſuis partibus craſsis, & terreſtribus vis purgãdi inueniatur, quæ cõprimendo potiùs, quàm abſtergẽdo, aut abluẽdo purgat.

Ergo pars illa terreſtris (vt dicebamus) nō facilè ſola infuſione exprimitur, ſed decoctio quoq; neceſſaria eſt: in qua decoctione nō ita refert, ſi partes tenues per halitū diſcutiātur, & reſoluantur, à quibus nullū vſum nos expectamus, ſed à craſsis. Quod verò ait Meſuë, *decoctum myrabalanorū vim cōſtringēdi habere, & magis obſtructionē facere, quàm infuſio faciat, omnino verum eſt.* Nam *infuſio (vt dicebamus) nō ita elicit partes terreſtres: ſed eſt quodāmodo media inter ablutionē, & elixationē: cum hoc tamen non tollitur, quin decoctū magis ſoluat. in ea enim adſtringēdi qualitate, vel facultate vis eſt comprimendi, exprimendiq; feces, & humores in vētriculo, & inteſtinis exiſtentes.* Hos *ſcopos obſeruantes, & naturam elixationis cōſiderantes, non longè aberrabitis, vt ſciatis, quando medicinæ infundendæ, & quando elixandæ ſint.*

DE FRICTIONE ME*dicamentorum.*

CVm *illud, quod frigitur, partim ipſum patiatur à calido, & ſicco, qui eſt ignis exterius circa ſartaginē exiſtēs: ignitur enim ſartago, & inde feruor ad rem frigendā accedit: partim reagat feruefactum in pingue, & humidum in quo frigitur quod attrahit ad ſeipſum (vt bene determinauit* Ariſtoteles

quar-

quarto meteorororũ) ſi huius rei naturã dili gẽter inſpexerimus facilè videbimus vſum, & cõmoditatem medicinarũ, quas frigere ſolemus. Sæpe enim indigemus, vel humorẽ in medicina exiſtentem, tanquã aqueum, parũper exiccare, ſi redundauerit, vel ſoluere, ſi coagulatus, vel attenuare, ſi craßior fuerit, ac præterea illi vim aliquã emplaſticam addere, vel doloris ſedatiuam, vel maturatiuã, quã accipit à pingui attracto, in quo frigitur. Redundantẽ humorẽ exiccamus, cùm parietariã in aliquo oleo, aut aliqua pinguedine frigimus, & pectini ad vrinas ciendas apponimus: eſſet enim cruda appoſita aquoſior, & frigidior, quàm oporteret, licet pinguedini admiſceretur. Coagulatũ verò diſſoluimus, cùm omentũ, quod vulgò zirbũ appellãt, agni, vel hœdi in oleo mediocriter frigimus, & ita ventri torminibus laborãti applicamus: ſi enim crudũ apponeretur, nõ poſſet coagulata ſubſtãtia exteriùs ventri illita ad cõmodum actũ deduci. Craſſum attenuamus, vt cùm raphani radicẽ in tenuißima ramẽta deraſam in anſerino adipe frigimus, & renibus calculo affectis apponimus. Eſt autẽ his omnibus cõmune, vt in frictione pingue ad ſe attrahãt, à quo vim emplaſticam, & linitiuã acquirunt: & hoc cõmune, iiſdem poſt

ea proprium efficitur, quo ſæparantur ab ellixatis, infuſis, & reliquis. Refert *autem non parum, vt frictio fiat cum lignis ſine fumo, quæ à græcis ἄκαπνα appellantur, vel cũ lignis fumum euaporantibus.* A *fumo enim vis acris acquiritur medicamento, quæ dolori ſedando non parum incommodat,* P*ropterea enitendũ eſt, vt cùm huiuſmodi rebus frixis indigeamus, accenſis carbonibus eas frigi iubeamus, ne fumus medicinam noſtram aliquo modo violare poſſit.*

DE TORREFACTIONE *medicamentorum.*

QV*atuor ſunt termini à medico conſiderandi, quos attingere poteſt materia à calido, & ſicco combuſta:* T*orrefactio: Aduſtio:* I*ncineratio:* C*alcinatio.* T*orrefactio eſt cõbuſtio partiũ extrinſecarum cum aliqua præparatione, vel coctione humoris intrinſeci, vt cõtingit in carnibus aſſatis. Aduſtio eſt conſumptio ab igne facta in re cremabili, tã humoris extrinſeci, quàm intrinſeci relicta tantùm parte humoris continuãte portiones aduſtas, vt apparet in carbonibus.* I*ncineratio eſt omnino arefactio rei cremabilis ab igne facta, nullo relicto humore continuante, vt videmus in cinere. Calci-*

natio eſt perfecta victoria ignis adurentis in materia terreſtri non cremabili cũ arefactione totius humoris aquei continuãtis, loco cuius, incluſus remãſit in partibus terreſtribus ſpiritus partim igneus, partim aëreus, faciens ad aliquã partium calcinatarum continuationẽ, vt apparet in lapidibus calcinatis, & quibuſdam metallis, & oſtreacorum generibus, de quibus loquemur. Primùm igitur de torrefactione dicemus, poſt ea de reliquis. Torrefacimus medicinas, vel cùm ſunt contritioni rebelles, vt torrefactæ poſt ea facilè conterantur, & cum alijs commiſceantur. Et ſic confecturi Diamoſchum, vel aliquam medicinam cordialem, quam ſericum ingrediatur, ſericum prius in olla clauſum torrefacimus, vt, ſcilicet, conteri poſſit, obſeruando ne comburatur, ſed torrefiat tantùm: combuſtum enim vires à nobis quæſitas amitteret. Vel torrefacimus, vt humorem aliquem, vel flatum inutilem à re aſſata exhalare faciamus: vt quando ad caput refocillandum, torrefieri iubemus auellanas, & ita tradimus comedẽdas: non torrefactæ enim flatuoſo ſpiritu plenæ ſunt, quo capitis vaſa replentes dolorem excitant. Torrefacimus etiam, quando aliquam medicinam ad vſum totius anni ſeruare volumus, quæ non torrefacta putreſce-

ret, & ſic omnia animalia ad vſum medicinæ ſeruanda torrefacimus, vbi ſale macerata ſint nocitura, vel alia arte cõfecta. Et ſic ranas in olla torrefacimus, quibus poſtea contritis vtamur ad ſanguinis fluxũ cõpeſcendũ: & ſimiliter cicadas, quæ ad vrinas prouocandas efficaciſſimæ ſunt. Saliri enim ad hos vſus nõ poſſunt, nec fluxui cõpeſcendo, nec vrinæ prouocãdæ idoneæ: cauereq; omnino debẽt, qui talia torrefaciũt, ne adurãt: aduſta enim inutilia reddẽtur. Nos verò duo præcipua cõmoda ex eorũ torrefactione quærimus: alterũ, vt exiccato putreſcibili humore diu cõſeruẽtur: alterũ, vt etiã terendo reddãtur habilia. Quandoq; torrefacimus medicinas, in quibus duæ diuerſæ ſubſtantiæ ſint, tenuis, inquam, ignea, mũdificãs, & abſtergẽs, & craſſa terrea, adſtringẽs, & cõſtipans: vt eſſe videmus in rhabarbaro, & myrobalanis. Cùm ergo indigeamus ſubſtãtia tãtùm adſtringente, tenuis verò abſtergens ſit nocitura, has medicinas torrefacere ſolemus, vt ex tali torrefactione exhalẽt partes tenues, & craſſæ, terreſtresq; permaneãt. Et ita ad fluores alui coërcẽdos rhabarbarũ, & myrobalanos torrefacere ſolemus, & contritos ex aliquo congruo liquore potandos dare.

Montanus reliqua neglexit.

EXPLICATIO EORVM, QVAE PERTINENT AD TERTIAM PARTEM DE COMPONENDIS MEDICAMENTIS.

A IOANNE BAPTISTA MONTANO PHISICO *Veronenſi dictata,*

ET A VINCENTIO CASALI BRIXIANO ADNOTATA.

1554.

VALENTINVS LVBLINVS
PHYSICVS POLONVS
Vincentio Caſali Brixiano.

O tibi poſteritas quantum ſtudioſa Caſalis,
Quantum & debebunt ſæcula noſtra tibi,
Clara quòd eximij Montani dogmata, cuius
Docta virûm celebris fama ꝑ ora volat,
Aſſeris: atque palàm conſtanti voce tueris
Quem nunquã cuperent interijſſe ſcholæ.
Hoc demum eſt memorem & gratum ſe oſtẽdere, quando
In functum fato eſt officioſus amor.
Quare age Vincẽti magno tibi pectore cõſta,
Nec moles animos degrauet vlla tuos.
Aſſere Montani quæ ſunt & ſenſa Galeni,
Rumpatur ſcriptis inuida turba tuis.
Accipiat meritos per te Montanus honores,
Montanus Medici gloria prima chori:
Sic tibi Apollinei circùm adſtent Montis alumnæ,
Et certent merita cingere fronde comas.
Sic tua perpetuò doctis monimenta legãtur,
Donec alet claros Itala terra viros.

VINCENTIO RICIO VIRO MAGNIFICO, AC EXCELLENTISſimi conſilii decemuirorum ſecretario digniſſimo Vincentius Caſalis Brixianus S.P.D.

QVid cauſæ ſit, quòd ego commẽtariis, qui de medicamentorum compoſiſitione à me inſcripti ſunt, conſultationes has (ita enim minus apto vocabulo noſtrates medici appellant) adiunxerim, neminem arbitror eſſe, modò is medicinæ ſcientiam ſe profiteatur tenere, qui non facilè animaduertat. Nam cùm tertia pars diſputationis illius, quæ tamen omnium & difficillima, & præſtantiſſima eſt, à Montano homine doctiſſimo prætermiſſa ſit, rectè me facturum exiſtimaui, ſi ex infinitis propè conſultationibus aliquot decerptas in lucem edidiſſem, quæ tamen vicem illius tertiæ partis, & locum obtinerent. In his enim duo quæ in ea parte erant pertractanda plu-

*rimis exemplis propoſitis apertiſsimé conſpi-
ciuntur, alterum quidem qua ratione ſingu-
la medicamenta parentur, alterum, quomodo
parata commiſceantur. Quo in loco multa
ſunt præcipua, quæ mihi maximé admiran-
da videntur, primum inuentio, vel electio
ſimplicium medicamentorum: ſecundum, ſco-
pus autoris in illis componendis: tertium, mo-
dus in ipſis ponderibus, & in ipſis medica-
mẽtorum qualitatibus ſeruatus: præterea eo-
rundem fermentatio (vtendum enim eſt ver-
bo vſitato) qua ratione paretur, & quàm
diuerſæ ſint vires, quæ ex ipſa in medicamen
tis producũtur.* Neque *enim tantùm ea cõpo-
ſitorum medicamentorum vim immutat,
verum etiam alia quædam format, ex qui-
bus poſtea varia, ac admirabilia proficiſci vi
deas, prout diuerſa ratione à medicis, aut chy
micis artificibus, quos alii alchemiſtas vocãt,
paratur.* De *qua tota ratione habebitur ali-
quando à nobis fuſior, & longior diſputatio:
quo tempore, niſi quid mea conſilia retardã-
rit, oſtendam ex hac fermentatione longè no-
biliora, & perfectiora, ſi à natura, quàm ſi
ex ipſa arte paretur, emanare.* Ad *compoſi-
tionis autem artificium accedit, quòd ſingu-
lorum morborum qualitate propoſita, & cer-
tarum ægritudinũ cauſis inueſtigatis, id quod*

ex

ex ipſis ſymptomatis,quæ ſunt à doctiſsimis medicis enumerata intelligitur. Præterea cognitis iis partibus corporis,quæ malè affectæ ſunt docet,quæ,quo in loco , quo tempore,quanta,& quomodo ſingula medicamenta adhibenda ſint ipſis corporibus,quæ ægrotant,aut ſunt malè valitura,atque id vt & homines curentur,& præſeruentur,& iidem poſtea curati diligentius ſe ipſos conſeruent. Ex his acerrimi ingenij vir facillimè poteſt intelligere,quàm optimè partes ſingulas medicinæ , & eiuſdem inſtrumenta pertractet: itémque qua ratione curandorum hominum indicationes ex ipſis morbis ſumat,coindicationes autem(neque enim aliter loqui poſſum)ex his,quæ ad corporis malè affecti naturam pertinent, atque hæc ſunt temperatura , & vt aptius dicam, corporis habitus, itémque ætas,vires,ſymptomata, conſuetudo ipſa viuendi,& ſtudium, vel ars,& ex his quæ ad cœli naturam pertinent : hæc autem ſunt ſtatus,anni tempus, & ipſa regio .His diligentiſsimè perpenſis medicamentorum cõpoſitionem aggreditur. Quo in loco , quàm ſtudioſus fuerit ſalutis ſummorum hominum, & verè principum,quibus curandis ipſe ex multis excellentis doctrinæ medicis delectus fuit,facilè cognoſci poteſt. Quæ cùm ita ſint,

nos ſatis aptè (mea ſententia) libellum hunc ita inſcripſimus. EXPLICATIO EORVM, QVAE PERTINENT AD TERTIAM PARTEM DE COMPONENDIS MEDICAMENTIS. Præterea noſtro ſtudio, & cura effectum eſt, vt tertia hæc pars aditum aperiat adoleſcentibus ad eos libros Galeni, qui de medicamentorum compoſitione ſecundum loca inſcribūtur, ad quos non eſſe alicui accedendum, niſi is in medicinæ ſcientia diutius exercitatus fuerit, idem Montanus in eo loco demonſtrat, in quo libros omnes Galeni ordine (vt ita dicam) compoſitiuo in claſſes veluti quaſdam diſtribuit. Ego igitur cum in animo haberem edere nobiliſsimas has cōſultationes, quæ à nobis adhuc diligentiſsimè conſcriptæ ſunt, cogitarémque cuius patrocinio, & optimorum adoleſcentium gratiam inſinuarem, & obtrectatorum (latè enim patet hoc vitium) voculas, & calumnias ſubterfugerem, te vnum delegi, cuius authoritate me ſperem quàm facillimè, & honeſtum, & defenſum fore. Neque id eſt à me temerè excogitatum. Nam, vt omittam prudentiam ſummam, in adminiſtratione rerum, & publicarum & priuatarum vigilantiam & induſtriam ſingularem

dicendi

dicendi copiam, incredibilem rerum cognitionem, nemo eſt, qui neſciat tanti abs te Montanum, *dum viueret, factum, quanti tu quoque, & tua ſingularis virtus debet ob optimo quoque, & rege, & principe fieri. Quare quoniam viuum doctorem plurimùm dilexiſti, eidem mortuo tua incredibilis humanitas eadem officia cumulatiſsimè præſtabit.* Me *igitur, & meum perpetuum erga te, tuique generis amplitudinem ſtudium, & eximia tua beneuolentia, qua præceptorem complexus es, impulit vt vnum te ex multis delegerim, cuius autoritati, ac fidei & doctoris ſimul & meam dignitatem, qualiſcunque eſt committerem.*

V*ale.*

Cal.

I*ulij.*

M.D. LIIII.

PRO BONA SPHORTIA SERENISSIMA REGINA POLONIÆ.

CONSILIVM PRIMVM.

EX omnibus intrinſecis cauſis, quæ ad affectus capitis præter naturam generandos cõducunt, potiſſimæ ſunt ventriculi imbecillitas, atque hæpatis caliditas. Ac de *ventriculi quidem imbellicitate, cuius ratione ſucci crudi multiplicati aſſiduos vapores ad caput ſummittunt cuique etiam vulgari medico, vel mediocriter in arte verſato eſt exploratum, nihilque frequentius auditur, quàm mutuus ille circulus læſionum inter cerebrum, & ventriculum.* De *hæpatis verò imbecillitate quantum ad repletionẽ capitis faciat authoritas eſt Galeni tertio de loc. aff. præter rationem, quæ dictat, in huiuſmodi temperaturis maximam vaporũ copiã à toto venarũ ambitu ad cerebrũ aſcẽdere. Sũt igitur ſuapte natura paratiſſimi ad omnes circa caput affectus ꝑpetiẽdes, quicũque in duobus illis mẽbris vẽtriculo ſcilicet & hæpate tales habeãt tẽperaturas,*

quibus

quibus ſi poſtea etiam acceſſerit apta capitis ad recipiendũ diſpoſitio, iã intrinſecus omnes prõptas habent occaſiones, tum ad efficiẽdas, tum ad recipiendas circa caput diſpoſitiones præter naturã. Cùm ergo ſcribatur in eius ſereniſsima maieſtate hæc omnia cõuenire, non eſt mirũ, ſi facilè inciderit in dolores capitis, vertigines, & defluxiones: ſed ſi poſtea his quoque acceſſerint vitia ſex rerũ nõ naturaliũ humana corpora neceſſariò cõmutantium, tum planè nõ facilitas tãtùm, ſed neceſsitas malarũ impreſsionũ cõſequitur. Cũ igitur huiuſmodi quoq; delicta cõueniſſe audiã in eadẽ ſereniſsima maieſtate, perficitur integer tã quã cauſarũ chorus ad maleficiũ idoneus. Audio enim eius maieſtatẽ primò ĩ qete corporis plurimũ delinquere, neq; ſe penitus exercere. Alibi verò in aſsiduis cogitationibus, & moleſtiis detineri: ſomno diurno quàm etiã prolixiſsimo abuti quotidie: in cibo & potu nullã rationẽ ſeruare, cuicumque aëri ſe exponere. De excrementis verò, an ſecundũ quòd oportet expellãtur, nõ audiui quidem, ſed fortè & in illis erit aliquod vitium: ferè enim iſta quoque læſio præcedẽtes errores cõſequi, comitarique ſolet. Nã de mẽſtruis retentis quamuis ratione ætatis ſecundũ naturalẽ ordinem retenta fuerint, nihilominus in tali tẽperatu-

m

ra, & tali otio, & delitiis regiis non ſine dãno intercepta ſunt. Nam *etiã audio poſt eorum retentionẽ in omnia prædicta ſymptomata confeſtim incidiſſe, ſcióque plurimas quoque matronas alias poſt detentos menſes etiã naturali temperie præditas, tamen in varias ægritudines poſtea delapſas eſſe.* Et *ſi omnia rectè collegerimus, facilè intelligemus nõ tantùm capitis affectiones, ſed etiam lienis, & tumores hydropicos, qui quandoque contigerunt, ab iiſdem cauſis proceſsiſſe.* His *rectè cognitis, & ſuppoſitis haud difficilis erit intentio. Ac primum illud ex rei natura fundamentum elicitur eius maieſtatem purgantibus quidem, & his, quæ attenuant: vel alio modo præparant, aut excoquunt humores ſubleuari quidem poſſe, curari verò nequaquàm, vel enim enumeratorum membrorũ intemperies ad naturalẽ ſtatũ ſunt redigẽdæ, vel cauſæ intrinſecæ relinquendæ ſunt, quibus periodicè ad illos eoſdem affectus ſit redeundum.* Quamuis *ego non negauerim purgationes eſſe opportunis temporibus faciendas, vt humores qui quotidie ob membrorum inæqualitatem aſsiduam generantur, nõ redundent, & ex redundatione nõ illos tantùm affectus foueant, ſed nouos quoque generẽt, vt frequenter fieri ſolet.* In *illis tamẽ purgationibus*

gationibus nõ eſt inſiſtẽdũ, ſed ad alia quoque, quæ paulò inferiùs dicã, eſt accedẽdũ, quæ magis faciẽt ad præſeruationẽ, quàm ad curationẽ. Vera enim curatio, ſi verũ fateri volumus, fortè erit impoſsibilis ſi modò totã morbi naturã rectè perpẽdimus. Quomodo enim fieri poterit, vt eorũ membrorũ inæqualitas ad æqualitatem redigatur? in hac præcipue ætate, & in corpore regio, cui quàm difficillimè ſit longiùs imperare, notum eſt omnibus qui aliqua ex parte experimẽto deprehẽderunt. Primò itaque in tàm longa ægritudine in recta victus ratione curationis, præſeruationíſque baſim, potiſsimámque fidem ſtatuerem ita, vt neq; alicui veris exceſſui tam calido, quàm frigido occurreret, ventóſque omnes, & pluuias euitaret. Nec hyemis tẽpore in vaporariis ſuo more calefactis, vel propè magnos ignes diutius moraretur, præcipue vbi ignis ex fortioribus lignis ardeat, qualis eſt quercus, ilex, vlmus, & reliqua plura huiuſmodi. Caueat etiam, ne acriter magnum lumen ſiue ſolis, ſiue ignis intueatur, ſed neque ab alto proſpiciat, aut fluuiorum præcipitiũ, aut turbas, aut celeres rotarũ gyros, & reliqua. Laudarẽ, vt ſingulis ſeptimanis caput ablueret, præcipuè, ſi ſit illi lauãdi conſuetudo, eligátque lixiuium ex ſalicis, aut vitis cinere

cõfectũ, in quo ſaluia, maiorana, chamæmelum, roſæ decocta ſint cum drachmis tribus agarici electi. Hæc *enim ablutio conferet ad roborandũ, mũdandũmque caput.* Inter *præcipua hoc habeat, vt omnes animi moleſtias, quàmmaximè fieri poſsit, euitet, faciátque, vt quàmmaximè exhilaretur animus quacunque occaſione ſumpta.* Erit *etiam illud otiũ, & quies corporis immoderata omnino auertenda. Quotidie matutinis horis ſeſe exercebit deambulando, donec totum corpus citra ſudorem incaleſcat, nec minùs imperabit ſibi frictiones quotidie, vt mane in lecto fiant, ſintque frictiones in toto corpore æqualiter, molles tamen, & prolixiores ita, vt cuti calefacta incaleſcat: quod ſi etiam poſt frictionẽ totum corpus illiniatur oleo gariophyllorum odorato, longè magis expediet.* Et *quoniam audimus deditam eſſe longa conſuetudine ſomno meridiano, conſulimus, vt paulatim deſueſcat, præcipuè ſi nocte, quãtùm ſatis eſt, dormierit.* Ad *capitis enim repletionem, deſtillationéſque augendas efficaciſsimus eſt ſomnus meridianus. Obſeruabit præterea, ne cubitum accedat, niſi à cœna poſt horas ad minus duas, cœnáque illi ſit parcior, quàm prandium, ſi & ſuauiorẽ ſomnum, & leuius, liberiúſque caput habere voluerit.* Non *tamen*

propterea

propterea tam copioſè prandeat, vt poſtea crudo ſtomacho ad cœnam accedat: vtrumque ita moderandum, prandium inquam, & cœna, vt nouus cibus priorem inconcoctum, vel ebullientem non inueniat. Quod optimè fiet, ſi citra ſatietatem ſemper comederit, ſitque inter cœnam, & prandium ſpatium non minus, quàm nouem horarum. Tunc enim cruditatem ſemper euitabit, quod inter cætera optimum erit remedium ad omnes ſuos affectus abolendos. Sitque quàm fieri poteſt, cibus, quàm maximè ſimplex, vniúſque naturæ, quod quidē ſicut è Principibus, & Regibus difficillimū propter inueteratam, & malam conſuetudinem, ita etiam pernicioſiſsimū eſt. Nihil enim magis facit ad cruditates, ad corruptionem, putredinémque, & ad deprauatos humores in corpore multiplicandos, quàm ciborum varietas, & multitudo. Confunduntur enim plurima diuerſiſsimarum naturam, quæ dum inæqualiter cōcoquuntur, diſtribuuntúrque, neceſſarium eſt, vt inde labor caloris innati conſequatur, & varia vitiorarū genera in ſucco illo tam diuerſo. Admonemus igitur, & deprecamur eius S.M. vt velit in hoc Regiū morem exuere, & in opipara regali menſa vnum tantùm eligere, quod ſibi pro fame ſufficiat, illúdq; ſit leue,

& quod facilè concoquatur, faciléque diſtribuatur, & optimum ſanguinē generet, quales ſunt omnes carnes pullorum, perdicum, phaſianorum, hædorum, vitulorum, caſtratorum iuuenum, oua recentia tremula, vel ſorbilia. panis ex puriſsima farina ſit, bene fermẽtatus, & mediocriter ſalitus. Ab omnibus antiquis carnibus, & ſale maceratis abſtinebit, ab oleribus præcipuè crudis, à fructibus orariis, à piſcibus, præcipuè qui in ſtagnis degunt, aut paludibus: ab auibus etiam, quæ paluſtria incolunt loca, vt ſunt anſeres, anates, & huiuſmodi, à leguminibus, à paſtilibus, à lacticiniis, & præcipuè à caſeo, à frixis in ſartagine. Hæc omnia eius R. M. auerſetur. Vinum eligat clarum medij coloris, vel etiam album, non acidum, neque adſtringens, ſed bene maturum, mediocriter vinoſum, & omnino euitabit muſtum & vina turbulenta. Quòd ſi etiam vindemiæ tempore vinum conficeretur cum ſaluia, & betonica, illud eſſet præſtantiſsimum, prætérquàm quòd guſtui non eſſet iniucundum, ſed non eſt omittendum, tanquam parui momenti, ſed, vt eius M. quotidie habeat beneficium alui diligenter opera danda, imò inter præcipua animaduerti debet. Hoc enim ſtudio adhibito diſtrahentur vapores, qui ad

caput

caput continuè feruntur. Si igitur natura faciat, quantum oportet, nil vltra, moliendum, ſin minus laudo, vt ſemel, aut bis, aut quoties opus fuerit, ſumat tantum terebinthinæ cypriæ, quæ facilè habebitur Venetiis, vel interim dum non habebitur, larignæ, quæ habebitur facile, pondus drachmarũ duarũ mane tribus horis ante prandium. Hoc enim remedium non tantùm molliet aluum, ſed etiã obſtructiones aperiet, membra præterea naturalia, membraq; neruoſa corroborabit, vrinã prouocabit, vtero cõferet: ideo me iudice prætermitti non-debet. Hæc ſummatim dicta ſint pro tota victus ratione, quæ ſi diligenter à Maieſtate eius obſeruabuntur, tam erunt efficacia, vt fortè ſola horum ope præſeruetur, & immunis futura ſit ab omni affectu, de quo nunc conqueritur. Hoc tamen ſi non fecerit, vel magis, vt futurum credo, non adeo exquiſitè obſeruet, alia proponam, quæ in aliis duobus curãdi inſtrumentis pharmacia, & chyrurgia cõſiſtunt. Quantũ ad pharmaciã attinet, laudo, vt bis ſingulis annis purgetur, autumno, & vere. Ex his enim annuis purgationibus p̃ſeruari ſolẽt homines à grauiſsimis etiã morbis, quẽadmodũ erat ſententia Galeni in libro de ſanguinis miſsione. Et quãuis immenſa penè euacuandi materia ſit,

nihilominus tamen proponã, quod mihi congruum videtur, & quod erit tanquam intentionis exemplum. Accipe caſſiæ vnciam, ſpecierum hieræ drachmam. fiat bolus tribus horis ante prandium ſumendus. Deinde, accipe mellis roſati colati, ſyrupi de cicorea Nicoli ſine rhabarbaro ana vnciam, decoctionis cetracæ, capillorum veneris, in aqua boraginis deſtillata vncias tres, miſce pro vno, & ſic pro aliis ſeptem. Deinde accipe rhabarbari drachmam, ſpicæ grana 6. Infundantur in decoctione florum cordialiũ per horas 10. & facta diligenti expreſſione, colaturæ adde confectionis hamech drachmas tres, ſyrupi roſati ſolutiui vncias duas, miſce, & fiat potio danda in aurora cum cuſtodia. Et iſte eſſet purgandi modus ſatis facilis, & expoſitus: placeret tamen, vt ſanguis quoq; in purgatione veris mitteretur à baſilica ſiniſtri lateris, cuius quantitas ſit ad vncias 8, vel vncias 10. In autumno poſtea peracta euacuatione prædicta præter ſanguinis miſſionẽ ſummopere placeret, vt ſumeret per duos, vel tres dies infraſcriptam decoctionem, quæ apud me longo experimẽto probata eſt ad melancolicos ſuccos ſine aliqua moleſtia euacuandos, lieníſque affectus egregiè remouẽdos, cuius doſis quidem communis eſt; vnciarum

6. Eſt

6. Eſt tamen pro natura uniuſcuiuſque, conſuetudine, & ætate limitanda, cuius deſcriptio talis eſt. Accipe myrabalanorum omniũ an. ſemiunciam: contundantur groſſo modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium: infundantur per 24. horas in libris 6. aquæ fumiterræ diſtillatæ: poſtea accipe polypodij, epithimi folliculorum ſene an. vncias tres, ſeminum citri, liquiritiæ an. vncias 2. gariophylorum ſemiunciam, corticum radicum ellebori nigri drach. 3. Bulliant omnia ſimul ad conſumptionem medietatis, deinde facta diligenti expreſsione, & colatura reſeruetur ad vſum. Poſtea accipe huius decoctionis vncias ſex, aut vncias 3. aut 4. aut quantum expedire videbitur, iulep roſati ſeſquiunciam: miſce, fiat potio danda in aurora: poterítque dari vel alternis, vel ſingulis diebus ſecundum euacuationis quantitatem, augendo, vel minuendo doſim, prout euětus oſtendet. Et hæc de purgationibus ordinariè per ſingulos annos faciendis. Sed quoniam in ratione victus ſemper ferè aliquid delinquitur, & præcipuè in regiis delitiis, ideo ne deprauati humores plus æquo excreſcant, ſuum conſilium eſſe opinor, ſi ſingulis menſibus bis, aut ter mediam rhabarbari optimi drachmam deglutiat, ſiue mandendo,

ſiue in pilulari forma, ſiue in puluerem redactam admixto ſaccaro roſato, vel paſſulis, quomodocunque libuerit. Ad oculi verò affecti corroborationem, concoctionemq́; , & diſcuſſionem materierum confluentium optimũ erit remedium huiuſmodi collyriũ. Accipe fœnugræci electi, radicum althea an. vncias 2. mundentur exquiſitiſsimè ab omni ſorde, infunde, & decoque in aqua fontis puriſsima ſine fumo, aut puluere, aut fauillis ad conſumptionem duarum partium, deinde fiat fortis expreſsio, & colatura, Poſtea accipe aloës optimæ lotæ in aqua roſarum drach. 2. ſaccari candi, vel roſati vnciam. Decoquantur omnia ſimul ad conſiſtentiam mellis, deinde ſeruetur in vaſe vitreo optimè obturato, & ſuo tempore ſuauiter ponatur in angulo oculi affecti cum penna, & maximam inde vtilitatem habebit, quam omnino accipiet. Pro capitis verò particulari purgatione laudo quidem ea, quæ nos vulgò appellamus maſticatoria, & præcipuè quæ cum ſola maſtice fiunt, ſed caputpurgia, & expurgationes per nares violentas non ita laudauerim, tũ propter maximã affinitatem inter angulos oculi, & naſi emunctoria. eſſet enim potius attractio ad eundem locum, quàm deriuatio. Sed vbi omnibus his diligenter peractis.

eius

eius M. *adhuc vexaretur ab iiſdem ſymptomatibus, tum maximè probarem, ſi cauteria quoque fierent in vtroque crure, in parte exteriori, in loco cõſueto per quatuor digitos infra iũcturã à peritiſsimo chyrurgo.* E*ſſet enim auerſio, & euacuatio optima, & efficaciſsima, & præcipuè ſi in ſiniſtro crure fieret propter rectitudinem.* Et *hæc crederem ſuffectura, ſi modò eius ſerenitas diligentiſsimè præſeruari voluerit ab omnibus moleſtiis, quibus nunc affici ſolet, cum auxilio* Dei *optimi maximi, cuius nomen ſit perpetuò benedictum.* D*atum* V*enitiis, nonis* I*ulij.* 1549.

PRO MATRONA, ET COmite à Ducichſtain Germana Conſilium ſecundum.

ILluſtriſsimam D. *primò eſſe imbecillis cerebri conſtat ex vertigine, quam tot annis perpetitur: ex perpetuo catarrhi defluxu: ex eo quod accidit, vbi ſe bis inuerterit, videri ſibi omnia concidere.* H*anc modò imbecillitatem in cerebro ortum habere, an aliunde fieri, poſſet*

aliquis dubitare. Cùm tamen tandiu perſeuerauerint accidentia, quæ multis etiam remediis hactenus non potuerunt tolli, in ipſo cerebro læſionem eſſe probabile eſt. Non tamen fieri poteſt, quin & à ventriculo, & à toto corporis ambitu augeantur cerebri affectus. Nam quamuis propter capitis diſtillationem, tum ad ventriculũ delabentem, tum per neruos, & vertebras ad ſingulas partes corporis deriuatam, languor ille vniuerſalis, & ventriculi affectus generari poſsint, tamen fit inde circulus. Nam vbi ſemel affectio in inferioribus partibus generata fuerit, cerebro quoque communicabitur. Iam ergo neque cerebrum omnino ſine inferiorum conſenſu, neque inferiora ſine cerebro affici puto, ſed ſibi inuicem vtraque ſimul mutuis vicariis labefieri: hinc perſeuerantia ægritudinis, & curationis difficultas omnibus, ſcilicet, membris effectis, & præcipuè principalibus, quæ ſibi æqualiter communicant affectum. Si verò à me quæratur, quæ nam imbecillitatis cauſa ſit, credo ad frigidam intẽperiem eſſe referendã ex perpetua deſtillatione, & perſeuerantia, & lõgitudine morbi, ex tarditate, & ſegnitie accidentiũ. Neq; dubiũ eſſe poteſt, hanc intemperiem frigidam copiæ materiæ congeneris frigidæ, ſcilicet, & humidæ

humide copulari, non tamen hoc corpus priuari atræ bilis abundantia crediderim. Nam *calida hepatis temperatura,& habitus corporis,& amplitudo venarū, hæc facilè poſſunt oſtendere: quæ vbicunque affuerint ſi poſtea adiungantur curæ,& moleſtiæ, & animi accidentia,& longæ ægritudines affli-ctantes,& ætas iam decliuis, fieri nō poteſt, quin ibi melancholicus humor redundet, atque inde deteriores, diuturnioréſque fiāt vertigines, inde etiam quandoque tremor cordis.* Ergo *ſi curari voluerit illuſtriſſima* D. *à tam lōga támque pertinaci ægritudine, quæ fundamentum habet,& firmam ſedem in membris etiam principalibus eſſentialiter affectis, & ſibi inuicem ad maleficium conſentientibus, cum acceſſione quoque peſſimorū humorū, pituitæ, inquam, deſtillantis, & atræ bilis euaporantis: ſi ergo curari voluerit illuſtriſſima* D. *indigebit proculdubiò plurimo tempore, diuturna perſeuerantia,& pertinaci patientia, obediendo fidelibus medicorum conſiliis, neque ab illis decedendo, donec integram ſanitatem fuerit conſecuta.* Alioquin *ſi parum confidat,& deſperet,& tardum euentum nunquam futurum putet; medicamentáque opinetur nihil propterea conferre, quia ſerò curant, profectò innumerabilem*

prorſus reddet ægritudinem, & dum ſæpe ad varia medicorum conſilia, & varias opiniones ſe conferet, in nullo proficiet. Quod ergo primum præcipimus, illud eſt, vt proponat morbum habere longum, & diuturnum, qui etiã longa indigeat curatione. Hoc ita ſuppoſito, primò deliberabit, & enixè ſtudebit Illuſtriſſima D. vt in ratione victus moderatiſsima ſit: caueátque in primis ab omni aëris exceſſu. Cerebrũ enim imbecille præcipuè ad aëris omnes iniurias exponitur. Et quamuis frigiditas in hoc caſu maximè aduerſa ſit, non tamen propterea calori tutò occurret. Nam ſicut frigiditas auget, deterioremque reddit intemperiem, ita calor colliquat humores, calorem reſoluit, & vires exhaurit. Studendũ igitur eſt quàm maximè, vt aërem eligat temperatum. Ideò ab omni flatuum genere, & à pluuiis, à niue cauebit, & æſtatis tempore in feruente ſole non ambulabit, neque immorabitur. Germanica etiam vaporaria non adeo placent. Qui enim in vaporariis degit ſemper in extremis verſatur, vel nimio, ſcilicet, calore, vel nimio frigore. Caput muniat operimentis, quibus ita ſe ab aëris iniuria defendat, vt non tamen grauetur. Hoc etiam loco laudo, vt ſemel ſaltem ſingulis ſeptimanis caput abluat, ſcilicet

licet horis veſpertinis, poſt ſolis occaſum, vt poſsit poſt capitis lotionẽ tota ſubinde nocte ſe intra cubiculũ proprium commodè contiunere, neque ſe aëri exponere: erítque lotio huiuſmodi: Sumatur lixiuiũ ex ſarmentis vitium, quantum ſufficit ad vnicam capitis lotionem, atque in eo decoquantur maiorana, lauri baccæ, pulegium, calamentum, ozimum cum ſeminibus, & agarici electi contuſi, & ligati in petia drac. 2. addatúrque vini pars tertia ad lixiuij menſuram, & tũc omnia decoquantur ad conſumptionem quartæ partis, poſtea fiat expreſsio, & colatura, & cum hoc lixiuio lauetur caput cum aliquo ſapone odorato. Ex hac enim lotione mirũ in modũ caput corroborabitur: quæ ſi cõferre videbitur, laudo, vt bis in ſeptimana repetatur. Præterea mirum in modũ placet ſi pomum habeat odoratum, quod aſsiduè manibus teneat, & odoret. Pomum erit talis deſcriptionis: Accipe ladani electi, & pinguis vnciã, ſtyracis pinguis, belzoini, ana drachmam, garyophyllorum, cinamomi, nucis muſcatæ, ſeminũ nigellæ an. drachmas duas, olei de garyophyllis odoratis vnciã vnã et mediã, gũmi tragacãthi, maſticis an. drachmas duas diſſoluatur gummi in aceto roſaceo, poſtea omnibus ſimul cõpoſitis ſecundum artem fiat

pomũ additis in fine moſchi, ambræ an. granis decem: ſeruetur hoc pomum, & odoretur, vt dictum eſt. Ad idem quoque conferet, ſi perpetuò in cubiculo, in quo dormit, & verſabitur, fiat ſuffumigium infraſcriptum: Accipe ligni aloës, belzoini, ſtyracis an. dracmam, ſandalorum citrinorum ſcrup. quatuor, thuris maſculi drachmam: excipiantur omnia cũ gummi tragacanthi diſſoluti in aqua roſacea, & fiant trociſci parui pro ſuffumigio. Præterea operimenta capitis ſint, quàm maximé fieri poſsit, candidiſsima, & caueat, ne ſordeſcant humore capitis, perpetuóque præcipuè in hyeme, antè quàm applicentur capiti, calefiant, & apud ignem exiccentur, deinde ſuffumigentur odoratis aromatibus, & ſic capiti imponantur. Circa cibum & potum, primò ſi vino fuerit aſſueta, à vino non diſcedat, ſed eligat limpidum, non multùm potens, colore albo. Si verò ſit aſſueta ceruiſiæ, ad vinum non accedat, ceruiſiam tamen eligat ſine lupulis: lupuli enim ſummopere replent caput. Vnico etiam cibo contenta erit; & multitudinem epularum tãquam peſtem euitabit, & mihi credat, nihil magis illi pernitioſum fore, quàm eduliorum varietatem. Hoc præcipuè admoneo & obteſtor, & repeto, tum quia ad curationem maximè

eius

eius refert, tum quia nouerim nobilium, & prædiuitum hoc eſſe vitium peculiare, vt copia, & diuerſitate epularum maximè delectentur, ſitq; illis honori, & ambitioni relatũ, quod in pernitiem, & mortem vertitur. Ergo cauendum moneo, ac præmoneo à ciborum diuerſitate. Vnicus autem cibus ſit facilis concoctionis, & optimi nutrimenti. Talis erit primò panis puriſſimi tritici, optimè fermentatus, carnes hœdinæ, caſtratorum iuuenum, vitulorum lactantium, pullorum, perdicum, phaſianorum, auicularum paruarum montanarum. A reliquis carnibus abſtinendum conſulo. Oua ſorbilia recentia congrua ſunt quandoque, rariùs tamen piſces ſaxatiles, ita tamen, vt ſi piſces comederit, nullum præterea cibum admittat. Abſtinebit à fructibus, ab omni acetariorum genere, præcipuè ex crudis herbis, à lacticiniis, à paſtilibus, & ab his quæ in ſartagine friguntur: cauebit etiam ſatietatem: bis tantùm in die comedat, neq; omnino bibat inter cœnam, & prãdium. Euitabit animi accidentia, quàm maxime poterit. Exercebit corpus horis matutinis, vel ambulando, vel equitando, vel intra domum aliquo familiari exercitio incumbendo. Non dormiat vltra horas octo, manéque circa exortũ ſolis exurgat, neque

comedet, niſi poſt horas quinque, cauebítque omnino à meridiano ſomno. Studebit quotidie excrementa alui reddere, quæ ſi forte defuerint, optimè ſibi afferetur ab vſu aloës, cuius ſcrupulum ſumat hora ante cœnã, quotieſcunque dictabit neceſſitas. Hæc ſufficiãt ad victus rationem, in qua potiſsimùm ſtudium ab illuſtriſſima eius D. ponendum eſt, & in hoc potiſſimè curatio huius morbi conſiſtit. Quantùm verò ad medicamẽta attinet, laudo, vt bis in anno totum corpus expurgetur, vere, ſcilicet, & autumno. Poteritq; purgatio eſſe huiuſmodi: Accipe ſpecierum hieræ ſimplicis drachmas duas, floris caſsiæ vnciam cum ſaccaro, fiat bolus ſumendus hora vna ante prandium. Sequenti die ſyrupum huiuſmodi ſumat: Accipe ſyrupi de ſtœchade, de betonica an. vnciam,, decoctionis corticũ citri addita portione garyophyllorũ, in aqua endiuiæ, vncias quatuor, miſce pro vno, ſic pro aliis vſq; ad ſeptimũ: deinde accipe confectionis hamech drachmas quatuor, ſyrupi roſati ſolutiui vncias tres: miſce, & fiat potio cum aqua betonicæ ſumenda in aurora cũ cuſtodia. Item accipe ſaccari roſati vncias duas: ſumat ſemiunciam ante prandium, & cœnã per duos dies poſt aſſumptũ pharmacum: quod quidem tã autumno, quàm verè repeti

poterit

poterit. Laudo tamẽ, *vt vere mittatur ſanguis à vena baſilica lateris dextri, vel à ſaphena pedis dextri, ſi fortè menſtrua defuerint, tempúſque mittẽdi erit poſt duos ſyrupos aſſumptos.* Item laudo, *vt frequenter, neceſſariò etiam quotidie maſticem mandat, expuátque ſaliuam: quod ſi quoque eandem maſticem deglutiuerit, non erit importunum.* Quandoque *etiam maſtices loco mandere poterit, vt fruſtulum nucis muſcatæ, vel tantundem radicis zedoariæ, vel folia diptami cretenſis nõ exoluti, ſi haberi poterit.* Præterea *hora decubitus, ſi in aurem vtramq; iniecerit oleũ odoratum ex garyophillis, vel oleum nucis muſcatæ, quod ex* Luſitania *defertur, ſi haberi poterit, nõ fuerit inutile.* His *omnibus peractis, ſi non ſuccedat euentus, quemadmodum cupimus, laudo, vt cauteria fiant in vtroque crure in parte extrinſeca, per quatuor digitos infra iuncturam, & dimittantur aperta ſaltem per annum integrum, & diutius quoque, ſi apparuerit.* Quòd *ſi etiam tales aquas poſſet, & ſtillicidium ab eis ſumere, quales ſunt noſtræ* Apponenſes, *crederem mirificè eſſe profuturas, ſi modò, & ſuo tempore, & poſt debitas purgationes citò exhibeantur.* Io. Baptiſta Montanus Veronenſis.

PRO LVDOVICO BOSchetto, conſilium tertium.

REuerendus D. Ludouicus Boſchettus poſt longam febrem paſſus eſt, & patitur tumorem durum in ſplene multæ duritiei, & magnitudinis: pro cuius curatione, ſi ex toto fieri poterit, ordinandum eſt in primis regimen in cibo, & potu, ſubinde deueniendum eſt ad medicinalia. Quantùm ad cibos attinet, euitandi ſunt omnes humores craſſos generātes, nec non & humores melancholicos facientes, qui habebuntur in conſilio de melancholia poſtea, & in aliis omnibus ferè. Elixa plùs conueniunt, quàm aſſata, non tamen ex toto prohibetur vſus aſſatæ carnis, præſertim paruarum auium. Piſces ſint maritimi, vel de flumine currenti petroſo, ſquammoſi: oua recentiora, ac tremula. Ex oleribus conceduntur beta, borago, ſpinachia, lupuli, aſparagi, artichiochi, endiuia, cicorea, & lactuca tēpore calido. Cappares cū aceto, et oleo cōditi, & aliqualiter cocti cōueniūt āte alios cibos: ſimiliter ſardellæ, vel anguillæ ſalitæ cū aceto, & oleo conditæ ante alios cibos cōceduntur: oliuæ me-

uæ mediocriter ſalitæ interdum conceduntur. Aromatum, item porri, allei vſus, & cæparũ prohibetur æſtate maximè, hyeme verò nõ niſi paucus cõceditur. Aceto, *& acetoſis vti licet: fercula ſint ex rebus ſuprà conceſsis, brodiũ, vel ciceris, caulium, vel raparũ.* Ex *fructibus conceduntur vuæ, & ficus bene maturæ, tã virides, quàm ſiccæ, piſtachiæ, amygdalæ.* Tem*pore autẽ calido interdũ concedo paſſulas, pruna bene matura, ac melopepones.* In *potu vitet aquam, vinum autem ſit antiquum, album, quod modicè flauum dicunt, vel medij coloris, mediocris potentiæ, ſubtile, boni odoris, & ſaporis, non dulce, velut nouum, craſſum, & turbidum, nigrum.* Euitanda *ſunt ciborum, vel potus repletio, & varietas. ſaccaro, & melle cum aliis cibis rarò vtendum eſt.* His *obſeruatis ineunte vere extrahantur quinque, vel ſex vnciæ ſanguinis ex baſilica ſiniſtri lateris, niſi forte ſanguis hemorrhoidalis multùm fluxerit.* Sub*inde capiat infraſcriptum ſyrupum, & medicinam:* Accipe *radicum tamariſci, ſcolopendriæ, quæ cetrach dicitur, camedreos an. manipulos duos, corticum radicum capparorum vncias duas, cõtundantur, & decoquantur in libris* 8. *aquæ ad conſumptionem medietatis, & huius decoctionis accipe libras*

quatuor mellis, aceti, an. librã vnam, & fiat oxymel. Accipe ſupraſcripti oxymellis vnciã vnã, & mediã, aquæ cetrach vncias tres: miſce, & fiat ſyrupus, deficiente aqua cetrach ponatur aqua decoctionis tamariſci, in qua ſæpe ferrum ignitum ſit extinctum, & capiat ſingulo die vnum vſque ad ſeptimum. Deinde capiat medicinam infraſcriptam: accipe polypodii, folliculorum ſene, ſtœcados, paſſularum, liquiritiæ ana vnciã mediã, mirabalanorum indorum drachmas tres: decoquantur in libris tribus aquæ lactis, donec remaneant vnciæ nouem. Deinde addantur epithimi drachmæ ſex: bulliant vnica ebullitione, & facta colatura addantur floris caſſiæ drachmæ ſex, ſpecierum hieræ ſimplicis ſcrupuli duo, & fiat potio quã capiat ſummo mane, & tardet prandium horis ſex facta purgatione, quæ reiteretur, ſi opus eſſe videbitur medico adſtanti. Sit frequens vſus electuarij infraſcripti in quantitate drachmæ mane, bibendo poſt vncias tres flaui vini, decoctionis tamariſci, cetrach, corticum radicũ capparorũ, chamædryos partibus æqualibus. Accipe cetrach, chamædryos, radicũ tamariſci, corticum radicũ capparorũ ana drachmas ſex, ammoniaci, rubeæ tinctorum ana drachmas quatuor, polij, arthemiſiæ ana

drach-

drachmas tres, galbani, ſeminum hyperico-nis, nigellæ, amygdalarum amararum ana drachmas duas, cardamomi fructus, periclymeni ana drachmam vnam & mediã. Am-*moniacũ diſſoluatur cũ aceto, & omnia excipiantur oxymelle ſcyllitico, & fiat electuarium.* Applicanda *ſpleni exteriùs ſunt mollientia, ſubinde reſoluentia, vel miſcenda mollientia cum reſoluentibus.* Sit *igitur frequens vſus iunctionis lienis cum oleo infraſcripto:* Accipe *corticũ radicũ capparorũ, foliorũ tamariſci ana vnciã, olei communis libras duas, vini albi boni vncias ſex: decoquantur ſimul ad vini conſumptionem.* Item *accipe ceræ, olei antiqui, ammoniaci ana vncias ſex, croci drach. duas, aceti quantum ſufficit ad diſſoluendum ammoniacũ, & fiat in forma ceroti.* Item *ſit vſus frequens vnguenti de arthanita parui, deſcriptionis* Meſuë, & *loco applicetur, vel ſuccus cetrach vel ſuccus ebuli.* Item *accipe ſalis vſti. q. ſ. diſſoluatur in ſucco tamariſci, vel cetrach, vel in decoctione radicum corticum capparorum, & cum veſica actuali caliditate ſæpe lieni applicetur.* Item *viſci quercini vncias ſex, calcis viuæ vnciam mediam, corticum radicum capparorum vncias duas, picis liquidæ vnciam mediam, diſſoluatur viſcus ad*

ignem cum pice liquida: cætera pulueriʒata miſceantur, & lieni applicentur. Itē accipe ceræ terebinthinæ, picis ana vncias quatuor, auripigmenti, calcis viuæ, aluminis, mirrhæ ana drachmas tres, aceti. q. ſ. auripigmentum, calx, alumen, & myrrha cum aceto diſſoluantur, & cum cæteris excipiantur in forma cerati, quod vltimò poſt reliqua applicetur. Item accipe ceræ, reſinæ, picis, adipis tauri an. vnc. quatuor, baccarum lauri vnc. tres, ſalis vſti, ammoniaci, an. ſeſquiunc. aceti quātum ſufficit ad diſſoluendum baccas lauri pulueriʒatas, ſal, & ammoniacum, & fiat ceratum. Item accipe corticum radicum capporum vnciam, florum tamariſci, cetrach, chamædryos, an. manipulum, rubeæ tinctorum vnciam, cardamomi ſemiunciam, ruthæ ſiccæ manipulum, piperis drach. tres, aniſorum, fœniculi, an ſemiunciam. Decoquantur omnia in aceto acertimo pro fomento faciendo cum ſpongia ſupra lienem, poſt vſum tamen mollientiū. Item accipe bdellij, ſepi vitulini, ammoniaci, radicum ireos, an. vncias duas, oppoponacis, galbani, baccarum lauri, ſtyracis, thuris, an. vnciam, piperis grana numero 160. ceræ, terebinthinæ, an. vncias ſex, vini quantum ſufficit, fiat ceratum. Et quoniam pleraque cerata ſunt fortia, ante

te purgationes quatuor primis vti poterit, poſt purgationes autem quibuſlibet.

PRO COMITE DE MANT-*fort, Conſilium quartum.*

LAborare Illuſtriſsimum Comitem eo affectu nõ dubitamus, quem antiqui Medici flatum hypocondriacum, recentiores myrachialem appellârunt. Ita enim eſſe, & mœſtitia præter cauſam, perpetuíque ferè circa hypocondria rugitus facilè oſtendunt. Cùm verò huiuſmodi affectus à contraria intemperie duorum membrorum dependeat, ventriculo, inquam, frigidiore, & hæpate calidiore, habemus in illuſtriſsimo Comite vtriuſque intemperaturæ manifeſtiſsima ſigna. Nã & tardè admodùm cõcoquit, plurimáque redundat pituita, & quod ad ventriculum attinet iuuatur à calidis, nocumentóque afficitur à frigidis. Renes verò calidiores harenarum rubearũ frequens, & copioſa eiectio oſtendit, vrina lutei coloris, ſubtilis, pellucida, puſtulæque quãdoque erumpentes, mordaces, vlceráque emanãtia, caliditatẽ inſignem hæpatis arguunt. Aegritudo igitur illuſtriſsimi D. eſt intemperies ventriculi frigidior, & hæpatis calidior, à quibus

proximè generantur ſymptomata cruditatis, flatuum, mæſtitiæ ob vapores feruefactos, & aduſtos à venis meſaraicis aſcendentes ob materiæ inflammationem in illis partibus collectæ. Hinc oritur *curationis difficultas, & morbi longitudo. Cùm enim ventriculus calidioribus ad curationem indigeat, hæpar verò frigidioribus, non poteſt medicus alterum ſine alterius inſigni noxa curare.* Vnde *etiam morbi longitudo conſequitur, præcipuè quoniam duo illa membra vniuerſo corpori nutriendo inſeruiunt, quæ cùm ægrotent, neceſſarium eſt nutrimentum quoque generari, neque aptum, neque vtile corpori.* Tot *igitur ſunt cauſæ, & longitudinis, & malitiæ morbi, quibus poſtea ſi acceſſerit mala viuendi ratio, & medicorum importuna, & malè intellecta curatio, tunc nihil deerit ad pernitiem* Illuſtriſſimi *Comitis perficiendam.* Primò *igitur pro ſcopo curandi illud eſt proponendum, ne aliquis medicus audeat totis viribus, vel magno aliquo impetu ad morbum tollendum proficiſci, ſiue purgando, ſiue alterando, vel corroborando proceſſerit. Cùm enim purgationes fiant per attractionem humorum à tota corporis circunferentia per hepar ad ventriculum venenoſa virtute*

pharmaci

pharmaci violẽter attrahẽte, neceſſariũ eſt, vt ab huiuſmodi purgatione tam ventriculus, quàm hæpar mirũ in modũ debilitẽtur, exiccẽtur, proprioq́;, ac naturali calore deſtituantur, ac conſequenter ad omnem pernitiẽ præparentur. De alteratione verò, & corroboratione quid dicere oportet? Quomodò enim vel ventriculum, quantùm oportet, calefaciet medicus, vel refrigerabit hæpar ſine alterius maximo detrimẽto? Ergo primùm prouidere debemus, vt placidè, moderatéq; omnia pertractentur, & ſiue purgatione, ſiue alteratione indigeat (vtroque enim indigebit) tam hæc, quàm illa cautiſsimè fiat: quodq́; vno impetu confertim fieri non poteſt, longo tempore paulatim efficiatur. Atque hæc videtur eſſe tota ratio curationis in Illuſtriſsimo Comite, à qua ſi tantillum diſceſſerit, præterquàm, quòd fruſtra laborabit, maximis etiam periculis ſe exponet. Exordiendo igitur curationem magis particularẽ dicimus Illuſtriſsimam D. eius potiſsimam ſpem in rectiſsima victus ratione conſtituere debere. Ac primò omni diligentia procurare debet, vt ab omnibus animi moleſtijs prorſus liberetur: fugiat præcipuè aulica negotia, in quibus nunquã ab ambitione, ab æmulatione, ab ira, à ſuſpicione, & odio poterit ſeparari. Hæc enim o-

mnia, ita aulæ, & regijs domibus ſũt annexa, vt vllo vnquã tempore, neq; ſegregari potuerint, neque poterunt. Quãdiu igitur in negotijs aulicis implicabitur, tamdiu morborũ ſuorum cauſam præcipuam fouebit. Ergo ſi ſanitatem procurat, ad animi quietem, & ad tranquillitatem confugiat, proprijſq; fortunis amplis, & honeſtis contentus ſit, eligatq; habitationem optimi aëris, & iocundã, opportuniſq; & cõmodis venationibus corpus exerceat, atque in alijs honeſtis voluptatibus occupetur cum iocundis amicis verſando, ludendo, & confabulãdo, de nullaq; alia re minùs, quàm de ſua ægritudine ſit ſollicitus, tantùm ſe cuſtodiat, & muniat, in reliquis morbum contemnat. Cauebit tam à frigore intenſo, quàm etiam à calore, vnde & ventos omnes euitabit, niuéſque horridas, & pluuias. Sed aëri tranquillo ſe ſemper exponat; & ſi quãdoque aliquo vrgente negotio cogetur in aërem intẽperatum accedere, muniat ſe opportunè his, quæ illi temperaturæ aduerſari poſſunt. A venere non omnino vellem, vt abſtineret, imò, quemadmodum ego opinor, moderata venus illi non mediocriter conferet, ſi modò commodè, & ſuis temporibus illa vtatur. Tempus opportunum tam veneris, quàm exercitij eſt, cùm ventriculus ſit à cibo vacuus,

*euus:facta enim prima concoctione tam ad venerem, quàm ad exercitiũ accedere oportet.*Procuret *præ cæteris omnibus, vt quotidie habeat alui beneficium, & ad hunc vſum ſummopere laudo illud etiã, quod priùs admonui, vt habeat familiarem terebinthinã Cypriam, quam deglutiat ad quantitatem nucis paruæ, tribus horis ante prãdium, ſemel, aut bis, aut ter, in ſingulis ſeptimanis, prout expedire videbitur.*Nam *præterquã quòd aluum mollem efficit, vẽtriculum etiam purgat, obſtructiones aperit, vrinam prouocat, calefacit ventriculum, neque propterea hæpar lædit, imò & illi mirum in modum confert aperiendo, abſtergendo, & mundificando. Quantum verò ad cibum, & potum attinet, primò euitabit tanquam peſtem multitudinem cibariorum, ſed vnico tantùm cibo contentus erit, neque illo copioſo, ſed ſemper citra ſatietatẽ à menſa recedet.*Erunt *cibi laudabiles, à quibus nunquam diſcedet, caro pullorum, hædorum, vitulorum lactantium, phaſianorum, perdicum, & auium campeſtrium pinguium præter coturnices, quas vulgò qualias vocant.* Vtetur *ouis ſorbilibus, & recentibus.* Abſtinebit *ab omnibus carnibus antiquis, ab auibus paluſtribus, à carne porcina, à piſcibus, à leguminibus, ab oleribus, à fructibus,*

à caſeo, & ab omnibus lacticinijs, ab vſu aromatum, à rebus frictis in ſartagine. Vinum eliget album, clarum, pellucidum, bene maturum, mediocriter potens. Vina enim potentia ſunt illi maximè infeſta. Quod etiam vinum moderatè bibet, in prandio tantũ, & cœna, & omnino cõpotationes effugiet. Hæc eſt victus ratio ab eius D. diligentiſſimè ſeruãda, in qua ferè tota curationis ſpes ſtatuẽda eſt. Quantũ vero ad medicamẽta attinet, in illis ero admodum parcus: laudarem tamen, vt bis ſingulis annis moderatè ſe purgaret, vere, inquam, & autumno. Eſſet purgatio huiuſmodi: Accipe ſpecierum hieræ ſimpl. drachmas duas, floris caſſiæ drachmas 10. cũ ſaccaro fiat bolus ſumendus hora ante prandiũ. Deinde accipe ſyrupi de cicorea Nicoli ſine rhabarbaro, mellis roſati ana vnciam, aquæ abſinthij vnc. quatuor miſce pro vno, ſic pro ſeptem. Deinde accipe rhabarbari electi drachmas duas, ſpicæ gr. 10. irrorentur vino albo aromatico. Deinde infundãtur in aqua endiuiæ per horas 10. poſtea accipe ſyrupi roſati ſolutiui vnc. quatuor: miſce, & fiat potio danda in aurora cum cuſtodia. Hic eſt modus purgationis, quem tam vere, quàm autumno poterit obſeruare. In ſpacijs verò intermedijs, ſi quandoq; terebinthinæ vſus

non

non ſufficiet ad ventriculum idonee expurgã-dum, poterit quandoque mãdere ſcrup. duos rhabarbari electi, & deglutire tribus horis ante prandium. Vtetur etiam frequentiſsime ante prandium, & cœnam ſaccaro roſaceo ad vnciæ quantitatem: eſt enim & ventriculo, & hæpati, & renibus quàm maxime vtile. In extrinſecis autem linimentis parum admodùm confido, ideo illa omnia cõſultò prætermitto, neque hic electuariorũ, & confectionum multitudinem congero: noui enim quantùm turba, ac multitudo remediorum confertim congeſta diuturnis morbis nocere ſolet. Et hæc ſi recte obſeruauerit, ſpero illuſtriſsimam D. eius bene habituram, cum Dei optimi auxilio, cuius nomen ſemper ſit benedictum.

PRO PVERO VENETO,
Conſilium quintum.

NObilem hunc puerum febre affici ex obſtructione nõ modò ratio ſed ſenſus etiam indicat, obſtructione, inquam, membrorum naturalium: curari ergo non poterit febris, niſi remota obſtructione. Quantum igitur ad victus rationem attinet, mihi videretur, quòd attenuãs cibus,

& potus eſſet adhibendus. Ergo vinum albũ pauciferũ, ſubtile, quale hucuſque rectiſsimè oblatum eſt, maximè conuenire exiſtimo: carnes hœdorum, & pullorum, cũ quibus coquatur aniſum, vel fœniculum leuiter contuſum pãno lineo inuolutũ. à granis omnibus abſtinerẽ, præterquã ab hordeo optimè diſcocto in iure, quo eſſem contentus addito petroſelino, vel betonica, vel fœniculo. Et quoniã audio paroxiſmum circa veſperas inualere, laudo parciſsimè cœnet, & in horis magis quietis: hoc enim in febre tollẽda plurimùm conferre arbitror. Prouiderem, vt ſingulis diebus beneficium alui haberet: nihil enim efficacius ad febrem ex obſtructione tollendam, quàm lenire aluũ, & prouocare vrinam: & cùm audiui hunc puerum contineri non poſſe, quin ſe plurimùm puerili more exerceat, omnino hos incongruos motus coërcendos indico, & intra ædes proprias, quantùm fieri poteſt, puerum continendum. Quantum vero ad medicamẽta attinet, cùm apertio ſit in hac curatione ferè principalis intentio, & quod verè aperit eſt amarum, ideo amarorum vſum in hoc puero maximè laudarem. Si ergo perſuaderi poteſt, vt de abſinthio ſyrupum manè ſumat cum iure pulli, in quo petroſelinum, fœniculũ, & alia huiuſmodi diuretica decocta fuerint,

ſummo-

ſummopere laudo. Sed inter reliqua quod ſemper certa fide à me longo experimento probatũ eſt, laudo, vt ſingulis diebus ſumat infuſionẽ rhabarbari in aqua endiuiæ. Nunquã enim vidi febrẽ ex obſtructione hoc remedio nõ eſſe ſublatã, ſi modò pertinaciter quiſpiam in eius vſu perſeuerauerit. Quandoque enim craſſimos humores impactos, & obſtructiones, quæ ob caloris imbecillitatem facilè tolli non poterant, ex rhabarbari aſſumptione curatas vidi. Conſueui igitur accipere libram aquæ endiuiæ, in quam drachmã rhabarbari infundo in pãno lineo inuolutã: Dein de ſingulis diebus vncias quatuor illius infuſionis facta aliqua expreſſione accipi iubeo circa auroram: & eſt huiuſmodi doſis puerorũ. Neque deſiſto ab hac potione, priuſquàm video omnino & febrem, & obſtructiones eſſe ſublatas. Auferuntur enim proculdubiò, ſi reliqua omnia rectè fiant, & curationi conſentiant. Quantum vero attinet ad ea, quæ exteriùs applicantur, ſtomacho quidem oleum de abſynthio confectum cum puluere maſticis applicarem, lieni verò linimentum hoc modo confectum: Accipe bdellij, ammoniaci, ana drach. 2. diſſoluantur in aceto ſcillitico. Deinde accipe olei amygdalarum amararum, adipis anſeris an. vnciam,

ponantur omnia ſimul, & fiat linimentum pro ſplene. Hepati recte applicari poteſt linimentum ab excellentiſſ. doctore applicatum, vnguentum roſatum Meſuë cum ſandalino permixtum. Hæc ſatis eſſe arbitror pro hac febre tollenda, ſi modò puer recte pareat, & aſsidentes non delinquant.

PRO PVERO GERMANO Epileptico, conſilium ſextum.

CVm actio medici circa epilepſiam ſit genere triplex: vel enim excitamus hominem, quando actu cadit in epilepſiã, & hæc proprie cura ſymptomatis, non morbi apellatur: vel præſeruatur, ne cadat, aut ſaltem rariùs, vel leuiùs: tertia eſt cauſarum remotio, id eſt, ægritudinis, à qua immediatè epilepticus caſus contingit. Nos tertiam ſequemur arbitrantes hanc eſſe potiſsimã, quæ ſi remoueatur, alia quoq; duo facilè propellẽtur. Et cùm in hoc nobiliſsimo puero cauſa proxima ſymptomatis ſit materia frigida repẽte à ſubiectis partibus, præcipuè à brachio, tanquã aura repentè ad caput aſcẽdens, ſpiritúſque, & virtutẽ animalẽ maxima ex parte intercipiẽs. Ideo curationẽ verã duco prohibere, ne talis materia generetur,

auertere ad partes oppoſitas, quæ iam fuerit generata, caput corroborare, ne tam facile recipiat. Quantum ad auerſionem attinet (ab hac enim primùm incipio) iam pridē idoneè (vt arbitror) à me prouiſum fuit brachio, vnde potiſsimè aſcendebat materia, ſynapiſmos & cauteria applicando, à quibus non priùs deſiſtendum putaui, quàm integram (ſi Deo placuerit) adeptus fuerit ſanitatem. Altera pars auerſionis erat, vt per oppoſitas partes euacuaremus quicquid cōtinuè excrementoſum generaretur, quod neque à me prætermiſſum fuit. * *Inſtitui enim vt iugiter vteretur alui ſubductione cū pilulis ex mea quadam deſcriptione, quam apud ſe ſeruat, in quam ingreditura garicum. Conſului præter hoc, vt leuioribus quandoque vteretur, vt aloë ſimplici, ante cœnam, vel hiera Galeni de ſex rebus, vel aceto ſcillitico mane tribus horis ante prandium, aut melle itidem ſcillitico. His omnibus adhuc vtēdum cōſulo, hoc, vel illo, prout fœliciùs ſuccedet. Et hæc quantum ad auerſionem attinet. Vt verò prohibeatur materia, ne generetur, quæ ſicut verior, & integrior, ita difficilior curatio eſt, præcipuè ex parte ægroti malè ferentis conſilium, dicā tantùm ea, quæ neceſſario, quàm diligētiſsimè obſeruāda putauerim, præcipuūq; eſt,*

vt in omnibus ſex rebus non naturalibus regatur exquiſitiſsimè. Primò igitur euitabit omnem aëris exceſſum, præcipuè dum fuerit in Germania aëre frigidiſsimo, & humidiſsimo. In ea enim regione peculiari circa hoc admonitione indiget: ferè enim Germani hyeme præcipuè in duobus extremis ſummopere peccant. Nam vel in æſtuarijs ſuis torrentur, vel ſubdio frigido, & gelu torquentur, cùm tamen ab vtroque enixè cauendum ſit. Dum enim nobiliſsimus iſte adoleſcens in vaporario verſatur, meatus cutis, præcipuè capitis aperiuntur, humores attenuantur, & in vapores tranſeunt, vnde neceſſariò caput repletur, alioqui ex morbo debile, & imbecillum. Sed vbi poſtea repentè in ſubdialem aërem tranſit, algor vehemens occurrit, qui penetrans per apertos meatus, cerebrum refrigerans, humores in eo contentos comprimẽs, & congelans efficit, vt omnino deterrima ſubſequantur. Cùm igitur hæc nocumenta omnibus communia iudicem, huic tamen puero arbitror futura eſſe magis pernitioſa. Erit ergo ab illis quàm maximè cauendum, erito artificialis ratio, vt omnẽ aëris exceſſũ quàm procul effugiat. Quod ſi neceſſariũ erit quãdoque ex cõſuetudine gentis in vtroque verſari, primò frigiditatem munimentis, & ve-

ſtibus quàm maximè propellet: vaporaria verò eliget moderatiſsimè calida, & vix tepentia, in quibus magis aperto capite commorabitur, vt poſtea eodem munito, cùm egreditur, minor fiat illa mutatio, & tranſitus de contrario in contrarium. Si præterea perceperit flatus aliquos malos, vel niuem, vel pluuias aërem turbare, intra domum ſe continebit. Denique illud commune ſeruabit, quemadmodum diximus, vt aëris immoderatos exceſſus effugiat. Præterea omnis animi moleſtia, ira præſertim, & mæſtitia ſummoperè arcenda erit, ſtudebítque cum ſocijs, & amicis honeſte, & iocunde conuerſari. Quotidiano exercitio præcipuè delectabitur matutinis horis, quod inferiores potiùs partes exerceat ſine multa capitis agitatione. Ideò pilæ ludum, neque gladijs dimicare, aut ſaltus immoderatos facere nõ probauerim in nobiliſsimo hoc puero & adoleſcente. Cerebrum enim nimis concutiunt, & exagitant, ſed potiùs eligere deambulationes, equitationes, ſagittarum, lapidum, pali ferrei iaculationes, & huius generis exercitia, in quibus ſine inſigni aliquo motu capitis reliquum corpus exerceatur. Exercendi tẽpus cõmodiſsimũ eſt, quod duabus horis prandium præcedit. Sed & frictiones quotidianas non

minus laudo, ſiue præcedāt, ſiue ſequātur exercitium, ſintq́; vniuerſi corporis, lenes quidē, & molles ſed lōgæ quoūſq; corpus incaleſcat, & rubeſcat, dimittatúrque in frictione caput, & partes omnes, quæ ad collum attinent, fricantíſque manus ſemper deorſum trahatur: optimúmque eſt ſi poſt frictionē totū corpus illinatur oleo garyophyllorum odorato, quod Vnguentarij conficiunt, & non Aromatarij. Et ſi quis vnquā cauere debet à ſomno meridiano, vel matutino, aut nimis prolixo, adoleſcens iſte vnus ex illis eſt. Erit igitur illi ſomnus moderatus, nocturnus, non diurnus. Procurabit, vt quotidie beneficium alui habeat. Quod ſi defecerit, adiunetur, vel pilulis priùs nominatis ex hiera ſimplici, vel aloë, quādoque etiam cum clyſteribus emollientibus, neque omnino patiatur feces in ventre plùs æquò retineri. Inde enim magna grauitas capitis ſubſequi ſolet. Bis in die tātùm comedat, ſitque cœna lōgè parcior, quàm prādiū. Neque credāt critici iſti medici me proptea Galeno cōtradicere, cùm longè alia ratio ſit cœnæ noſtratū, quàm fuerit antiquorū. Sed hic nō eſt huius difficultatis determinādæ locus, ſat habeat, quòd ſi abūdè cœnauerit, non erit immunis à maxima capitis repletione. Cœnet igitur parcè, neque in hoc diſcedat ab

Auicennæ præcepto, quod eſt nihil aliud, niſi Galenicum ex oppoſito immutatum, videlicet, vt ex tribus partibus diurni cibi duas in prandio aſſumat, tertiam in cœna. Ita enim neque interdiu percipiet repletionem, aut grauitatem, neque multa opprimetur cibi nimietate, ſed ſuauiter, & iucūdè dormiet: caueátque ne poſt cœnam, aut prandiū, aliquid deguſtet, aut bibat Germanorū more. Fruſtra enim imperaremus aliquid de cœna, & prādio, ſi aliæ quoquæ cœnæ intercederēt. Cibus ſit vnicus, ac quàmmaximè ſimplex: nihil enim illi æquè nocebit, quàm epularū multitudo. A vino ſi toto tēpore ſuæ curationis abſtinere poterit, quemadmodum hactenus me admonente abſtinuit, optimè illi ſuccedet. Sit tamen aqua cum cinnamomo, & aniſo confecta, ſicut præcepimus. Abſtineat quāmaximè à paſtilibus, leguminibus, à lacticiniis, caſeo præſertim, à fungis, ab oleribus, crudis præcipuè, à piſcibus, à rebus frictis in ſartagine, à carnibus auium paluſtrium, à carne porcina tam recenti, quàm ſalita: non etiam laudo carnes agnorum propter redundantem humiditatem. Et cùm iam appropinquet ætas Veneris, conſulo, vt ab ea quāmaximè abſtineat. Nihil enim aliud venus eſt, quā breuis quadā epilepſia, ſi Hippocrati

credimus. Hæc ſit tota victus ratio, in qua ferè totum eſt curationis fundamentum. Si enim hoc modo ſibi cauerit, materia illa frigida, & cruda, quæ fouet epilepſiam nulla, vel pauciſsima generabitur, quod erat à nobis intentum. Atque ita ſatisfactum eſt, & auerſioni materiæ, quæ generatur, & prohibitioni, ne generetur: ſupererat capitis corroboratio, ne nocumentum ſuſcipiat. Eſt autem in corrobando capite ratio præcipuè habenda, ne agitetur cerebrum, aut aliquo pacto concutiatur: propterea, neque caputpurgia probauerim, neque frictiones capitis, aut ſtillicidia à medicinis vulgò, in huiuſcemodi caſu propoſita. Sed maſticatoria, quæ ἀποφλεγματισμοὶ à Græcis vocantur, admittat, primò ex maſtiche ſola, & ſimplici, deinde etiã adiecto pipere, & ſtaphideagria, & pyrethro, paſtillos conficiẽdo. Mandere etiam matutinis horis garyophyllos, nucem muſcatam, cinnamomum, zedoariam, & quæ huiuſmodi ſunt, ſummoperè laudo: maximè enim cõferunt ad capitis corroborationem in hoc caſu exiccatione, & euacuatione. Præterea caput abluere ſingulis ſeptimanis circa horas veſpertinas ante cœnam, eſt remedium à me valde probatum, ſi lixiuium dulce eligatur in quo decoquatur aſarum, ſene, betonica,

maiorana,

maiorana, roſæ, & capilli veneris adiecto etiam agarico. Erit enim lixinium ad hunc vſum præſtantiſsimum. Poſt lotionem verò ſuauiſsimè exiccari debet, neque fricando, neque agitando cum pannis moderatè calidis. Caueat etiam, ne ignem acriter intueatur, aut magnum ſplendorem, aut campos niue refertos, aut turbam hominum circumcurſantem, aut curruum rotas velociſsimè motas, vel molas, nec quicquid in gyrum verſatur, ab alto etiam ne proſpiciat, neque decurrentem fluuium intueatur. Hæc enim omnia cerebrum, & ſpiritus exagitant, & robur adimunt. Laudo præterea pro capite, & membris quoque inferioribus corroborandis, vt bis in menſe ſumat optimi Mithridatici drachmam. Eſt etiam præſtantiſsimum remediũ inſtillatio olei de ladano per ſapientem deſtillatorem confecti, tum in aures, tum in aures, tum in nares, tum etiam quandoque illinendo verticem capitis. Sed etiam manè ſuauiter pectinari illito pectine ex eodem oleo, non mediocriter conferet ad caput corroborandum, ſed pecten ſemper retro trahendus eſt verſus occipitium. Et hæc ſufficiant, tum in auertendo materiam, tum in prohibendo, ne generetur, tum in capite corroborando, quæ tria nobis à principio fuerunt propoſita.

Quòd ſi etiam magis præſeruari voluerit nobiliſsimus adoleſcens, vere purgabitur ex Galeni præcepto, poterítque huiuſmodi eſſe purgatio. Accipe hieræ ſimplicis drach. duas, floris caſsiæ vnciam, cum ſaccaro fiat bolus ſumendus horis duabus, vel tribus ante prandium. Item accipe oxymellis ſcillitici, ſyrupi de betonica an. vnciam, decoctionis granorum peoniæ in aqua deſtillata peoniæ vnc. quatuor: miſce pro vno ſyrupo, & ſic pro ſeptem. Deinde accipe confectionis hamech drach. quatuor, ſyrupi roſati ſolutiui vnc. tres cum aqua peoniæ fiat potio dãda in aurora cum cuſtodia. Talis igitur, vel huiuſmodi poterit eſſe annua purgatio, quæ ad præſeruationem attinet. Et hæc pro tempore ſuffectura arbitror in curatione, & preſeruatione huius nobiliſsimi adoleſcentis ad laudem Dei optimi maximi.

Vin. Caſalis lectori.

✻ Locus poſtulare videtur, vt ego duo te admoneam: Alterũ quidem eſt, vt ſcias, qua ratione magdaleon ad pilulas conficiendas cõpoſitum ſit. Fuit enim hac arte conditum, quemadmodũ in meis annalibus adnotaui: Accipe rhabarbari electi drach. duas, garyophyllorũ, cinnamomi, ana ſcrup. duos, aloës drach. quatuor, agarici drach. tres, ſeminum

peoniæ

peoniæ ſeſquidrachmam: miſce, & cum melle roſaceo confice magdaleon. Alterum eſt *electuarium ad vſum ſeruandum, quod eſt:* Accipe *ſcillæ aſſatæ, & præparatæ ſecundum artem vnc. duas, ſeminum pæoniæ puluerizatæ vnciam, mellis optimi colati, & deſpumati libram: miſce, & fiat electuarium.*

PRO MATRONA LEONORA *ſacrata* Fliſcha, *conſilium ſeptimum.*

AVditis, & diligenter conſideratis affectibus omnibus, quibus infeſtatur nobiliſsima matrona Leonora Sacrata Fliſcha, *indicauerim primam originem eſſe in cerebro, propter paucitatem, & malitiam ſpirituum animalium, non ſine tamẽ materia aliqua frigida deſcẽdente ad partes affectas.* Materiam *autem deſcendentem, malitiam, & paucitatem bonorum ſpirituum fieri ob cerebri frigidam intemperiem.* Et *quòd ita ſit cõiecturas habeo, primò imbecillitatem omnium intrinſecarum actionum, quæ cerebro propriæ ſunt, ſicut ingenij, memoriæ, & cogitationis.* Non *enim actiones remittuntur, niſi ob intemperiem frigidam cerebri, præcipuè ſi humiditati con-*

iuncta fuerit. Cùm ergo animalis virtus in
cerebro ſedē habēs, ſiue ſine ſpiritus vehiculo
ſubitò, tanquam ſolis radius omnes corporis
partes illuſtret ſenſúmque, ac motū afferat, ſi
ue vehatur ſpiritu: (Hoc enim apud illuſtrio
res medicos non ſat compertum habetur) con
ſtat tamen ſine animali ſpiritu, ſiue præceſ-
ſerit, ſiue comitetur nihil agere poſſe, vel ſen-
tiendo, vel mouendo. Sed ſpiritus animales
neque multi, neque boni eſſe poſſunt vbi fue
rit ea, quam prædiximus cerebri intempe-
ries. Quicunque enim habent talem intēpe-
riem, primò ſegnes in motu, & ſenſu reddun-
tur, deinde aucto incommodo torpidi, quòd ſi
vltra proceſſerit trepidi, ac tandem reſoluun-
tur, inciduntque in eam, quam paralyſin me
dici vocant. Neque hic à me repetendum eſ-
ſe arbitror, tremorem membrorum fieri æqua
tis, quæ ſunt ex parte membri grauitantis, &
deorſum trahentis, & ex parte animalis eri-
gentis. Dum enim æqualiter illa quidem eri-
git, hæc verò grauitant, fit tremor ex duobus
motibus contrariis. Quòd autem hic tremor
præcipuè fiat ob ſpirituū paucitatem, ita cō-
iicio: primò quòd eò magis tremit ſiniſtrum
brachium, quò magis laborat, vel nititur ali-
quid complecti. Conſtat enim ex hoc cona-
tu ſpiritus reſolui, & pauciores fieri, vnde
neceſſariò

neceſſariò quoque tremor augetur, ſequitúrque deinde etiam dolor ob intemperiem frigidam confertim ad membra accedentem, ſcilicet, ex ſpirituum, & caloris ſubita diſſolutione. Præterea dum aliquid acriter intuetur, ſtatim admirãdo quodam modo brachij tremor augetur, non ob aliam profectò cauſam (ſicuti ego arbitror) quàm quòd ſpiritus animales ab illo intuitu diſſoluuntur, atque ita paucioribus redditis, neceſſariò tremor augetur. Audio etiam, quòd vbicunque ſtat, cum motus ille ſit omnium muſculorum, qui tonicus à Galeno *appellatur, plurimam fieri ſpirituum exolutionem neceſſe eſt: propterea mira etiam imbecillitas totius corporis conſequitur, ingenſque dorſi dolor. Muſculi enim, qui in ea parte ſunt præcipuè laborauerũt, & ideo ſentiunt veluti confractionem, & laſſitudinem: vbi etiam ſederit, ſi difficilis eſt exurrectio, ad quã cauſam meliùs poteſt referri, quàm ad ſpirituum paucitatem? Denique illud ita eſſe manifeſtiſſimè arguitur, quòd poſt quemcunque ingentem motum præcipuè ſiniſtri brachij, dolor ad cor accedere videtur: quod quidem nihil aliud eſſe crediderim, quàm quoddam veluti proœmium lipothymiæ, ſcilicet, ex ſpirituum multa diſſolutione. Quòd autem à labore ſequatur do-*

lor vehementiſſimus, incipiens ab ore ventriculi, terminans in vterũ, cauſam eſſe crediderim, quòd in eo labore calor in magna atteria, & vena deſcendentibus ferueat, & in eo feruore humores crudi attenuētur, & per ramos eorundem vaſorum deriuentur ad vterum, qui poſtea flatuati dolorem tanquam punctura excitent, ſedatur poſtea flatu cum murmure emiſſo ob compreſſionem viarum. Cur autem frequentiſſimè infeſtetur oculi ſiniſtri pulſu, ophthalmiáque laboret (illud enim pati crediderim cùm intumeſcat, ac ſanguine repleatur) & cur eiuſdem ſiniſtræ partis facies vehementer incaleſcat, inquiſitione dignũ eſt. Id autē fieri crediderim, quoniã vbi dolor, &, imbecillitas eas partes occupauerit calidus ſanguis, & vaporoſus illuc recurrit, remouēdi incommodi cauſa. Eſt enim (vt aiebat Hip.) omnium partium corporis mutua quædam conuenientia, vt ſuapte natura altera alteri ſuccurat, & ſecundum omnes affectus conſentiant. Si verò etiam pedes intumeſcant, de huius tumoris cauſa non poſſum ita exactè proferre ſermonem, cùm nec tumoris quidem naturam, aut colorem audiuerim. Supereſt tamen mihi dubium non paruum, nunquid ſit œdematicus, an eryſipelatodes. Nam cùm intelligã circa naturalia

optimè

optimè habere, forte humor aliquis calidus, & craſſus ad eas partes decũbit ob hæpatis caliditatẽ: & cùm ille tam frequẽs feruor appareat circa partẽ faciei ſiniſtrã, circa oculum eiuſdem lateris, & ceruicem, ſuſpicionem fecit, ne hæpar ſit calidius. Nouimus *enim, quã facilè vaporibus calidis caput repleri ſoleat, in his qui temperaturam capitis calidam habent.* Sed *quicquid ſit in re non mihi intellecta, neque ab alio explicata, non poſſum certum ferre iudicium.* Tales *ergo, vel non multùm diſsimiles cauſas eſſe crediderim omnium ſymptomatum, quibus nobiliſsima matrona afficitur: non tamen adeo ſum pertinax, vt ita eſſe omnino contendam. Caſus enim meo iudicio admodùm difficilis eſt, qui non tam facilè à quolibet etiam peritiſsimo medico ſit iudicãdus, præcipuè in corpore, quod nunquàm viderit, neque curauerit, neque ab aliquo medico præſente fuerit exaratus, aut manu ductus ad cauſas indagandas.* His *ergo ita ſe habentibus, ſuppoſita recta victus ratione, quam credo diligẽtiſsimè eſſe præſtandam à peritiſsimis medicis, ego in hoc genere curationis oculũ ad illud præcipuè haberem, vt nec cibus, nec potus, nec aliquid extrinſecùs occurrens exceſſum in aliqua qualitate haberet, ſed omnia eſſent*

quàmmaximè temperata: idémque de quantitate oblatorum prorſus cenſeo. Subſtantiam tamen cibi, & potus talem eligerem, quæ eſſet optimi alimenti, & facillimæ concoctionis, & diſtributionis: vellémque, vt in hac re præcipuè ſtudium collocaretur, quod quidem omnibus diuturnis morbis videtur eſſe commune. Quantum verò ad medicationem attinet, optarē, vt aſsiduè vteretur aliquo leui medicamento, quod vim leniendi haberet, ventriculúmque & inteſtina expurgandi, qualia duo eſſent præcipua, vel caſia, vel rhabarbarum, vel vtrumque ſimul confectum. Nam abſque facultatum, & ſpirituum detrimento corpus totum hoc conſilio mundum ſeruaretur, ſanguíſque purior redderetur, vnde & alimenti, & ſpirituum copioſa generatio bene ſuccederet. Si ergo ter, vel etiam quater in menſe ſumeret vnciam floris caſsiæ cum ſemidrachma rhabarbari, credo bene conſultum fore. Quòd ſi fortè caſſia, vt multis mulieribus contingit, flatus, & tormina excitaret, exhiberem drahmam rhabarbari, cum vncia ſaccari roſacei, vel vnc. tres, aut quatuor ſyrupi roſati ſolutiui: talia enim in purgando hoc corpore excedere non auderem. Pro capite verò, ventriculo, ac corde roborandis darem etiam nonnunquam,

præcipuè

præcipuè vbi aër eſſet magis temperatus, ſcrupulos duos, vel etiam drachmam optimi Mytridatici adiecta ſemiũcia ſacchari roſacei. Laudo etiam, ſi matutinis horis mandet, aut, vt vulgò dicitur pro maſticatorio vtetur maſtiche, aut garyophillo, aut nuce muſcata cõfecta. Caput enim corroborabit, pituitámq; educet. Illinire etiã ſæpe trementia loca ex aliquo oleo odorato calefaciente, ac reſoluente, non parum vtile exiſtimauerim: qualia ſunt, quæ à pigmentariis venduntur, de Styrace, garyophyllo, iaſpis, & huiuſmodi. Quòd ſi conſueuerit caput abluere, omittendum non puto, ſed lixiuio dulci, in quo maiorana, ſtœchas, chamæmelum, & anethum decoquetur. A fortioribus autem quibuſcunque remediis in hoc morbi genere, & ab huiuſmodi cauſis generato, & in hac ætate maximè abſtinendũ putauerim. Credo enim ex his vel ſimilibus, ſi curari poteſt, eſſe curandam: ſi non poteſt, quod magis ſuſpicor, ſaltem eſſe præſeruandam. Ad laudem Dei omnipotentis.

PRO CIVE FERRARIenſi, Conſilium octauum.

QVando aliquis pituita, & ſucco melancholico ſuapte natura redundat, nõ

video propter aliquam aliam cauſam eſſe poſſe, niſi quia ventriculum habeat frigidiorem, hæpar verò calidius. Ita enim pituita in ventriculo plùs æquo multiplicatur, ſicut in hæpate ſanguis redditur craſsior, & ſuprà quàm oportet exoctus. Quòd ſi etiam caput excrementoſum, frigidum, muccoſúmque fuerit, non facilè euitabit hic homo morbos, qui vel à malãcholico ſucco, vel longè magis à pituita generari ſolent, præcipuè ſi incongrua victus ratio acceſſerit, & aëris intemperies. Cùm ergo hæc omnia de hoc nobiliſſimo viro enarrentur, haud ab re eſſe videtur, ſi tumor ille laxus, & œdematicus vtrũque pedem vexet, æſtate præcipue, ita tamẽ, vt non ſit abſque aliqua caliditate, modicóque rubore. Multitudo enim pituitæ per venas diſtributa, & plùs æquo multiplicata tandem expellitur vigore facultatis expultricis, & ſicut eſt grauis, & ponderoſa, potiùs ad infimas partes declinat: æſtatéque id præcipuè contingit. Nam præterquàm, quòd in æſtate plùs delinquit, tum copia potus frigidioris, tum fructuũ, crudorùmq; olerũ, & verũ frigidarum aſſiduo vſu, tum quia nudo ventriculo frigidus aër, & humidus quàm maximè exquiritur. Sũt etiam

meatus,

meatus, & vaſa magis laxa, & amplæ, humoréſque defluentes ſubtiliores: hyeme omnia contraria eueniunt. Non *mirum ergo eſt ſi æſtate pedes intumeſcant, hyeme exiccentur.* Sed *quòd nonnihil caliditatis, & ruboris ad œdematicum tumorem accedat, non abſonum eſt: nam & hæpar calidum nonnihil tranſmittit ſubtilioris ſanguinis pituitæ permixti, quam rem etiam adiuuat calor æſtatis.* Eandem *videtur habere rationem, cur cùm decumbit, aut quieſcit, tumor non accedit, & qui acceſſerit remittatur.* Ex *motu enim conſtat humores agitari, attenuari, & moueri, in quiete verò ſiſti, neque in pronum deſcendere.* Hæc *de cauſis affectus à me auditi.* Curatio *igitur dirigenda videtur contra proximas cauſas ſymptomatum: ergo qui generati ſunt humores, euacuandi, & auertendi: deinde prohibendum, ne generentur.* Quod *duplicem ſcopum habet.* Primus *eſt, vt rectiſſima victus ratio adhibeatur.* Secundus *eſt, vt membra corroborentur, ad contrarios habitus deducendo.* Quantùm *igitur ad rectam victus rationẽ attinet, conſtat à calore aëris, quã maximè cuſtodiri oportere experientia enim enim cõprobat ſub calidiore tãtùm aëre*

pedes tamefieri. Et nõ diſsimili ratione ab ira quoq; & vehemẽtibus tũ corporis tũ animi moribus abſtinere oportet, cùm experiatur agitatione, & motu eoſdem tumores excitari. Conſulo igitur, vt ſuperiores potiùs partes exerceat, vt ſagittando lapidem, aut palum ferreum iaculando, prout illi magis gratum aut viribus magis commodum, vel magis conſuetum fuerit. Earum quoque partium ſuperiorum quotidianas frictiones, præcipuè æſtatis tempore faciendas conſulerem. Ita enim auerteretur materia, quæ ad pedes decumbit. Quòd ſi æſtatis tempore aërem Ferrarienſem mutare poſsit, & ad ſubtiliorem, ſicciorémque accedere, qualis eſſet Bononienſis, non parum crederem profuturum. Quòd autem debeat eſſe parcior potus vini ſubrubri, & bene maturi, ne nimius humor redundet, etiam me tacente facilè cogitatu eſſe arbitror, ſicut etiam quòd cibi ſint offerendi optimi alimenti, & paucarum ſuperfluitatum. Particularem verò materiam ſingulorum nimis ineptè hoc loco aggregandam cenſeo, cùm ſemper magnificus iſte vir prope clariſsimos medicos ſit moraturus. Hac igitur victus ratione prohibetur generatio excrementorum. Quantùm verò ad euacuationem eorum, qui iam fuerint generati, laudo

do

do primò, vt vere purgetur: & ſi in tumore illo pedum ſanguinis aliquod dominium appareat, ſicut ſuſpicari poſſumus ex intellecta rubedine & caliditate, etiã aliquid ſanguinis eſt detrahendum. Facile enim ex hac annua purgatione abſcindetur materia, quæ æſtatis tempore ad pedes ſolet decũbere. In aliis verò temporibus ad purgationem habeat aliquod familiare, quod facilè educat, & leniat aluum, vt corpus minimè excrementoſum ſeruetur: eritque hoc præcipuè neceſſarium, ſi fortè aluum adſtrictam habuerit. Darem igitur vel Hieræ ſimplicis Gal. de ſex rebus ſcrupulum, vel ſcrup. duos prout aluus magis vel minus obediet. Hieram intelligo ipſas ſpecies in pilularũ formam redactas, vel rhabarbarum cum ſaccharo roſaceo, quod mihi magis placeret tempore æſtatis. Nec diſplicet vſus frequens terebinthinæ cypriæ ad hãc eandem commoditatem præſtandam. Quantum verò ad membrorum, tum mandantium, tum recipientium corroborationem attinet, pro ventriculo quidem, & hæpate, illius eiuſdem hieræ, & rhabarbari vſus non tantùm leniet aluum, ſed etiam roborabit ea mẽbra naturalia. Pedes verò, qui recipiunt excrementa ad medium veris per totam æſtatẽ, alternis ſaltem diebus abluendos putauerim

decoctione roſarum, ſaluiæ, nucum cupreſsi, raſuræ tabularum cupreſsi, chamæmeli, aliqua etiam ſalis portiuncula adiecta, ita, vt lotio fieret horis matutinis, videlicet, ante prandium. Neque malum putauerim ſi poſt lotionem partes ablutas inunxerit aliquo oleo de citoneis, vel de baccis mirthi. Et hæc ſi modò rectè ſeruata fuerint, fortè ſufficient ad curationem, & præſeruationem huius nobiliſsimi viri.

PRO HONASIO VNGARO, *conſilium nonum.*

CVratio, quæ in tota hac hyeme eſt faciẽda ab eius D. modò infrà ſcribetur. Primò omni diligẽtia conabitur eius illuſtriſsima D. habere rectam rationẽ victus, ſine qua ſanitas acquiri non poteſt. Cauebit igitur quàm maximè ab aëre frigido, & vẽtoſo: & exercebit corpus ſuũ manè, & ſerò ante cibũ, ſaltẽ per horã, exercitio mediocri, vel deãbulãdo, vel equitando, vel alio motu ſe mouẽdo, donec totum corpus calefiat notabiliter, & maiorẽ faciat anhelitũ: poſt ea quieſcat circa horam ſaltem dimidiã: deinde

ſumat cibum, qui quidem ſit in quantitate quantùm eius D. bene ferat ſeruata ſua conſuetudine, & natura. Sed ſit ille cibus vnicus, & ſimplex: multitudo enim epularũ deſtruit vires ventriculi, malóſque, & putridos humores in toto corpore generat. Vinum eliga album, vel rubeum, clarum, quod ſit purgatiſſimum, limpidum, & tranſparens, non dulce, neque acidum, ſed medij ſaporis, quod bibat temperatè. Et ante omnia caueat ne inter cœnam, & prandium bibat: hoc enim illi maximè nocet. Carnes, quas comedet, erunt vitellinæ, hœdinæ, cuniculorum, gallinarum, caponum, perdicum, & auium campeſtrium. A carnibus antiquis, vt eſt bubula, omnino abſtinebit, & à carne porcina ſiue recens, ſiue ſalita fuerit. Item abſtinebit ab omni genere piſcium, à paſtilibus, à lacticiniis, & præcipuè à caſeo. Sit contentus prandio tantùm, & cœna: nil vltra comedat ſiue noctu, ſiue interdiu. Quotidie curet habere beneficium alui: quod ſi defecerit, & raró feces emiſerit, vtatur aloë non lota, vna hora ante cœnam pondere ſcrup. duorum tertio quoque die, in forma pilularum. Ab vſu veneris abſtineat: eſt enim ægritudini eius quàm maximè aduerſus. Hac ratione victus adhibita exactè ſingulis ſeptimanis

caput abluet circa horas veſpertinas more infraſcripto. Fiat lixiuium ſatis acre ex cinere forti, & in eo lixiuio decoquantur folia maioranæ, ſtœchados, roſarum, radicis aſari: & facta decoctione, & expreſſione dictarũ herbarum poſtea accipiatur quantitas lixiuij quæ eſt neceſſaria pro vna ablutione: & in ea imponantur drachmæ duæ agarici inciſi, & inuoluti in panno lineo, & bulliat aliquot ebullitionibus, poſtea fiat fortis expreſſio, & colatura. Et ex hoc lixiuio lauet caput, & barbam cum ſapone odorifero, & muſcato. Item ſingulis diebus in introitu lecti vngat omnes vertebras colli in ea regione, quæ dicitur nucha, & declinet cum eadem vnctione ad totam ſpatulam dextram, & brachiũ. Vnctio erit infrà ſcripta, & adhibebitur hæc vnctio calefacta. Accipe olei vulpini antiqui, nardini, de coſto an. vnciã, de euphorbio ſemiunciam: miſce, & vtere, prout dictum eſt ſuperius. Item ſingulis diebus comedat vna hora ante prandium rotulas duas ex confectione infraſcripta. Accipe garyophillorum optimorum, nucis muſcatæ, cinnamomi an. ſcrupu. quatuor, zedoariæ, zinziberis an. ſemiunciam, piperis longi albi an. ſcrupulum: puluerizentur omnia per ſe, deinde miſceãtur cum ſaccharo albo, & aqua be-

tonicæ

tonicæ: fiat confectio in rotulis pondere drachmarum, de quibus ſingulis vicibus duas accipiat, prout dictum eſt. Item accipe agarici electi ſemiunciam: aloes drachmas duas, nucis muſcatæ, cinnamomi, garyophyllorum an. drachmam: pulueriżentur omnia per ſe, deinde miſceantur, & cum ſyrupo de ſtœchados fiat magdaleon de quo ſingulis vicibus formentur pilulæ pondere drachmæ vnius ſumendæ in aurora, in ſeptimana ſemel; & eo die cuſtodiat ſe ab aere, & ab omni motu corporis, aut animi. His ita peractis accedet, Deo adiuuante, ver, in quo fortaſſe cum diuino auxilio ſe ſanū percipiet. Sin minus eadem diuina fauēte gratia aggrediemur perfectam curationem, quam polliciti ſumus, ad laudem Dei omnipotentis, qui viuit, ac regnat per infinita ſæcula ſæculorum, &c.

PRO ADOLESCENTE filio medici, conſilium decimum.

Non ab re excellentia tua onus iſtud grauiſſimum vix ſubeundum putat, curandi huius nobiliſſimi adoleſcentis, tanquam illius diuini præcepti me-

mor: Caue ne malarum ægritudinum curam ſuſcipiens mali medici nomen adipiſcaris. Præterquàm enim quòd difficillimis quàmplurimis, & inter ſe etiam diſcrepantibus morbis infeſtatur, adeo conſumptus eſt, & labefactatus, tamque virium imbecillium, vt penè nulla omnino via relinquatur, qua etiam medicus audaciſsimus aggredi velit prouinciam tam difficilem. Nihilominus, vt tibi viro amiciſsimo, & doctiſsimo morem geram, in re tam ardua tanquam Iphiclus hærenti ſine adminiculo dicam, quod faciendum iudicarem. Quum ergo adoleſcens iſte nobiliſsimus ſimul deſtillatione catarrhi ad partes ſubiectas laboret, alui fluore penè dyſenterico, aſsiduo vomitu, rugitibus, & torminibus ventris, febre fortè aſsidua, inſigni totius corporis tabe: ego tentandum cenſerem primò, vt fluor alui ſiſteretur, vomitus ſedaretur, & ventriculo robur adderetur, vt corpus nutriri incipiens redderetur validius, nóſque ſimul aptiores redderet ad reliquos affectus tollendos. Quod ſicut fieri poſſe dubito, ita iam faciendum eſſe neceſſarium duco. Et quoniam ab excrementis biliofis tam per vomitum, quàm per ſeceſſum maxima copia redditis indicamus

*camus eſſe hîc maximam hæpatis calidita-
tem, cuius ratione fortè ex plurima bile aſsi-
duè generata, & ad ventriculum, inteſtiná-
que erumpẽte perſeuerat alui fluor, vomitus,
inappetentia, & ſitis.* Ad *hæpar igitur accede
rem curaturus tanquam ad omnem malorũ
fontem, quod quum calidum ſit refrigeratio-
ne proculdubiò indiget: quúmque eius tonus
ſit valde remiſſus, leui etiam adſtrictione ro-
borandum indico: & vt hæc fiant, aliquò ex-
quiſito, potenti, & parato remedio indiget.*
N*ibil igitur ad hæc omnia peragenda præſtã
tius occurrit, quàm potus thermarum Calde-
rianarum.* In *illis enim propter plurimam fer
ri materiam magna vis eſt refrigerandi, &
adſtringendi: nec tãtùm id præſtat, ſed & va-
lidiſsimè præſtat.* Et *quoniam, ſicut* Hippo-
*crates dicit, maximis morbis maxima, & ex
quiſita remedia adhibenda ſunt: ſicut etiam*
Galenus *teſtatur in quinto* Methodi: *in ma-
gno morbo à leuioribus incipere nihil aliud
eſt, niſi parare ægro longum interitum.* Ideo
*hanc præcipuè æſtatis occaſionem nactus
quàmcitiſsimè ad hoc auxiliũ accedat, priuſ-
quàm vires huius corporis, alioqui ita affe-
ctæ ad extremum debilitentur: & ſi ſuſpica-
tio aliqua occurreret, ne inde ventriculus
aquarũ frigiditate læderetur, facile huicquo-*

que incommodo occurrere poſſemus illinentes eam ventriculi partem, quam refrigerãdam timemus, cum oleo, quod vim habeat calefaciendi ſimul & corroborandi, ſicut præcipuè oleum eſt odoratum ex garyophillis, quod à pigmentariis confici ſolet, addita maſtiche, & modico ceræ. In ratione autem victus, quum occurrat magna dubitatio, nunquid huic iuueni vinum competat (virium enim imbecillitas, ac ventriculi frigiditas vinum potius expoſcere videntur) at illa inſignis hepatis caliditas, febris, & diſtillatio omnino contrarium poſtulant. Crederem in hoc caſu dum tantiſper hepar refrigeretur, cui maximè, vt paulò ſupra dixi, inſiſtendum eſt, tutius eſſe, ſi omnino à vino abſtineret, vtereturque vel iure leui pulli iunioris, quod vulgo aquam pulli medici appellant, vel etiam hordei decocto in optima, & tenuiſsima aqua, quæ facilè diſtribuatur, & tranſeat hypocondria: cui ſiquid etiam adderetur, quod ventriculo conſuleret, moderatæ caliditatis, non etiam diſpliceret, & hoc eſſet quale eſt cotoneum cum ſaccharo conditum, ſi eius fruſtum ſimul cum aqua, & hordeo decoqueretur. Fieret enim potus iocundus, ventriculum roborans, & cotoneum ex condimento, & ſaccharo patet aliquid remiſſæ caliditatis

tatis acquiſiuiſſe. Ergo huiuſmodi potus, præter hoc, quòd hæpar refrigerabit, non etiam ventriculo nocebit. Hoc *vellem, clariſsime* Doctor *tentare potiùs, antequàm ad aliquam aliam curationem accederem. Quòd ſi excellentiæ quoque tuæ idem videbitur, nihil vltrà morandum indicauerim, quin ad opus accedatur.* Si *verò contrà ſenſerit, idq́; ad me ſcribere dignetur, enitar ſedulò, vt aliud proponam, quod magis excellentiæ tuæ ſatis fecerit, cui plurimum me commendo. Erit etiam mihi gratiſsimùm audire ſucceſſum curationis filij tui ſuauiſsimi, & quidnam proficiant remedia, quæ ſimul conuenimus eſſe facienda.* Oro *igitur, vt me quoque admoneas.* Nam *de eo æquè, ac de filio meo audire cupio, quod bene ſuccedat.* Vale.

PRO FRANCISCO VARGO *regis* Hyſpaniæ *conſiliario, &* Fiſcali *ac* Concilio *tridentino patrono deſtinato,* Conſilium *vndecimum.*

O*Mnia ſymptomata, vel accidentia, de quibus conqueritur illuſtriſſimus* Do*minus iudicio meo, ad duas intrinſe-*

eas cauſas ſunt redigenda, quæ tamen cauſæ fomentum, incrementúmque à cauſis extrinſecis nactæ ſunt, & continuè nanciſcuntur. Interiores ergo cauſæ ſunt ventriculi frigiditas maior, quàm expedit, & exceſſus caliditatis in hæpate, & renibus, & toto ambitu venarum. Ex his duabus cauſis efficitur, vt prima concoctio ſit diminuta, & pituita quantitate, & qualitate excedens dominetur, colligatúrque in ventriculo, & ſubinde diſtribuatur primò ad venas meſaraicas, & hæpar, ibíque plures, variáſque efficiat obſtructiones. Exceſſus autẽ caliditatis in hæpate, & amplitudo vaſorum, quæ neceſſariò talem tẽperaturam cõſequitur, multiplicat ſanguinẽ, bilemq; aduſtam: ac præterea pituitæ partẽ diſtributã craſſiorem, calidioremq; reddit. Quum igitur maſſa ſanguinis expurgatur, attrahitúrque ſeroſa humiditas ad renes, promptè ſimul excernũtur ex occaſione amplitudinis venarũ, reliquæ quoq; ſuperfluitates pituitoſæ, & aduſtæ: dúmque in renum anguſtiis immorantur, vlteriùs aduruntur, vnde & calculi renum, harenæq; plurimæ generantur, quæ poſtea per vrinarios meatus ad veſicam delatæ, & confertim ad ipſius ceruicem infarctæ ita occludunt meatum, alioqui anguſtum, vt interim

terim vrina prorſus retineatur tandiu, quãdiu plurimæ vrinæ copia impetu facto erũpat. Sed antequam erumpat, dolor circa illas partes excitatur ex harenularum aſperitate, & acrimonia, dolórque ille maior, aut minor efficitur, prout etiam excrementa illa retenta quantitate plura, aut qualitate acriora fuerint, vel pauciora, & mitiora. Pituita autem in ventriculo collecta, & occluſa in venis meſaraicis, dum intumeſcit, & in ſpiritus flatuoſos vertitur, à calore agitata varios affectus producit. Nam vbi ſpiritus intra tunicas, cùm ventriculi, tum inteſtinorum recluditur, dolores excitat, vel cholicos, vel cœliacos, prout vel ventriculum, vel inteſtina occupauerit: pars verò eiuſdem ſpiritus, quæ repente, & confertim traducta per hepar ad renes detruditur, dolores efficit nephriticos modò in dextro, modò in ſiniſtro rene, frequentiùs tamen in ſiniſtro, quoniam pars illa imbecillior eſt. Qui vbi amplior, maiórque efficitur, communicatur etiam, & protenditur vſq; ad ſpatulam, humeróſque eiuſdem lateris obſeruata rectitudine tranſitus, ſiue neruos ibi exiſtentes, ſiue venas, aut arterias, aut etiam iſta omnia ſimul occupauerit. Vbi verò ſpiritus ille, & vapor ad ſuperiores partes confertim re-

truditur, ſuffocationes efficit maiores, vel minores, prout maior, vel minor copia vaporum fuerit. Quòd autem huius ſuffocationis cauſa ad dictos vapores ſit referenda, præter alias rationes hoc maximè iudicio comprobatur: quoniã ſicut velociſſimè inuadit ita etiã velociſſimè reſoluitur: quod quidẽ eſt flatuoſæ materiæ proprium, nõ corpulentæ, & craſſæ. Cui etiã rei adſtipulatur primò illius ſuffocationis origo, quæ inuaſit à comeſtione lactic iniorum, & vini diluti cum oliuis, quæ omnia proculdubiò ſpumoſa admodum, flatulentáque ſunt cibaria. Neque ratio aliunde petenda eſt podagrici[s] doloris dextri pedis pollicem occupantis, quàm ab illis prioribus duabus cauſis, frigiditate, ſcilicet, ventriculi pituitam generante, & caliditate hæpatis, & ex quo viæ, & meatus ampli progrediuntur, per quos commode poſſit tranſire materia. Conſentaneum autem rationi eſt, vt craßior quidem humor deorſum ad pedes deſcendat, leuior autem, & flatuoſior ſuperiores magis partes appetat. Quòd autem magis occupat pedem dextrum, quàm ſiniſtrũ cauſa eſt, quoniam ab hæpate per venas talis deſcẽdit materia: vnde ſeruata rectitudine, quæ naturæ familiariſſima eſt, dextram potius partẽ, quàm ſiniſtrã inuadit. Hæ ſunt

cauſæ

cauſæ intrinſecæ omniũ iſtorũ ſymptomatũ, quæ morbi Illuſtriſsimo domino appellantur numero octo, videlicet, vrinæ quædam ſuppreſsio, & ardor: Secundò ſuffocatio nocturno tempore à primo ſomno repentè occupans: tertiò dolor renis præcipuè ſiniſtri: quartò dolor ſpatulæ ſiniſtræ: quintò dolor ventriculi: ſextò ventoſitas & oppilatio, vt ipſe vocat, quæ videtur permanere in fundo ventriculi, & inteſtino colo: ſeptimò continua ſtomachi imbecillitas: octauò dolor podagricus remiſſus in pollice pedis dextri. Iſtæ autem duæ cauſæ, quas intrinſecas diximus plurimùm adiuuantur, & fouentur à cauſis extrinſecis malè applicatis, vt aëre, cibo, & potu, exercitio incongruo, venere, & reliquis aliis cognitis. Vtrũ autem frigiditas ventriculi, quam prediximus, & hæpatis caliditas fuerint dominationi eius cognati, & naturales affectus, an aduentitij? De hæpate quidẽ facilè dixerim caliditatem eſſe cognatam: de ventriculo autem non ita conſtat. Potuit enim facilè, tum propter vehementia ſtudia literarum, tum propter venerem, aut propter alias immodicas mutationes, quæ frequentiſsimè in humana vita cõtingunt, præcipuè, quæ libera nõ eſt, ſed negotiis, rebúſque agendis addicta, ad talem intemperiem

reduci. Hæc igitur dicta ſunt de cauſis illorum omnium ſymptomatum tam intrinſecùs, quàm extrinſecùs. Supereſt, vt nunc de præſeruatione futurorum agatur, & de curatione præſentium. Et quoniam, vt ſententia Galeni eſt, iiſdem ferè remediis præſentem morbum curamus, quibus à futuro præſeruamus: Ideo maxima ex parte, quæ de præſeruatione dicẽtur, ad curationẽ transferri poterunt. Fiet petiſſimè præſeruatio cũ his, quæ innatum calorem cõſeruant, quo totum animal gubernatur. Neque enim excedere poteſt in eo corpore, vbi calor naturalis dominatur alicuius membri, vel calidi, vel frigidi exceſſus. Calor innatus conſeruabitur, ſi recta ratio in ſex rebus extrinſecùs occurrentibus obſeruabitur. Primò igitur cauebit illuſtriſſima eius dominatio ab omni aëris exceſſu, ſiue calido, ſiue frigido. Frigidus intemperiem ventriculi, & cerebri augebit: Calidus hæpatis, renum, ac venarum. Et eadem omnino ratio eſt de cibis, ſeu calidis, ſeu frigidis. Labores verò, atq; animi accidentia ſi moderata fuerint, calorem naturalẽ excitabunt, cõcoctiones, diſtributionéſque adiuuabunt: Si deficient torpidũ, frigidumq; corpus totum efficient: Si exuperabunt, primò quidem calor igneus excitabitur, & naturalis diminuetur:

nuetur: poſtea verò vbi maior fuerit exuperãtia, calor etiam igneus reſoluetur, & torpida ſuccedet frigiditas. Ergo in omnibus exceſſus eſt euitãdus. A ſomno meridiano quàm maximè cauere oportet. Inde namque caput repletur, & deſtillationes excitantur: vnde poſtea illuſtriſſimi Domini affectus feueri, adaugerique poſſint. Egeſtiones alui quàmmaximè ſunt procurandæ. Inde enim auerſio ad contrarias partes, ac præterea euacuatio excrementorum paratur. Ad hanc lenitionem ſummè probauerim frequentem vſum hieræ ſimplicis Galeni de ſex rebus. Nam ex hac ventriculus corroborabitur, obſtructiones aperientur, hæpar euentabitur, & excrementa ſimul auertentur, & per inferiora ducentur: quæ omnia in hoc corpore à nobis, quàm maximè ſunt expetenda. Erit vſus hieræ, vt accipiatur in catapotij formam redacta hora ante cœnam bis in ſeptimana. Sed & aſſumptio terebinthinæ, vel larignæ lotæ totidem quidem vicibus deglutita, ſed horis ſumendi immutatis. Manè enim aſſumi ſolet tribus horis ante prandium. Aſſumendi quantitas circiter drachmas duas. Hæc in aliis quidem non inferior hiera, in ventriculo tamen corroborando longè imbecillior. Quantũ verò ad nutrimentorum ſubſtãtiam

attinet, etiam me tacente intelligendum arbitror, vt cibos potúſq; eligat optimi ſucci, nõ facilè corruptibiles, & qui citiſſimè concoquantur, diſtribuantúrq;. Tales ſunt carnes hœdorum, caſtratorum iuuenũ, vitulorũ lactantium, pullorum, atq; auium cãpeſtriũ iuniorũ, quales perdices ſunt, phaſiani, & paſſerculorum omnia montana genera, turdi: etiam vicedulæ, & columbacei pulli non ſunt aſpernandi. A piſcibus cauendũ cõſulo, à lacticiniis, à paſtillibus, à leguminibus, à carnibus antiquis, & ſalitis. Ab ouis vel duris, vel antiquis, vel ſartagine decoctis, ab acetariis crudis abhorreat, ſed præcipue à ciborum varietate: imò vnico cibo contentus ſit. Cruditatem etiam effugiat: nihil enim illa peſtilentius. A Germanicis cõmeſſationibus, & cõpotationibus quàm maximè abſtineat. Vinum verò eligat paruum, ſubtile, lucidũ, colore mediocre inter album, & nigrum: minimè acerbum, ſed neque dulce: medij enim ſaporis, coloris, & potẽtiæ eſſe oportet, quod etiã parcè bibat: & inter prandiũ, & cœnam à quocunque potu omnino abſtinebit. Vbi hæc rite peregerit, ſciat maximam partem ſuæ non tantum præſeruationis, ſed etiam curationis, tranſegiſſe. Quantum vero attinet ad pharmaciam, ſuademus illuſtrem eius domina-

dominationem bis ſingulis annis purgari, vere, inquam, & autumno. Purgationem veris ita faciendam ſtatuerem circa 15. diem Martij non impediente Lunæ coniunctione, triduóque antè præparato ventriculo cū tenuiori victus ratione, manè ſumat tribus horis antè prandium leue pharmacum ita habens. Accipe floris caſsiæ vnciam, ſpecierum hieræ ſimplicis drach. duas, cū ſaccaro fiat bolus. Sequenti die ſyrupum aſſumat ita habentem: Accipe ſyrupi de abſinthio, de cicorea Nicoli cum rhabarbaro an. vnciam, decoctionis liquiritiæ, ſaluiæ, & betonicæ vnc. quatuor: miſce pro ſyrupo vno, & ſic pro ſeptem. Deinde accipe confectionis hamech drach. quatuor, ſyrupi roſati ſolutiui vncias tres, cum aqua betonicæ fiat potio. Sumat in aurora cum cuſtodia, die immediatè ſequenti ſyrupum ſeptimū: poſtridiè verò accipiat ſaccari roſati ſemiunciam, hora ante cibum manè, & ſerò: ita perſeueret per dies quindecim. In hac tamē purgatione veris laudarem, vt ſanguinem mitteret à vena hæpatis ad vncias octo, vel decem. Autumno autem eandem prorſus euacuationem repeteret, ſanguinis tamen miſsionem omitteret. In reliquis anni temporibus vitet illas euacuationes. Vtatur illuſtriſsima eius dominatio bis

in mẽſe, aut ter ad ſummũ, ad præſeruationẽ, pilulis, quæ ita habẽt. Accipe *myrobalanorũ citrinorũ, roſarũ rubearũ, garyophillorũ, nucis muſcatæ an. ſcrup. quatuor, aloës electæ, rhabarbari an. drach. ſex, puluerizentur omnia per ſe, deinde miſceantur, poſtea aſpergantur ſucco roſarũ puro: poſtea permittantur exiccari, & ita iteretur ſæpius.* Deinde *cũ melle roſacco fiat magdaleon, de quo ſingulis vicibus fiant pilulæ tres pondere vnius drachmæ ſumendæ hora ante cœnam.* Laudo *præterea vt itidem bis in menſe ſumat quatuor horis ante prandium optimi* Mithridatici *in bolum redacti, vel in pilularum formã ſcrup. duos, & ſuperbibat tantum vini aromatici, quãtum caperent cochlearia duo.* Ventriculum *quidem muniri ſuaderem pannis lineis duplicibus, & triplicibus, quantùm ſufficeret ad calorem optimè retinendum, atque ſeruandum: qui quidem panni linei quàmmaximè puri, & ab omni ſorditie liberi ſeruarentur.* Apponere *verò cerota ſiue ex maleica, ſiue ex quacunque alia materia ad vſum continuum, ego prorſus non laudarem, quicquid alij velint dicere.* Exurgunt *enim talia omnia longo vſu naturalem humorem, ita vt tandem refrigeretur ventriculus.* Nam *de gutture vulturum, pellibus leporum, & alijs hu-*

huiuſmodi nihil aliud dixerim, niſi eſſe apertiſſima impoſtorum commẽta, quibus ignorantiã propriã velare nituntur. Quantum attinet ad emplaſtrũ diachilon, laudarem quidem, ſi diſcutiendus eſſet tumor, vel abſceſſus maturandus. Sed in caſu noſtro de renibus propoſito optarem, vt tantùm eſſet ſuperuacaneum, neq; aliud incõmodum nobis faceſſeret. Saccharũ modicè ſumptum, ego quidem non improbauerim. Vinum ibi dilui oportebit aqua fontana, ſed quæ maximè tenuis ſit, & nullius qualitatis particeps. Vbi iſta nõ habeatur, copiáque affuerit aquæ recenter deſtillatæ limpidæ, & puræ, minimè putridæ, laudarem quod ex betonica, vel abſynthio, vel ſaluia ſublimaretur. Aquam ligni Indici, vbi corpus exquiſitiſſimè purgatum eſſet (hoc enim eſt admodùm neceſſarium) verno tempore aſſumendam conſulerem, quoniam mirum in modum ventriculum corroborat, inteſtina, & renes. Quòd ſi fortè præceſſiſſet etiam ſuſpicio aliqua morbi alicuius ad nos non relati, tunc omnibus modis hanc decoctionem profuturam iudicauerim. Admoueri igni & ex lignis præcipuè mitioribus, quales ſalices ſunt, & vites hyberno tempore maximè laudo. Nihil enim frigore in hac præcipuè ætate, & ad hos morbos deteſta-

bilius puto. Exercitium *tunc obeundum eſt, quando exquiſitiſſima facta eſt concoctio in hæpate, & venis, quod quidem præcipuè habemus matutinis horis:* Sit *autem exercitij terminus mutatio anhelitus manifeſta.* Placet *autē, vt ſuperiores magis partes exerceantur, quàm inferiores.* Equum *inſidere tūc optimū eſt, quum renes, & totum corpus fuerit expurgatum: Alijs temporibus non omnino tuta equitatio eſt.* A *cœna & prandio negotijs tutò non vacabitur, niſi vbi ventriculi concoctio exactè perfecta fuerit.* Id *fieri non poteſt, etiam in validioribus, niſi poſt quatuor horas à cibo.* A *cœna ſomnum capiendū conſulo duabus horis peractis, ita vt interim illuſtris eius* Dominatio *ſuauiter deambulet, aut ſtet, neque ſedeat.* Caput *manè fricare tum pectine, tum ſpongia, dummodò ſub tepido aëre, & minimè frigido id fiat, meo iudicio non eſt aſpernandum.* Datum *Patauij* 10. K*al.* N*ouemb.* 1550.

PRO CIVE TARVISI*no,* C*onſilium duodecimum.*

FLuxum *hunc, qui creditur eſſe ſeminis, magis putarem eſſe materierū crudarū: quæ in toto corpore multiplicantur, ſiue propter malam victus rationē, ſiue propter ventriculi*

triculi frigiditatem, in quo frigidi humores multiplicantur, & inde attracti propter hæpatis, & renum caliditatem ad vaſa ſeminaria præcipitantur, quæ vel propter flatus, vel propter nimiũ veneris vſum, vel propter magnos labores, aut equitationes plùs æquò fuerunt dilatata, & relaxata. Aliqua enim harũ cauſarum, vel omnes potuerunt concurrere, quæ cum explicatæ non fuerint, per idoneas cõiecturas à nobis quærendæ ſunt. Quicquid igitur fuerit, hoc vnum conſtat, curationem molliendam eſſe, tum per optimam victus rationem, ne humores plùs æquò aggregentur, tum per auerſionem ad alias partes, tum per membrorum corroborationẽ. Quantum igitur ad primũ attinet, euitabit omnes aëris exceſſus, quantùm fieri poterit, tum caloris, tum frigoris: eliget regionem quàm maximè temperatam, quantùm ab eo poterit fieri: fugiat etiam omnes animi moleſtias, cauebitq́; poſt prandium, vel cœnam, ne laboret tam corpore, quàm animo, ſed quieſcat, leuiter tamen deambulando, vt cibus meliùs in ventriculo ſubſideat. Simplici cibo aſſiduè vtatur fugiendo epularum diuerſitatem, quã nihil magis aduerſum. Eligat carnes laudabiles, pullorum, hædorum, vitulorum, & caſtratorum iuuenum, neque oua recentia vi-

tupero. Cauebit à piſcibus, à lacticinijs, à paſtilibus, à fructibus, ab acetarijs crudis, ab oleribus, & à rebus frixis in ſartagine. Vinũ *eliget pauciferum rubeum, vel ſi hoc defecerit, album, limpidum, non multùm potens, quod parciſsimè bibet: omnéſque euitabit comeſſationes, & compotationes, ſi ſanitatem acquirere cupit: alioquin omnia fruſtra tentabit. Quantum verò attinet ad auerſionem materiæ, & euacuationẽ, primò toto tempore ſuæ aduerſæ valetudinis bis ſingulis annis purgabitur, vere, inquam, & autumno, poteritque purgatio hoc modo perfici. Accipe diacatoliconis vnciam, ſpecierum hieræ ſimplicis drachmam: miſce. f. b. cũ ſaccaro.* Deinde *accipe ſyrupi de mentha, de abſinthio, de endiuia an. ſemi vnc. decoctionis pentaphylli, &* Betonicæ *in brodio macro pulli vncias quatuor: miſce pro vno, ſic pro alijs. Deinde accipe confectionis* Hamech *drach. quatuor, treciſcorum alhandal. grana ſex: miſce. f. b. cum ſacchare dãdus in aurora cum cuſtodia. Vel, accipe pilularum aggregatiuarum ſeſquidrach. fiant pilulæ quinque eodem modo ſumẽdæ: & hæc erit annua purgatio, tam vere, quàm autumno celebrãda.* Deinde *efficaciùs etiam auertẽdo vtetur ter, vel quater in menſe rhabarbaro cũ ſaccharo roſato ſu-*
mens

mens ex eo drachmam cum ſemiúcia ſacchari roſati tribus horis ante prandium. Hæ auerſiones vbi non ſuffecerint, laudo tandẽ, vt fiāt in cruribus vtriſq; remedia à perito chyrurgo, quæ ſunt cauteria. Quantum verò ad corroboratione͂ membrorū attinet, factis omnibus purgationibus, & auerſionibus, & propoſita victus ratione, quam prædiximus, laudo, ut cōgruis tẽporibus circa finem veris, & principiū autumni bibat aquas thermarū, in quibus alumen, & ſulphur dominetur. Partes, & renū, & lumborū iiſdẽ tẽporibus poſt harum aquarum potum illinet vnguento de corticibus çaſtanearū, vel eo quod cum ſandalis conficitur: ventriculum etiam illinet vnguento confecto ex oleo de abſynthio, & maſtichino: quādoque etiam, vt ter vel quater in menſe, primo manè quinq; horis ante prandium ſumat drachmam mithridatici. Summopere enim ad membrorum corroborationem confert. In omnibus autem temporibus à multa equitatione cauebit, & præcipuè in ſellis duris, & in equis, qui tolluntur, ac curſim incedunt, & denique ab omni labore earum partium: quieſcant crura, renes, & dorſum. Et hæc ſi obſeruabit ſpero illi omnia fœliciter ſucceſſura. Ad laudẽ Dei omnipotentis, cuius nomen ſit benedictum.

PRO DVCE MELPHENSI, *Conſilium decimum tertium.*

INtellectis his omnibus, quæ à clariſsimo Doctore diligẽtiſsime explicata ſunt circa diſpoſitiones præter naturam illuſtriſsimi, & excellentiſsimi Principis, & proregis in Italia Regiæ maieſtatis, videtur hæc eſſe ſumma. Patitur primò deſtillationem catarrhi ad partes ſubiectas, quæ interdum difficultatem anhelitus inducit, aſsidua tuſsicula infeſtatur, nonnunquam etiam podagrico dolore afficitur, ac præterea œdemate, & tumore crurum laborat, dolore etiam capitis, & vertigine non parum vexatur. Quæ cùm inter nos diligenter perpenſa, conſideratáque fuerint, coniecimus probabilibus rationibus ducti fontem, primámque originem horum omnium ſymptomatum eſſe imbecillitatem membrorum naturalium ex frigiditate contractam, quæ quidẽ frigiditas exceſsit, tum lõgo ætatis prouectu, tum etiam mala victus ratione in omnibus ſex rebus non naturalibus. Hoc ita eſſe ſatis indicare poteſt tumor ille pedũ œdematicus, & ſanguis aquoſus, qui ex fluxu hemorrhoidis conſpici ſolet. Ea igitur ita exiſtente

intem-

intemperie frigida tum vẽtriculi, tum hæpatis, par eſt omnia conſequi ſymptomata enumerata. Præcipuè *cùm hic accedat quoq; , vt audio, capitis intemperies frigida (plurimi enim vapores crudi tum à ventriculo, tum in toto corporis ambitu ad cerebrum aſcẽdunt) non mirum eſt ſi inde deſtillatio continua generetur, cùm ea materia vaporum ſit perpetua. Sequitur etiam, vt pro raptu materiæ, & catarrhi deſcendentis ſecundum locorum diuerſitatẽ varia ſequantur ſymptomata, tuſſis inquam, anhelitus difficultas, dolores articulares, capitis etiã grauitas, dolor, & vertigines. Quæ cùm ita ſe habeant, habita ætatis ratione iudicamus illuſtriſſimum Principem multa præſeruatione indigere, moréſque ideo illi permutandos eſſe, vt proculdubio lõgè facilius ſit præſeruare, quàm curare: quæ quidem præſeruatio nullo modo à Medico fieri poteſt, niſi Illuſtriſſimus Princeps eodem prorſus ſtudio teneatur. Primò igitur tota victus ratio immutanda eſt, aëriſq; exceſſus omnes ſummopere vitandi, frigidi tamen præcipuè, & humidi. Cauebit flatus omnes tam Auſtri, quàm etiam Boreæ. Fugiat, quantùm fieri poteſt omnes animi moleſtias, atque à cœna, & prandio vacabit animo, & corpore nihil vel intentè ſcribendo, aut cogitando,*

aut dictãdo, vt Principes ſolẽt, ſed molliter deambulabit: neq; dormiet interdiu, niſi in tota ætate fuerit cõſuetus, vel plùs æquo noctu vigilauerit. Si ergo dormiendũ fuerit, ſõnus erit per quàm breuis, & ſi fieri poteſt, nõ decũbat. Procurabit ſingulis diebus vẽter obediat, & ſi natura defuerit, arte ſupplendum eſt. Propterea quammaximè probauerim frequentẽ vſum terebinthinæ cypriæ: nam præterquàm quòd ventrem leniet, conferet etiã catharro, & pectori, neruos, cerebrumq; corroborabit, vrinã prouocabit, quod in ſenibus præcipuè maximè eſt expetẽdum. Si etiam caricis, aut ficubus aridis ex pinguioribus frequenter vtetur, ferè ad eoſdem vſus conferet. Sumere etiam interdum oxymel ſcilliticum, vel acetum eiuſdem ſcillæ, ſi venter tolerabit, ſummopere proderit, non tantùm ad molliendam aluum, ſed etiã ad humores craſſos, viſcidóſque incidendos, ad tuſsim, & podagram. Cõſulerem quoque, vt aliquo illorum, vel omnibus interpollatim, & alternatim vteretur, etiam abſque leniendi alui neceſsitate. Quãtum vero ad cibum, & potum attinet, primò illi omnis menſa principum lauta, & delicioſa omnino interdicenda eſt: vnico enim cibo, & ſimplici contentum eſſe oportet, qui ſit facilis concoctionis, & optimi nutrimenti,

ne-

neque in eligenda materia multùm immorabor, quum vulgatiſsima ſit, habeátque aſsiſtentē medicum prudentiſsimū, & doctiſsimū. Potus ſit vini minimè dulcis, ſed maturi, clari, limpidi, & vnius ſaltē anni, non multùm potentis, medij coloris, quod etiā parcè bibat: abſtinebítque omnino à potu à prandio, & cœna. Hac victus ratione ſibi propoſita, quæ nullo modo variāda eſt, ſed habitus in ea faciēdus (habet enim in præſeruatione ferè totū pondus) laudo poſtea, vt nōnullis etiā medicamentis vtatur, quæ poſſunt vētriculum, & hepar corroborare, & ab illis intemperiem frigidam remouere. Laudo igitur, vt vtatur ante cibum diatrionpipereon, quod in rotulis ex ſacchro conficiatur, vel diacalamentho eodē modo confecto. Nonnunquā etiam ſummopere conferet vſus Mithridatici antiqui, quod ego theriacæ prætulerim illuſtriſsimo principi. Vbi præterea compertum erit medico prudentiſsimo corpus idoneè euacuatum eſſe, neque redundare excrementis, laudarem tunc temporis frictiones quoque omnium membrorum, & balnea aquæ dulcis, in quibus tamen decoquerentur roſæ, & chamæmelum, & aliquid etiam abſinthij, vt ſimul & calor innatus augeretur, concoctiones, difflationéſque fierent meliores, ac præ-

tere a tonus ſingulis membris adderetur: quæ intentiones etiam augebuntur, ſi poſt frictiones, & balnea totũ corpus inũgatur ex oleo garyophillorũ odorato, vel ex reſina, aut gũmi nucis muſcatæ, quod iam deferri incepit à Luſitanis: eſt enim præſtantiſsimum remediũ, quod multa experientia comprobauimus ad omnes artus corroborãdos, contra podagram, & morbos articulares. Conſulerem præterea, vt ſingulis annis illuſtriſsimus princeps bis purgaretur, vere inquam, & autumno: eſſet autem purgatio mitis, conueniens ætati, & nobilitati, neque ego tranſcenderem in purgatione vſum caſsiæ, & rhabarbari augẽdo, & minuendo doſim, prout purgatio bene ſuccederet, & virtus toleraret: Nulla enim purgatio eſt tam exquiſita, quæ perfici non poſſit his benedictis medicamentis, ſi modò doſin pro viribus metiamur. Nullus præterea humor eſt in humano corpore redundans, qui his duobus medicamentis educi non poſſit, ſiue ille ſit craſſus, & viſcidus, ſiue terreus aduſtus, ſiue ſubtilis, & bilioſus, vt quotidiana experientia depræhendimus, & vt teſtatur quidem apud Græcos Actuarius, apud Arabas verò Meſuë. Non ergo hæc medicamenta excedenda putauerim. Quantùm verò profuturæ ſint annuæ huiuſmodi purgationes

repetitæ in affectibus Illuſtriſſimi Principis *teſtatur* Gal. *tū in lib. quos, quomodo, & quā do, &c. tum in methodo de miſſione ſanguinis*. Vt *tamen meliùs præſeruari poſſit princeps* Illuſtriſſimus, *non diſpliceret, vbi priùs aliquanto tempore omnia, quæ diximus, recte peracta fuerint, accederet etiā ad vtriuſque cruris cauteria*. Plurimùm *enim poſſunt in auertendis vaporibus, & humoribus, qui raptum habent ad caput*. Conſulo *etiam, vt familiarem habeat vſum, vt manè maſtichen mādat, vt inde caput purgetur, vel garyophillum, vel portiunculam nucis muſcatæ, vel folia diptami* Cretenſis, *quæ non ſint auida*. *Iſta enim plurimùm poterunt ad expurgandum caput: neque aſcenderem ad validiores apophlegmatiſmos, ſed his tantùm eſſem contētus*. Quantum *verò attinet ad errhina, quæ vulgò caputpurgia appellantur, dimittere huiuſmodi auxilia in principe illuſtriſſimo, tanquam quæ nimis excutiant, agitent, & commoueāt*. Hæc *omnia ſi diligenter, & ſuo quoque tempore rectè peracta fuerint, ſpero illuſtriſſimum* Principem *præſeruandum, tum ab his ſymptomatibus, quibus nunc afficitur, tum etiam à deterioribus, quæ in neglecta curatione contingere poſſent, Ad laudem* Dei *omnipotentis*.

PRO CORNELIO CLEMENTINO equite, Conſilium decimum quartum.

DVo ſunt, quæ à nobis in illuſtriſsimi caſu equitis Cornelij Clementini requiruntur, primò, qua arte ſit præſeruãdus à destillatione pituitæ ſalſæ a capite ad partes ſubiectas, à ſtillicidio vrinæ, & excretione harenarum, viſcidæq; materiæ, & à ſputo ſanguinis ob corroſam venam patuam pulmonis contingente, vt refertur: ſecundò vtrùm illi competant aquæ thermarum Lucenſium. Incipiam ab hoc ſecundo, nã & hoc videtur maximè ad præſeruationem conferre. Supponentes igitur hæpatis, ac renum caliditatẽ, vnde par eſt, & vrinæ ſtillicidium, & harenas generari, Lucenſes aquas, illas inquam, quæ ferreæ ſunt, crediderim præſtantiſsimum fore remedium hæpati, & renibus corroborandis, tum excedentem caliditatem contemperando, tum laxitatem vaſorum ad mediocritatem ducẽdo. Retundent etiam ſalſedinem pituitæ, quam probabile eſt ob hæpatis, ſanguiniſque feruorem fieri: ſimul etiam venis pulmonis egregiè tonus addetur: & cùm ſalſedo destillantis

mate-

materiæ retũdetur, maxima ex parte tolletur periculũ corroſionis. Nec obſtat ventriculi frigida, & humida intemperies. Primo enim remouebitur humiditas, cum omnes thermarũ aquæ, ſiue calidæ, ſiue frigidæ fuerint, ſemper exiccent. Exiccata ergo redundante humiditate ventriculus proculdubio reddetur robuſtior, & aptius cibum amplexabitur, & conſequenter fœlicius concoquet. Quantum vero ad aquarum frigiditatem attinet, poterit interim defendi ventriculus cum linimento calefaciente, quale eſt oleum de garyophillis odoratum, de ſtyrace addita maſtiche, & ladano. Non ergo ab harum thermarum vſu abſtinendum cenſuerim, ſiue putauerim. Reliquum caſus quod ad præſeruationem attinet, cum iam plurima ſint peracta à clariſſimis illis medicis, eius rei potiſſimũ gratia præcipua ſunt duo cauteria tum brachij, tum ſincipitis. Neque veriſimile eſt eos, qui ad tantam acceſſerunt præſeruandi diligẽtiam, dimiſiſſe exquiſitiſſimam victus rationem in omnibus ſex rebus non naturalibus. Ideo ne ineptire videar, indignum duxi, vt hîc à me explicarentur circa victus rationem, quæ etiam ſemidoctis medicis ſunt comperta. Vnum tantum proponam, quod in omnibus his affectibus, & in tota ſyndro-

me nullo penitus repugnãte ad præſeruationem ſummopere conuenire videtur, videlicet frequentiſſimus vſus duorum remediorum ſecundum omnem adminiſtrationis modum, ſacchari, inquã, roſacei, & Rhabarbari. Cõſulerem ergo eius illuſtriſſimam D. vt ſingulis diebus ante cibum vteretur ſaccharo roſaceo etiam ad vnciæ quantitatem, ac præterea quater in menſe tribus horis ante prandium manderet, ac deglutiret drachmam optimi rhabarbari: in reliquis omnino abſtineret ab omnibus validioribus medicamentis: & in qualibet etiam magna purgandi neceſſitate non excederet rhabarbarum, caſsiam, mannam, & ſyrupum roſatum ſolutiuum. Quæ omnia ſi rectè obſeruentur, & addantur his, quæ clariſſimi illi Doctores iampridem conſuluerunt: ſpero non tantùm ad præſeruationem, ſed etiam curationem, vbi oportuerit, ſubuentura.

PRO ADOLESCENTE BO- *nonienſi, conſilium decimum quintum.*

DIſpoſitionem præter naturã huius adoleſcentis nobiliſſimi in membris eſſe ſpiritualibus nemo dubitare poteſt. Tuſſi enim affligitur, quæ ea-

earum partium proprium ſymptoma eſt, & quod per tuſsim excernit, catarrhus eſt craſſus, virulentus, ſubniger ad citrinitatē quoq; declinans, quandoque ſalſus: & præter huiuſmodi catarrhum ſanguinem etiam nonnunquam expuit quantitate paucum, colore (vt audio) varium: quandoque enim atrum, quandoq; rubentē. Hactenus in promptu eſt ſymptomata contemplāti, quæ pars corporis affecta ſit. Iam verò duo ſuperſunt cognitu difficilia ſine quorū cognitione vera curatio nō poteſt inueniri: primum, vtrum vitio ſpiritualium vtrumq; ſymptoma contingat, catarrhus inquam, & ſputū ſanguinis: an alterum tantùm, vel neutrū, an vero nihil ijs patiētibus, quantùm in ſe eſt, aliunde deferatur materia, atque oriatur: cui alia quoq; annectitur difficultas. Nam vbi etiam conſtaret aliunde fluere iſtas materias, ad hæc ſupereſſet inquirendum, cuius membri vitio id fiat principaliter, an cerebri, an vētriculi, an hæpatis, an omnium, vel pluriū ex iſtis. Altera principalis difficultas eſt cogitare, quæ pars ſpiritualiū potiſsimū afficiatur, vtrùm muſculi, an cauitas pectoris, an caro pulmonis, an bronchia, & lenes arteriæ, & venæ, vel plura ex iſtis. Hæ ſunt difficultates, ſine quarum exquiſitiſsima cognitione, & diſtinctio-

ne neceſſariū eſt curationē etiā cæcam, & fortunæ deſtinatam eſſe, non electioni, aut arti.
Ad primam igitur difficultatem: audiuimus nobiliſsimum iuuenem à primis ſtatim annis ſemper ſubiectum fuiſſe deſtillationibus catarrhi, ex quo arguitur vitium, & affectum fuiſſe ſemper in cerebro eius, cuius ratione plurimis excrementis redundauit. Vel igitur humiditas cerebri naturalis (teſte enim Galeno, ſecūdo artis medicinalis, cerebrū humidū excremētoſum, & deſtillationibus ſubiectū eſt) vel hoc fuit nō naturalis humiditatis ratione, ſed frigiditatis potius, quæ etiam ſiccitati coniuncta fuit. Talis enim tēperies cerebri frigida, & ſicca, forte etiā magis, quàm humida deſtillationi ſubijcitur, non quidem ipſius tēperaturæ ratione (à ſicco enim quatenus ſiccum eſt nullum prouenit excrementum humidum) ſed quoniam in frigido, & ſicco cerebro neceſſario plurima excrementa colliguntur, tum quia proprium alimentum non bene cōficit caliditatis defectu, tum quia non bene difflat, & diſcutit excremēta, tum etiam quia ſuperfluitates reliqui corporis ad tale cerebrum propter imbecillitatem facilè aſcendunt, neque facile difflantur. Neceſſe eſt igitur, vt colligantur, condenſentur, & multiplicentur, vnde oritur deſtillatio. Cerebrum

igitur

igitur huius nobilis iuuenis eſt frigidum potius, & ſiccum in ſuapte natura, quam humidum. Argumento *eſt tũ ipſius capitis forma, tum animales operationes intrinſecæ, ex quibus frigiditas, & ſiccitas cerebri arguitur.* H*æ enim duæ qualitates in cerebro maximè faciunt ad prudentiam, quemadmodum erat Ariſt. &* Galeni *ſententia, & non vt vulgus medicorum opinatur. Stante tali diſpoſitione accedit poſtea naturalis hæpatis caliditas, quæ arguitur ex amplitudine venarũ, & colore cutis ſubnigro, & pilis. Accedit præterea cordis caliditas: quod quidem indicatur ex promptitudine ad iram, & ex motu arteriarũ.* V*bi autem huiuſmodi temperatura calida hæpatis fuerit cũ frigiditate, & ſiccitate cerebri cõiuncta, maxima occaſio exoritur ad deſtillationes & catarrhos generandos.* C*aliditas enim hæpatis ſanguinem feruentem, bilioſúmque generat, à quo continui vapores ad cerebrum eleuãtur.* Ideo *tertio de locis affectis* Galenus *dicebat, eos maximè plenitudini capitis eſſe ſubiectos, qui calidi hæpatis ſunt.* H*is poſtea ventriculi imbecillitas accedit, & fit integer circulus & perfectus omnino, vt nihil etiam deſit iam ad omnem numerum catarrhi explendum.* I*mbecillitatem autem ſimul ventriculi eſſe,*

& inſignem in hoc nobili iuuene, multa declarant ſiue iſta imbecillitas ſit naturalis, ſiue acquiſita. Hoc enim mihi non conſtat, niſi quòd priùs crediderim fuiſſe acquiſitam. Habuit enim cauſas extrinſecas ad ventriculi robur debilitandum validiſsimas, ſed præcipua fuit illud aſsiduum ſtudēdi munus horis etiā importuniſsimis, quod cuilibet etiā mediocri patet, quantùm poſsit in corrumpenda concoctione, & omnibus ventriculi viribus relaxandis. Acceſſerūt, & aliæ cauſæ extrinſecæ validiſsimæ, videlicet moleſta animi accidentia, & mala victus ratio in omnibus ſex rebus non naturalibus, quæ potuerunt ſimul, & cerebri, & ventriculi vires debilitare: ſed tarditas etiam concoquendi cibum manifeſtiſſimum ſignū eſt imbecillitatis ventriculi. His ergo omnibus ita ſe habentibus nō eſt difficile iudicare, catarrhum in pectus deſcendere, per conſenſum ſcilicet aliorum membrorum: primò propter imbecillitatem cerebri aggregantis plurima excrementa ratione ſui temperamenti frigidi, & ſicci: ſecundò propter intemperiem calidam, & ſiccam hæpatis, ratione cuius plurimi, & aſsidui vapores aſcendunt ad caput tertiò ratione ventriculi tardè, & diminutè concoquentis, & plurimam pituitam generantis, cuius

va-

vapores perpetuò ad caput aſcēdunt per vias latas. Tot igitur ſunt cauſæ deſtillationis: at cùm potiùs ad pectus deſcendat, quàm ad alias partes, neceſſe eſt aliquam quoque occaſionem eſſe in ipſo pectore, cuius ratione ad illud potiùs, quàm ad alias partes materia deſtillat, inter quas potiſsimam indicauerim præparationem loci. Ad nullas enim partes commodiùs deſcendit materia fluens à capite quàm ad brōchum, ſeu caput laryngis, quod ſemper apertum, & præparatum eſt propter neceſsitatem reſpirationis. De cauſa autem ſalſedinis catarrhi, quam interdum percipit non eſt difficile videre. facile enim ſalſus effici poteſt propter vapores calidos à cerebro deſcendentes: quòd verò non perpetuò ſalſus percipiatur, ſed raro admodum, ſignū eſt maximum inſignem eſſe intemperiem in ventriculo, cuius ratione plurima pituita generatur, quæ poſsit omnem acrimoniam humorū retundere: ſignum etiam eſt cerebrum immodicè frigidum, & ipſum retundere ſalſedinis cauſas: & inde eſt quòd quoties ſalſedinem percipit, ſicut ipſe refert, priùs illi incaluerat cerebrum ab aliqua cauſa extrinſeca. Quòd etiam catarrhus per antiquam tuſsim à pectore eijciatur ſubtilis admodùm, & fluens, indicat cruditatem, & frigiditatem catarrhi

ꝓpter cauſas prius cõmemoratas. Quòd verò quandoque à pectore excernitur craſſus, quandoque ſubuiridis, quandoque etiam ſubniger: eſt, indicat plurimam moram factam in pectore calido, vbi partes ſubtiles fuerunt reſolutæ, addita etiam aliqua putredine propter nimium calorem. De ſputo autem ſanguinis, & quæ ſit eius natura, & quæ cauſa, in ſecũda difficultate dicetur. Et hæc ſatis de prima difficultate à nobis propoſita. Nunc accedamus ad ſecundam, quæ talis erat: Vtrum ſanguis iſte per tuſſim reiectus, vel à cauitate pectoris, vel à carne pulmonis, vel à brõchijs, vel lenibus arterijs, vel à venis in pulmone exiſtentibus excernatur? Plurimùm enim refert, & ad prognoſticum, quod futurum eſt, & ad cognitionem præcipuè curationis, vtrùm ſit hoc, vel illo modo. Circa hanc partem cõiecturis procedere oportet: res enim cognitu difficillima eſt. Primò tamen remouebimus ea, quæ mihi nullam difficultatem faciunt. Neque à carne pulmonis ſanguinem illum excerni veriſimile eſt: nam neque hoc eſſet ſine febri in habitu, neque ſine pure, neque ſine fœtore anhelitus: tum enim maximũ vlcus adeſſet, cùm nulla corporis pars facilius putreſcat, quàm caro pulmonis. Præterea ſanguis à pulmone eiectus ſpumæ ita eſt admixtus

mixtus, vt minima pars ſpumæ parti minima ſanguinis admixta ſit. Non etiam prodire ab arteriis ſatis indicat ipſa primum craßior ſanguinis ſubſtantia: deinde quoniam perpetuò ſanguis exiret: non enim poſſet conſolidari arteria pulmonis. Si etiam à bronchiis, vel aſperis arteriis eiiceretur, propter ipſorum ſolutam continuitatem aliquid ex ipſorum ſubſtantia prodiret ſimul, quod nunquam viſum eſt. Quod etiam non prodierit ex ruptura, vel corroſione alicuius venæ in pulmone exiſtentis, facilè inde coniiciatur, quòd & maior copia ſanguinis exiret à vena vel corroſa, vel diſrupta. Neque poſſumus dicere fuiſſe conſolidatam, quia corroſa nunquam conſolidari poteſt, diſrupta verò intra triduum poteſt conſolidari, poſtmodum autem nunquam. vt Galenus 5. Methodi docet. Videmus enim in nobili iuuene ſputum ſanguinis, etiam per aliquot mẽſes perſeueraſſe. Relinquitur igitur hunc ſanguinem, vel vt reſudet per poros, vel meatus ipſarum venarum, vel quòd certis quibuſdam tẽporibus aperiantur orificia, vel capita capillarium venarũ in pulmone exiſtẽtium, vnde excernatur ſanguis plùs, vel minùs, secũdum quòd magis, vel minùs illa orificia aperiuntur, quẽadmodũ videmus fieri exterius

apertis iiſdem venarũ capitibus, vel in naribus, vel circa hemorrhoidas. Quãdoq; enim multus ſanguis inde exit, quandoque paucæ guttulæ, prout orificia illa magis, vel minùs aperiuntur. Inde eſt, quòd nobilis etiam iuuenis quadam die excreuit tãtùm ſanguinis, quantùm eſt hemina, vel ſcutella. Hactenus videtur hoc eſſe ſatis ꝓbabile, & in hac parte potiùs hæret: poſſet tamen etiam fluere per colatorium ſimul cum catarrho, ſicut etiã frequenter contingit, vt inde poſtea ſimul cum eodẽ catharrho ex pulmone per tuſsim exiret. Et huius rei augetur ſuſpicatio ex eo, quod audimus, videlicet, quòd cùm eiiceret illã quantitatẽ ſanguinis magnã, quã paulò ſuprà diximus, nõ excernebat per profundam tuſsim, ſed per leuẽ quendã ſcreatũ. Indicabit enim à capite hunc fluxũ deuenire, qui cùm maiora aſperæ arteriæ brõchia occuparet, & mordicaret, leuem illam tuſsim, & ſcreatum excitauit. Sed aliud eſt etiam, quod non temerè præterire oportet, ſed diligẽtiſsimè conſiderare, & examinare. Refert nobilis iuuenis ſe ab hinc ſex annis minùs, & magis quidem, perpetuò tamen fuiſſe detentum dolore quodam circa ſiniſtram mamillã, qui dolor ſæpiſsimè tactu extremus percipitur, dũque in eã ſiniſtrã partem decũbit magis dolet,

let, & premitur: at ſi in dextris decũberet, ſedato dolore quieſcit: denique in quãcunq; partem decũbit ſemper minus dolet, quàm ſi in ſiniſtrã ſeſe flexerit. Ait præterea dolorem illum ſemper aſcẽdere vſque ad humerum ſiniſtrum. Ex his ergo omnibus ſecundum rationem colligimus materiam aliquam quotidie colligi, & deſcẽdere ad illas partes, tanquam ad debiliores, & qui locus huius collectionis ſit, vel in muſculis extrinſecis illius partis ſiniſtræ, vel in concauitate, quæ eſt inter illos muſculos, & membranas, quæ coſtas ambiũt, Cur autẽ locus ille fuerit debilitatus, multæ potuerunt eſſe cauſæ: duas tamen non parui momenti vidimus, primã percuſſionẽ in ea parte, ſecundam armorum geſtationem. quibus ita ſe habentibus, non eſt longinquũ, quòd ex illis partibus ita debilitatis materia ibi collecta reſidet ad partes interiores pectoris, & à pulmone mediante tuſſi excernatur. Vbi etiã conſiderandũ eſt, nunquid etiã vlcus aliquid ex longa humoris corruptione ſubiectum fuerit, vnde etiam ſanguis cum materia ſimul excernatur. Hæc ergo habeo, quæ de cauſis huius ſputi ſanguinis poſſum afferre, ſi ex principiis artis ſecundum rationem, & non caſu, vel ad placitum loqui volo. Reliquũ modò eſt, vt prædicti omnes affectus re-

moueantur. Circa quod duo principaliter erunt agenda: Alterum quod circa præſentium ſymptomatum curationem verſatur, alterum circa imminentium præſeruationem. Quantùm ad præſentium curationem triplici curabimus inſtrumento: primum, erit ratio victus, ſecundum medicatio, vel pharmacum, tertium auxilia per opus chyrurgicum. Per rationem victus, aër primò occurrit, circa quem diligentiſſimè erit enitendum, vt omnes exceſſus deuitet. Pariter enim & à frigiditate, & caliditate aëris, ſicut & à nimia humiditate, & ſiccitate lædetur. Quærat igitur maximè temperatum nam alteratio facilè contingit; vel propter ventos, vel propter pluuias, vel propter viciſſitudines, æſtatis inquam, & hyemis. Itaque neque ſe ventis, neque pluuiis, neque feruori æſtatis, neque algori hyemis exponat, ſed ſe in optima domo contineat, vel ſi neceſſarium fuerit exire, muniat ſe ab aëris iniuria, caput præcipuè. Vitet etiam nocturnum aërem, & loca ſubterranea, & humida. Raro abluat caput: quãdo autem lauandi tempus erit, eligantur horæ veſpertinæ ita, vt poſtea non exeat domo, neque aëri ſe exponat. Lixiuiũ erit ex cinere ſalicũ, vel vitiũ, in quo decocta ſint chamæmelũ, anethũ, roſæ, & maiorana,

na, ponátque in ea parte lixiuij, ita præparata, & excolata, in qua vult lauari, tantam quantitatem agarici boni electi puri, quantum eſt pondus drach. duarũ: dimittatúrque infundi in eo lixiuio dictus agaricus per totã noctem in petia linea, poſtea mane ebulliat ebullitione vna, & cum hoc lixiuio lauetur caput. Erit enim *vtile, & tãquàm medicina, non tantùm curãs, ſed etiam præſeruans.* Exercebit *corpus moderatè, non fortiter, & inprimis exercebit partes inferiores: ad quod deambulatio optima eſt.* Hora *exercitij ſit matutina reiectis excrementis conſuetis, ſitque tribus horis ante prandium, ita vt perfectè quieſcat ab exercitio ante cibi aſſumptionem.* Optimum *etiã erit illi, ſi frictiones manè fiant in partibus inferioribus, & in brachiis etiam, antequàm ſurgat è lecto, & quãtò erunt longiores, & crebriùs repetitæ, tantò meliùs: erit enim efficaciſſimum ad roborandum corpus, & ad diuertendam materiam.* Exercitium *autem crurũ paucum admodùm debet eſſe.* Sed *inter reliqua duos maximè affectus vitet, iracundiam, & mœſtitiã.* Cauebit *ab aſſidua ſcriptione, vel lectione, præcipuè poſt cibum, maximè pronè incumbendo ſcripto libro.* Procuret, *vt quotidie beneficium alui habeat, quod ſi quãdoq; deficiat, nõ negli*

gat. Eſt enim illi admodũ opus, vt vtatur aliquo modo clyſterum lenientium cum aliquo ex his tribus, quæ ſubſcribẽtur. Primũ eſt, accipere ius pulli tribus horis ante prandium, in quo iure decoquantur malua, mercurialis, & facta expreſſione, & colatura addatur ſemidrachma ſacchari cũ modico olei dulciſſimi, & bene maturi, vel olei amygdalarum dulcium. Secundũ remedium eſt, vt accipiat terebinthinam pinguem, & puram quantitate drach. duarũ vel triũ, & deglutiatur. Vna verò hora pòſt, ius dictũ etiã aſſumat. Terebinthinã ſumat in formã pilularũ, aut in bolum, vt meliùs placuerit. Tertiò vt accipiat quinque, aut ſeptem ficus aridas pingues admodùm, & optimas, à quibus totã cutim detrahat, & accipiat tantùm carnẽ mollẽ intrinſecam, & cũ hac carne admiſceat drachmas duas medullæ carthami, & fiat bolus, quem deglutiat eodem modo, & horis, ſicut de duobus ſuperioribus dictum eſt. Iſta tria ſunt optima, & familiariſſima remedia ad aluum emolliendam in ſanis etiam ſine aliqua moleſtia. In nocte quærat, vt ſeptem horis tantùm dormiat, octo quidẽ etiã, at non imperamus: ſed caueat poſtea tãquã à peſte à ſomno meridiano. Bis tantùm in die comedat, atque hora comedendi ſit hora quinta, poſtquã

lecto

lecto ſurrexerit. Spatiũ inter prandiũ, & cœnã ſint horæ 9. ſi prãdium iuſtum, & integrũ fuerit. Poſt cœnã non ingrediatur lectum, niſi poſt duas horas poſt cibum, & interim non ſedeat, non dormiat, neque apud ignem moretur, nec frigeat, præſertim caput: caueat à calore: calefiat autẽ ſenſim, non ſubitò ad ignẽ: deambulet, vel ſtet. duo enim optima inde acquiret: ſuauiùs noctu dormiet, ſecundò meliùs cõcoquet, & minùs lædetur à catarrho. Vbicunque autẽ igni approximabit ad frigoris iniurias propellendas, ſit ignis mediocris, ſcilicet, ex lignis dulcibus, & caueat, ne caput incaleſcat. Inter prandiũ, & cœnam neque aliquid comedat, neque bibat præcipuè poſt cœnam: nihil enim catarrho deterius quàm dormituris bibere. Potus ſit vinum calore ruffum, clarum, limpidum, bene maturum, potẽtia mediocre, quod nullo modo ſit acidum, vel acerbum: tale enim vinũ aduerſiſſimum eſt, tuſſimq; præcipuè excitat. Cibaria ſint vnius tantùm generis: nihil enim deterius, quàm ciborum inter ſe differentium varietas. Abſtinebit ab omni lacticiniorum genere, ab omnibus paſtilibus, ab acribus eſculentis, ſicut ſunt allia, cæpe, & huius generis: ab aceto, præcipuè acri, & potenti, ab omnibus oleribus præter betonicam, ſaluiam, boraginem, &

lactucam, quæ etiam non tantùm ratione cibi, ſed ratione medicamenti cuiuſdam conceduntur. Cauebit ab omni piſcium genere, qui capiuntur in paludibus: raro etiam, & parcè alios comedat, qui in optimis aquis degunt & non omnis generis, ſed quales ſunt lucij, marchiones, themali, & huiuſmodi. Cauebit tamen à frixis in ſartagine non tantùm piſcibus, ſed omnibus, quæ hoc modo friguntur. Ideo & oua deteſtabilia ſunt decocta in ſartagine. Abſtinebit à carnibus ſalitis cuiuſcunque generis: à carne antiqua, ſicut bubula, & caſtratorum antiquorũ: abſtinebit à carne porcina tanquam à peſte, ab omni auium genere, quæ degunt in paluſtribus, ſicut anates, & anſeres. Fercula eligat, ſicut far, & oriza, hordeum, ſpelta, panicum. Omnia iſta grana ſint optimè decocta in iure optimo: admiſceatur aliquid lactis amygdalarum dulcium, vel ſeminum melonum. In æſtate conuenient etiam cucurbitæ factæ cum modico cinnamomo. Ab acetariis conſulo, vt abſtineat: fructus parciſſimè comedat, non omnium tamen generum, ſed aliquid peponis optimi, vel pruni genus, quod vulgò verdaceum appellatur: ficus etiã optimè maturas, vt in tempore autumni: pyra decocta cum ſaccharo. Si quandoque

etiam

etiam comederit pineas poſt cibum, aut auellanas, dum modò parcè id fiat, & benè dentibus conterat, non erit omnino aſpernendum. Carnes conueniunt vitulinæ, hœdinæ, pullorum, nonnunquam etiã colũborũ iuuenum, & pinguium, omnium auium campeſtrium pinguium præter coturnices: nec vitupero carnem leporis iunioris, vel cuniculi. Oua ſorbilia, vel in aqua decocta, non indurata, ſi fuerint recentia, & ante cibum exhibita ſunt optimi nutrimẽti. Et hæc de tota diæta, ſiue victus ratione ſufficiant. Quãtum attinet ad medicamenta, quãquàm Galenus in 5. Therapeutices curet catarrhum cum ſputo ſanguinis validiſsimis purgationibus, nihilo minus ſpectata habitudine nobiliſsimi iuuenis, corporis gracilitate, hæpatis caliditate, & virium omnium imbecillitate, vnum propono, quod illi perpetuò obſeruãdũ erit, ſi me iudicem ſequatur, vt nunquã inclinet animum ad ſumenda aliqua medicamenta fortia, aut ſolutiua, in quibus ingreditur aut ſcãmoniũ, vel colocynthis, vel turbith, vixq; aſſentiat agarico: qui quidẽ erit ſumma, & veluti apex omniũ eius medicinaũ, vltra quem excedere pernitioſum habeb[illegible]: imò nec agaricus temerè ſumendus, neque ſolus non præparatus, vt infrà patebit.

Laudo igitur, quòd corpus quidẽ eius ſæpe expurgetur: eſt enim hoc neceſſarium, cùm ſit admodùm excrementoſum. Purgationes verò ſint in omnibus qualitatibus moderatæ. Simplicia quidem ſint, ſicut caſſia, rhabarbarum, manna, medulla cnici, terebinthina, & vltimò agaricus. Compoſita ſint, ſicut ſyrupus roſaceus, vel violaceus ſolutiuus: electuarium de ſebeſten ſimplex, electuarium lenitiuum, quandoque etiam hiera ſimplex de ſex rebus, rarò tamen propter nimiam exiccationem. Purgabitur autem purgatione magis exquiſita bis in anno, vere, inquam, & autumno. Forma autem purgandi talis erit. Accipe floris caſſiæ drachmas decem, pulueris glycirrhizæ, pulueris hyſſopi ana ſcrup. duos: miſce, & cum ſaccharo fiat bolus ſumendus hora ante prandium: ſequenti die incipiat ſumere infraſcriptos ſyrupos. Accipe ſyrupi violacei cõpoſiti Meſuẽ, mellis roſacei colati ana vnciam: aquæ tuſſilaginis vnc quatuor: miſce pro vno ſyrupo, & ſic pro aliis. Poſt ſyrupos ſumat alterum duorum medicamẽtorum, prout illi fœliciùs ſuccedet. Alterum tale erit: Accipe floris caſſiæ drach. decẽ: agarici præparati drach. duas, miſce, & cũ ſaccharo fiat bolus. Alterum: Accipe rhabarbari electi drach. duas, ſpicæ grana quinque, irrorentur vino

albo

albo aromatico, & infundantur in aqua tuſſilaginis per horas decem, deinde facta diligenti expreſſione, & colatura, adde agarici optimi præparati ſcrup. quatuor ſyrupi roſacei ſolutiui vnc. duas: miſce, & fiat potio breuis danda in aurora cum cuſtodia. Iſtæ erũt annuæ purgationes. In mediis autem temporibus laudo etiam, quòd frequenter aliquid ſumat quod leniùs purget, ne ſcilicet, excrementa aggregẽtur. Purgationes autem erunt, vel quales dictæ fuerunt in capite de diæta, vel quòd aſſumat caſsiam ſimplicem hora vna ante prandium vnciæ pondere. Erit enim medicina facilis, pectori & hæpati valde conueniẽs, quæ euacuabit ſine extractione, à qua tanquam à peſtifero veneno abhorreat oportet. Laudarẽ ego præcipuè, ſi eius vẽtriculus toleraret, & nihil aliud impediat, ſicut febris, vel inflatio hypocundriorum, vel dolor capitis, à quibus Deus *ipſum cuſtodiat. Laudo, inquam, iſtis nõ impedientibus, vt poſt autumnalẽ purgationẽ manè bibat lac aſininum, aſinæ quàm fieri poteſt ſaniſsimæ, & iuuenis, neque multum diſtantis à partu: bibat autem manè non hora ſyrupi, vt malè conſueuerũt alii, ſed hora tertia diei, poſtquàm reddiderit ſua omnia excrementa conſueta, & bibat cyathum, vel duos, etiam*

tres quantùm, ſcilicet, eius ventriculus benè tolerare poteſt. Poſtea caueat cibũ, quandiu bene cognouerit lac eſſe perfectè concoctum, & fame prouocetur ad cibum, tunc modicè prandebit: erit enim hora tarda, hortórque, vt ſit contentus pro prandio iuſculo hordeaceo cum ſaccharo, & poſtea cœnet vberiùs, ſeruando quæ dicta ſunt in capite de diæta. Perſeueret in hac lactis potione vſque ad 15. dies, magis tamen, aut minùs, prout meliùs, vel deteriùs tolerabit. Iſtud erit remedium efficaciſsimum ad humectandum corpus, & nutriendum, & reuocandam famem: quod etiam vere poterit iterari, imò & æſtate, & quotieſcunque libuerit, ſi modò proſperè illi ſucceſſerit, vt ſpero. Hæc de purgantibus, quæ per os ſumi debent. De linimentis autem, vel cerotis exteriùs applicandis nihil ſcribo: in in illis enim parum confido. Quantum verò attinet ad opus chyrurgi, cùm priùs mihi placeat, ſi catarrhus perſeueret, vt facta purgatione autumnali applicarentur veſicatoria capiti, & excitarentur veſicæ, & cruſtæ, quæ poſtea omni diligentia conſeruarentur, idémque omnino fieret circa partem ſiniſtram pectoris, vbi percipit dolorem, vel ſi nollet veſicatoria propter moleſtiam, eſſent enim moleſta in ea parte, ſaltem foueat, & illinat

illinat locum modo præſcripto. Accipe *hyſſopi, betonicæ, ſaluiæ, ſcabioſæ, centaurei minoris, pulegij manip. medium*: Decoquantur in ſufficienti quantitate aquæ, & vini albi æqualiter commixtis, & cum ea decoctione calida foueatur locus cum ſpongiis, facta fomentatione locus continenter exiccetur, poſtea inungatur hoc linimento: Accipe *adipis anſeris, gallinæ, butyri recentis an. vncias quinque, myrrhæ drach. tres, euphorbij ſcrupulum*: miſce, & cum modico ceræ fiat linimentum. Laudo etiam, quòd pro auerſione materierum aſcendentium ad caput poſt purgationem ordinariam fiant cauteria, vel fontanellæ in vtroque crure in loco conſueto, & dimittantur apertæ vſquæ ad perfectam ſanitatem. Si etiam quandoque hemorrhoides ſponte accederent, optimum eſſet: at non accedentibus, ſi contingeret (quod Deus auertat) ſputum aliquod ſanguinis, laudarem, vt prouocarentur, & tenerentur apertæ: eſſet enim optima & recta diuerſio. Et hæc de chyrurgia ſatis. Quantum verò attinet ad præſeruationem, ne ſcilicet, incidat in ſputum ſanguinis, & membra omnia corroborentur, nihil vnquam poterit præſtantius habere, quàm frequentiſſimũ vſum ſac-

chari roſacei, quo vtetur manè, veſperi, & quacunque hora voluerit, dum modò non impediat horas coctionis. Magnum *eſt etiã arcanum ad exiccandum catarrhum pectoris, & ipſum pectus corroborandum, tum ad prohibendum ſputum ſanguinis, ſi in introitu lecti deglutiat boli armeni orie͂talis optimi quantum eſt granum ciceris rubei.* Eſt *enim efficaciſſimum in præſeruatione, ſicut periculoſum in curatione.* V*eſicatoria ex his confici ſolent: ex folio apij naſcentis in pratis flore lutheo, foliis aculeatis, cortice interiore bryoniæ, flammula iouis, ſynapi, euphorbio, pyrethro, thapſia, naſturcij ſemine, herba, quam vulgò appellant ſalſariam, quæ naſcitur in hortis, folio oblongo, & pingui, guſtu erodente linguam, longo pipere, & ſimilibus.* Inter *reliqua tamen efficaciſſimum, & perpetuæ veritatis in omni temperatura, quod nunquam fallit, ſunt cantharides.*

PRO MATRE DVCIS FLOrentiæ, *conſilium decimum ſextum.*

QVoniam *inter malos corporis affectus huius illuſtriſſimæ dominæ, quæ quadragenaria eſt, præcipuus eſſe videtur ille ſanguis eiectus à ſede:*

ſede: vnde credimus etiam corpus exaruiſſe, & ſe ipſo imbecillius redditum iampridem, quòd tum crura, tum facies intumuiſſe videtur, & à diſtillatione, vt patet, non parum foueri, & cùm non ſit nobis explicatum, vtrũ à venis, quas hemorrhoidas vocãt, an ab inteſtinis deferatur, determinare nolumus id, quod coniecturis tantùm aſſequi poſſumus. Et quamuis à venis hemorrhoidalibus plerique noſtrûm potiùs offendi arbitrabantur, tutiorem tamen partem eligimus. Itaque ita remedia moderaturi ſumus, vt vndecunque fluxerit, communis vtilitas conſequatur. Primò ergo ex malo corporis habitu neceſſarium eſt excrementa multa in ventriculo, & venis, & extra venas quoq; aggregari materias: poſt ea natura ſtimulata ad expulſionem non deſinit à continua ſanguinis excretione, cum quo, & laudabilis excernitur. Propterea conſulimus, vt is à medicis præſentibus proximè ſiſtatur, & corpus exquiſitè purgetur, ita tamen, vt habeatur ratio temporis, & virtutis, nec ad valida medicamenta accedatur. Igitur molliri priùs ventrem volebamus, vel clyſtere, vel electuario de ſebeſten ſine ſcãmonio, vel lenitiuo ſimplici, vel tali quopiam prout in variis regionibus varij vſus ſeruari ſolent. Deinde

ſyrupus quoque exhiberi, qualis eſt, de cichorea Nicoli, *vel roſaceus, vel de betonica, hoc modo:* Accipe *ſyrupi de cichorea* Nicoli *ſeſquiunciam, de betonica vnciam, decoctionis betonicæ, cichoreæ vnc. tres: miſce, fiat ſyrupus ſumendus nouem, aut decem diebus.* Deinde *ſumeretur medicamentum, quod haberet rhabarbari optimi drach. duas, ſpicæ grana ſex: madefiant in aqua agrimoniæ: addatur diacatoliconis drachma, ſyrupi roſacei ſolutiui vnc. duæ: miſce, & fiat potio.* Qua *purgatione perfecta, ſi ſatis corpus purgatum fuerit, bene erit, ſin minùs, tunc iteretur.* Purgato *autem corpore, tũc volumus primò, vt ſingulis diebus ante prandium, & cœnam vtatur ſaccharo roſaceo, ita præparato:* Accipe *ſacchari roſacei vnius anni vnc. quatuor, garyophillorũ ſemidrachmam, cinnamomi drachmam: miſce.* Poſt *cibum verò per horam ſumat mirabalanos chebulos optimè præparatos, ex his ſcilicet, qui ex* Alexãdria *deferuntur, &* Genuæ *potiſſimùm inueniuntur: & in hoc præſidio ſummè confidimus.* Præterea *conſulimus, vt ſingulis ſeptimanis dormitura aſſumat boli armeni quantum eſt granum ciceris, ita quòd ter, vel quater ſingulis menſibus ſumat, & rhabarbari optimi ſcrupulum in puluerem redactum,*

dactũ, quæ admiſceantur vel cum drachma ſacchari roſacei, vel cũ paſſulis, & ſaccharo. Poſtea ſtomachus quidẽ illinatur aſsiduè iſtius modi vnguento. Accipe olei de floribus arãciorum (quod habetur in officinis eorum, qui cõficiunt aromata) vnciã, mãnæ belzoini quæ ibidẽ reperitur ſeſquidrachmã, garyophyllorũ, macis ana ſemidrachmam, ladani optimi drach. duas, miſce, & fiat linimentũ pro ſtomacho. erit enim ſtomacho vtiliſsimũ, & odoratũ, & præcipuè dignũ, ſi rectè cõficiatur. Ad hæpar verò aliud vnguẽtũ nõ minùs nobile parabitur ita confectum: Sumat olei de roſis paruis confecti, quod apud vnguentarios vulgò appellatur oleũ de roſettis ſeſquiunciã, olei de ſpica, quod apud eoſdem vnguẽtarios inuenitur, vnciã, maſtiches, rhabarbari electi ana drachmã, ſpecierum tria, ſandalorum tantundẽ: miſce, cũ modico ceræ albæ, fiat linimentũ pro hæpate. Pæterea volumus, vt ſingulis ſeptimanis caput abluat hoc modo: Cõficiatur lixiuium ex cinere ſalicis, aut vitis, in quo decoquantur roſæ, mirthi, & ladani durioris fruſtulum, & agarici drach. duæ, quo lixiuio lauabitur caput, & ſapone infraſcribendo vtatur. Accipe ſaponis optimi drach. quatuor, agarici drachmas duas, iridis, garyophillorum, ana ſcrupulos

duos, camphoræ ſcrupulum: miſce, & fiat ſapo ſecundum artem. Laudamus præterea, vt maſtichen aſsidue teneat in ore, mandat, expuat, conetúrque, vt per nares pituita excernatur, fiántque à medicis caputpurgia, prout illis magis opportunum videbitur. His igitur ita diligenter peractis non minor pars reliqua eſt, & maxima: ſine hac enim fruſtra reliqua adhibebũtur. Eſt autem ratio viuendi, quam exquiſitiſsimè ſeruare debebit, ſi ſe ab extrinſecis periculis præſeruari voluerit. Ergo primùm eliget aërem temperatum, cauendo à nebuloſo, & craſſo, & à tenui, & frigido qualis eſt Florentinus, præſertim accedente hyeme, & vitabit etiam ventos, ſolis ardorem, & pluuias, & demum omnem aëris exceſſum. Et curabit, vt quotidie naturalia excrementa excernantur per aluum, per vrinam, per palatum, per nares: Iubebítque ſibi fieri matutinas frictiones in brachiis, & partibus ſuperioribus, quæ ſunt ſupra diaphragma, ſintq́; frictiones lenes, & longæ. Deinde quum è lecto ſurrexerit, ſe exerceat deambulando, donec anhelitus immutetur. Cibum eligat, qui optimum ſanguinẽ generet, & facilè concoquatur, qualis eſt caro perdicum, pullorum, phaſianorum, hædi, animaliſque caſtrati: & ſi ob nimiam inanitionem

nitionem ſanguinis debilem ſe ſenſerit, quãdoque ſumat ouorum recentium vitella, & cum vino albo aromatico aquæ permixto lentè decoquantur ad lactis conſiſtentiam, & hoc ferculo ante cibum vtatur: eſſet enim optimi nutrimenti, & valentiſſimũ. Vtatur *præterea ouis ſorbilibus.* Ab *oleribus, leguminibus & iis cibariis quæ vulgò lacticinia & paſtilia dicuntur, à piſcibus etiam abſtinendum eſt.* Poſt *cibum etiam vtatur confectione ex piſtachiis, ſeminibus melonum, & ſaccharo.* Vitet *ciborum diuerſitatem, neque ad menſam accedat, niſi præteritum cibum rectè concoctum ſenſerit.* Vinum *eligat pauciferum, maturum, ſubſtantia, & colore moderatum, quod etiam parcè bibendum eſt: ac potiſſimè obſeruabit, ne inter cœnam, & prandium bibat: longè tamen deteriùs eſt, ſi poſt cœnam dormitura potauerit.* Inter *medicamenta vnicum ſupereſt præſtantiſſimum, quod ſuperiùs ſuo loco omiſſum fuerat, quod ita habet:* Accipe *ſucci foliorum mirthi, ſucci agrimoniæ, ana vncias tres, ſucci abſynthij, ſucci hypociſtidos ana vncias tres.* Hoc *ſucco poſt purgationem inungantur renes, venter, ſtomachus, & vtraque hypocundria, & quod eſt in partibus inferioribus circa lumbos.* Eſt *enim membris*

mandantibus efficaciſsimum, & vaſis recipientibus corroboratiuum. Hæc ſi fuerint peracta, ſperamus illuſtriſsimam Dominam à multis imminentibus periculis præſeruatam iri, Deo fauente.

PRO CIVE CRACOVIENSI Polono, conſilium decimum ſeptimum.

DOminatio eius meminiſſe debet, atque animo perpetuò tenere, & tanquã fundamentum neceſſariũ præſupponere, atque ad hoc, veluti ad ſcopum quendam omnes actiones ſuas dirigere, videlicet ſe habere totum caput, & oculos vtroſque imbecillos, & paratos ad recipiendas ſuperfluitates totius corporis, & ad omnia morborum genera ſubeunda, vt nulla iam arte, nullóue remedio huic vitio ſuccurri poſsit. Ita enim iam confirmatum eſt, & per eſſentiam parti illi appropriatum, vt ne Aeſculapius quidem ad ferendam opem ſit ſuffecturus. Et bene aduertet dominatio eius me dicere hoc loco imbecillitatem capitis, & oculorum, ac præparationem ad ſuſcipiendas ſuperfluitates tolli non poſſe: ſed nõ pro-

pterea dico, quin præſeruari poſſit, & curari à malis præſentibus, & futuris. Aliud *e-nim eſt membrum aliquod eſſe imbecille, & paratum ad morbos à quacunque leui cauſa, aliud ægrotare.* In *hac opinione, & cognitione huius rei, quam diximus, tantam inueniet vtilitatẽ eius* D. *vt niſi id præſuppoſuerit, & conſtanter crediderit, in duo maxima incommoda, & pericula perpetuò collapſurus ſit.* Primum *eſt, quòd quoties inciderit in medicum, vel cuiuſcunque generis hominem, qui ſanitatem polliceatur, ſtatim illi adhærebit, & torquebitur, & in deteriorem diſpoſitionem, & fortè vltimam pernitiem deducetur: quod ipſe facilè poteſt proprio experimento, & ſuo etiam diſcrimine cognouiſſe.* Quod *ſi in bonam aliquam fortunam, vel peritum medicum inciderit, qui præſentes morbos curauerit, ſecundum incommodum non effugiet.* Si *enim arbitratus fuerit ſe ita fuiſſe curatum, vt imbecillitas quoque capitis, & oculorum, & præparatio ad eoſdẽ morbos ſimul ſublata ſit, huius meæ admonitionis oblitus, ſuo poſtea periculo facilè recognoſcet verum & fidele fuiſſe noſtrum conſilium.* Nam *negligendo curam perpetuam ſui capitis, & oculorum, quam inferiùs explicabo,*

etiam ſi millies curabitur, millies quoque vel in eoſdem, vel etiam deteriores morbos præcipitabitur. Præſupponat, & fundamentum firmiſſimum habeat, ſe habere caput, & oculos ſummè imbecillos, perpetuáque cura, & præſeruatione indigere, ſi vult inter homines bene eſſe, atque æquo animo ferat calamitatem, quæ tamen non ita improba eſt, & deteſtabilis, vt ſi ipſe velit nõ negligẽter res proprias procurare, nõ poſſit ſatis commodè, et honeſtè ſine multa moleſtia curari, actionéſque ſingulorũ mẽbrorũ nõ inualidè exercere. Quibus igitur hæc omnia præſtari poſſint, nunc tempus eſt explicare. Eius vero Dominatio audiat, legat, & perlegat, neq; corrũpi patiatur, vel à ſocietatibus, vel à more patriæ, quæ, ſi verum fateri volumus, plùs æquo voluptatibus indulget, iubeátque, vt hoc noſtrum conſilium in propriam linguam vertatur, ſecúmque familiariter habeat, & non tantùm ediſcat, ſed etiam exquiſitiſsimè obſeruet: alioquin, præterquàm quòd oculos amittet, multò etiam deteriora patietur. Longè enim humanius eſt admonere hominem de futuro aliquo periculo, in quod facilè poſſit incidere, quàm ita molliter ſecum agere, ne dicam peruersè, & dolosè: & ne triſtitia ipſum efficiamus, permittamus incurioſum,

& nil

& nil tale cogitantem hominem in extremam pernitiem præcipitari. Qua igitur arte eius D. *præſeruari poßit, iam explicare incipiam.* Et *primò ita aëris commoditate potietur, vt nec feruenti ſoli, nec vehementi frigori ſe exponat, cauebitque præcipuè ſub cælo ventoſo, ac nebuloſo diutius immorari, neque feneſtræ ſe exponat, qua ventus aliquis perflauerit, aut aëri nocturno occurrat, vel noctu apertis feneſtris dormiat, fugiat etiam humidas, terrenáſque habitationes.* H*yemis tempore, dum manebit in vaperaris, ſicut eſt mos ſuæ patriæ, non operiet caput, niſi operimento quodam leui, & poſtea, dum exibit, accipiet cooperimentum pelliceatum cum veſtibus optimè ſuffultis.* V*aporaria etiam non erunt valde calfacta, ſed moderata: cauebit intueri ignem, manere vbi fumus, vel puluis aderit, prouidebitq; quantùm fieri poterit, ne iraſcatur, néue triſtetur, aut aliqua animi moleſtia multùm torqueatur.* C*oitu raro admodum, & moderato vtatur.* M*anè exercebit totũ corpus, vt caleſcat, & anhelitus fiat magnus & frequens. Surgat ſingulis diebus ante ortũ ſolis, & procuret omnes ſuperfluitates collectas per omnes vias excernere, tũ per aluum, tũ per vrinam, tum per ſcreatum, & per nares, tũ etiã pecto-*

nando ſe, & collũ, faciemq; pãno lineo molliter, & ſuauiter perfricando, & aures donec rubeſcant: neque vnquam faciem lauet aqua frigida, ſed vel deſiſtat à lotione, vel vtatur vino albo: aures etiam quotidie perfricet, & abſtergat, ſimiliq; modo dẽtes etiam abluat, & os vino albo. Quæ omnia vbi manè ſurgens effecerit, tum ad conſueta negocia progrediatur. Prandebit itaque quatuor, aut ad ſummum quinque horis, poſtquam à lecto ſurrexerit, & nouẽ, vel octo interpoſitis horis à prandio cœnabit, diligentiſſimè obſeruãdo, ne interbibat ſpatio aliquo intra prandium & cœnam: neque etiam comedat, ſed ſobriè interim degat duobus illis tantùm temporibus cibis contentus, prandio, inquam, & cœna, alioqui non erit tutus à recidiua. Cibaria ſint ſimplicia cum paucis, aut nullis aromatibus: neque delectetur ciborum varietate, ſed vnico tantùm cibo contentus ſit. Illa enim varietas corruptionem, cruditatem, & malitiam humorum generat, vnde poſtea ægritudines oriuntur. Abſtineat à carnibus antiquis, & ab his ouis, quæ in ſartagine, vel patella aſſantur. Abſtineat à piſcibus, caſeo, leguminibus, & auibus paluſtribus: oleum etiam vſum euitet. Vinum, ſi fuerit

conſuetus

conſuetus bibere, eligat pauciferum, clarum, ſubtile, & mixtum aqua, quod etiam moderatiſsimè bibat: ſed ſi vini potationi non fuerit aſſuetus, vel aquam mellis, vel ceruiſiam bibere conſueuerit ſecundum patriæ ſuæ morem, tunc laudarem magis, vt prorſus à vino abſtineret, & ceruiſiam, vel mulſam eligeret. H*æc ſi ritè, & diligenter peregerit, vix imaginari poterit quantùm ſanitati ſuæ ſint collatura.* S*i verò contraria ſequatur, etiam medicinis omnibus adhibitis, fruſtra ſanitatem ſpectabit.* S*ed vt exactè ſuæ ſaluti conſilium adhibeatur, paucula quoq; adiicientur, quæ, quicquid in corpore colligitur excrementorum, totum illud excernant.* V*tetur igitur ter, vel quater in menſe pilulis infrà ſcribendis hora vna ante cœnam ad pondus drachmæ.* D*eſcriptio talis eſt.* A*ccipe aloës optimæ, rhabarbari electi ana drac. ſex, agarici electi ſemiunciam, garyophillorum, gingiberis, cinnamomi, ana drachmam, roſarum rubearum drach. duas, mirabalanorum chebulorum ſemidrachmam: pulverizentur omnia per ſe, deinde miſceantur cum melle roſaceo, fiat magdaleon, de quo ſingulis vicibus fient pilulæ tres pondere drachmæ, ſumendæ, vt ſupra.* P*ræterea laudo, vt ſemel in vere, ſi ſemel in autumno,*

& vere, ſi bis, mittatur ſanguis à baſilica dextri lateris. Præterea ſi his omnibus peractis reliquiæ etiam ſuorum morborum permãſerint, laudo, vt in parte exteriori vtriuſque tibiæ infra genu per digitos quatuor cauteria fieri iubeat, quæ vulgò appellantur fontanellæ: efficaciſſimè enim diuertunt à capite. Item laudo, vt bis, vel ter in menſe accipiat bolum optimi mithridatici pondere drachmæ additis drach. quatuor ſacchari roſacei tribus horis ante prandium.

PRO CIVE FLORENTIno, conſilium decimum octauum.

IVdicamus calculos per vrinam excretos, dolores circa renes, ac iũcturarũ affectus à plurima pituitoſa materia generari. Vrina eſt turbida, ſubalbida, ſerò lactis ſimilis cum ſedimento craſſo, & albo: calculorũ calor calci antiquorum parietũ ſimilis, eorúmque ſubſtantia craſſa, & dura. Præterea victus ratio comeſſationibus, & potui dedita cum paucitate exercitij. Ex temperatura etiam calida & habitu corporis, & animi moribus appetitui, & voluptati mancipati credimus

dimus hunc in venereis plus æquo exceſsiſſe. Vnde calor naturalis, & concoctiones omnes diminutæ fuerunt accedente præcipuè ætate, quæ accedit ad ſeptimum ſeptenarium, & conſequenter ad finem primi ſenij, ſi Galeno, & Hippocrati *credimus. Ardorem autem vrinæ fieri arbitramur, partim ex priuatione humoris in glandulis vreteris nimia venere conſumptis, partim verò ex mordacitate vrinæ, quæ in immenſum aucta fuit ex admixtione plurimæ pituitæ ſalſæ.* H*abuit autem pituita ſalſedinis cauſas, tum ex naturali hæpatis caliditate adurente, tum ab obſtructione & putredine.* Et *hæc quidem de cauſis, & natura affectuū.* Nam *de veſicæ calculo nos quoque dubitamus adeſſe, ſi vera ſunt, quæ intelleximus, ex equitatione impediri, ac lædi, in pectine grauitatem percipi, prurire præputium: quæ omnia coniecturam faciunt: veſicā calculo laborare: ac nos quoque operariis parùm confidimus. Quantùm ad curam, arbitramur eam difficilem fore. Aetas enim maximo impedimento eſt, ſi* Hippo*crati fidem adhibemus: nephriticos enim, & circa veſicā dolores aſſerit nō facilè curā admittere.* Sed *præter* Hippocratis *authoritatē ratio quoq; et rei natura nos ita cogit fateri, quam tamen conſultò omitto: neque enim hîc*

docemus, ſed conſulimus, quid agendũ. Credimus ergo hunc nunquam ita cõualiturum, vt tutò ſibi poßit confidere, quin in eoſdem affectus incidat quacunque etiã leui occaſione incidente, poſſe tamen efficere cura, & aſſidua diligentia adhibita, vt vel nunquam, vel rariſſimè moleſtetur actu, quamuis inclinatio perſeueret. Vt autem hoc commodiſſimè fiat, primò maximè eniti debet, vt in ſex rebus non naturalibus nihil, vel minimè delinquat. Ac circa aërem cauebit omnes exceſſus tam calidos, quàm frigidos, ventorum omne genus, præcipuè tamen auſtrales, & boreales, nocturnũ cœlum, habitationes humidas, & terreas, apertis feneſtris noctu quieſcere, & reliqua huiuſmodi. Somnum meridianum præcipuè fugiat: nocte ſeptem, vel octo horas dormire ſtudebit: reliquo tempore, quantùm fieri poterit, vigilabit. Exercitia matutina conueniunt, ac ſuperiorum potiùs partium, quàm inferiorum. Proinde equitationes magis laudarẽ, ſi affectus veſicæ tolerarent. Sed arcu exerceri, aut iactu lapidum, ac ſimilibus tutiſſimum iudicarem. Poſt cibum quieſcat tam animo, quàm corpore: quies tamen non ea ſit, vt iaceat, vel aliquo modo decumbat: quin potiùs ſtet, vel molliter deambulet ſine aliquo labore. Ab

omnibus animi moleſtiis quam longiſsimè recedat: lætus cum iocundis amicis vitam degat. Pro reliquis nitatur aluum habere lenem: quòd ſi natura defecerit, leniet vel clyſteribus, vel reſina laricis quàm pinguiſsima, quam manè ſumat ad magnitudinem nucis: vel ſumat carnem pinguium caricarum ad vnciam, medullæ cnici, id eſt, carthami drach. duas, & facto bolo deuoret ante prandium: & ius pulli eadem hora bibat, in quo decocta fuerint malua, beta alba, mercurialis. Cibum ita temperet, vt bis tantùm in die comedat, neq; bibat vnquam inter cœnam, & prandium, abcedátque à menſa citra ſaturitatem. Sit cibus ſimplex, atque vnius generis: multitudinem epularum, & vinorum, tanquam peſtem euitet. Sunt autem cibi, qui maximè laudantur à medicis boni nutrimenti, & facilis concoctionis, qui cùm omnibus medicis ſint notiſſimi, cõſultò omittantur. Vinũ eligerem pauciferum, ſubſtantia tenue, liquore puriſsimũ, colore vel album, vel rubeum, clarum, ſapore neque acidum, neque auſterum, ſed maturum. Hæc vbi ritè peracta fuerint maximã partem ſuæ præſeruationis peractam arbitror. Cùm verò, vel neceſsitate itineris, vel ſocietate, vel incontinentia ſæpe delinquant

homines, vnde humores maligni generantur, qui poſtea ad loca imbecillia fluentes morbos generant: ideo neceſſarium putamus ad conſeruationem aliquod habere pharmacum familiare quo ter, aut quater in menſe ſine aliqua moleſtia vtatur. Tale autem eſſe poterit: Accipe agarici optimi, aloës optimæ, rhabarbari bene maturi ana drach. tres, roſarũ rubearum, ſandalorũ citrinorum ana drachmam: gingiberis, cinnamomi ana ſemidrachmã: puluerizentur omnia per ſe, deinde miſceantur, & fiant pilulæ cum melle roſaceo pro qualibet vice tres, & ſumatur drachma ſingulis vicibus manè tribus horis ante prandium. Laudamus præterea, vt bis ſingulis annis purgetur, autumno, inquam, & vere. Purgatio talis eſſet: Accipe floris caßiæ vnciam, ſpecierum hieræ drach. duas: miſce cum ſaccharo, fiat bolus ſumendus tribus horis ante prãdium. Item, accipe ſyrupi magiſtralis facti ex ſucco betonicæ, & ſucco ſaluiæ ſecũdùm artem, vnciam, decocti infrà ſcribendi vnc. quatuor. Accipe Agrimoniæ, cetrach ana manipulum, polypodij, glycirrhizæ, roſarum ana vnc. tres, ſeminum melonum vnc. tres: decoquantur in libris tribus aquæ maluæ deſtillatæ, donec remaneant libræ duæ: deinde ſeruetur decoctum pro ſex ſyrupis: dentur

autem

autem ſyrupi vſque ad nonum, vel duodecimum. poſtea accipe confectionis hamech drach. quatuor, ſyrupi roſacei ſolutiui vnc. tres cum aqua betonicæ fiat potio danda in aurora: talis eſſet purgatio tam veris, quàm autumni. Vere tamen tentarem miſsionem ſanguinis à dextro latere poſt duos primos ſyrupos faciendam. Peractis purgationibus poſtea per 15. ſaltem dies continuos probarē, vt acciperet ſacchari roſacei ſemiunciā hora vna ante cibum bis in die. Ad mēbra verò corroboranda primò laudarem, vt crebrò caput ablueretur ante cœnam ita, vt à cubiculo poſtea non diſcederet. Lixiuium eſſet è cinere ſalicum, aut vitis, in quo decoquerentur maiorana, chamæmelum, roſæ, betonica, & ſtœchas, addita etiam agarici electi ſemidrachma. Vtendum etiam conſulo maſticatione maſtiches ſimplicis manè, tamdiu vt vt deglutiat granum, eiuſdem maſtiches. Vtatur etiam aſsiduè immediatè ante prandium ſeminibus melonum confectis vſque ad ſemiunciam: poſt prandium verò comedat piſtachia confecta ad numerū decē, vel quindecim ad ſummū. Circa partes pectinis quotidie illinat oleo amygdalarū dulciū recenti, vel liliorū alborū, vel cahmæmelino, vel melino, vel mixtio ex his. Vbi verò ardor vri-

næ multùm vrget, factis purgationibus quibuſdam, vel lenitione ventris, & iniuncta tenui diæta, vtatur frequenter in die linctu confecto ex oleo amygdalarum dulcium, & penidiis, ac manè loco ſyrupi, ſumat ſequens decoctum: Accipe *ſeminum alchechengi, vel ſolatri veſicarij drach. decem, cicerum rubeorum grana decem, radicum altheæ vnciam, ſeminum maluæ confractorum ſemiunciam, cinnamomi ſcrupulum: bulliant in iure pulli, & facta diligenti expreſſione, & colatura accipiatur ſcutella ſatis ampla huius decocti, & in ea ponatur ſacchari vncia, & tantundem butyri recentis: bibat hoc totum noctu calidum quantùm ſuſtinere poteſt: hæc enim potio maximè faciet ad vrinæ ardorem ſedandum.* Sedere *etiam in decocto maluarum, aneti, altheæ, chamæmeli, ſeminũ lini, fœnugræci.* Plurimùm *enim confert ad hunc vſum, magíſque ſi decoctũ fuerit ex aqua, & vino albo ſimul commixtis.* De *aquis thermarum, neque ferreæ ſolæ placerent, neque ſuſphureæ: placeret tamen, vt ſi in regione ad id commoda eſſet æger, potaret calidarum thermarum aquas, quales ſunt* Apponenſes, & Porrhetanæ *: poſtea ſuo tempore biberet aquas ferreas, quales ſunt* Calderianæ, *vel* Senenſes, *ita tamen, vt calida*

lidæ

lidæ ſumerentur vere: media autem æſtate ferreæ: neque enim aliter tutam putarem potionem. Non eſſe autem deferendas aquas thermarum ad loca remota multis rationibus perſuademur, ſed bibendas credimus ſeruato adhuc ſuo naturali, & actuali calore.

PRO IVVENE VTINENSI,
Conſilium decimum nonum.

HOneſtus ille iuuenis, qui nobis ſanandus in præſentia proponitur cùm variis præter naturã affectibus vexetur, & inter ſe contraris, nimirum diuerſis etiam auxiliis inter ſe pugnantibus curandus eſt. Vitia itaque tollenda prius recenſeamus, deinde propria auxilia, & ita ſeruabimus methodũ. Laborat itaque in primis lienis obſtructionibus, atque duritie adeò, vt ferè ſcirrhus vocari poßit: atque hic eſt præcipuus morbus, de quo conqueritur iuuenis: etiam nonnihil obſtructionum in meſeraicis patitur: flatu præterea in ventriculo, & toto ferè abdomine abundat cum inſigni tenſione, atque ſonitu, ſiquis digitis pulſet: propterea ipſi diſcrimen magnũ hydropis imminet, niſi iam inchoata ſit

tympanites cũ leui aſcite. Nihilominus ipſũ hydropicũ appellari poſſe negamus, ſed ſpleneticum potiùs: quoniam eo ſanato, à quo tanquam à fonte cætera vitia emanant, totum corpus ad priſtinam ſanitatem reuertetur. Præterea, & febre quadam laborat, quæ reſiduum eſſe videtur quartanæ, quæ ipſum Decembri menſe proximo inuaſit, & pluribus menſibus infeſtauit, nunc verò quodammodo erratica eſſe facta videtur, cùm neque certum diem, neque horam in ſuis circuitibus ſeruet. Huiuſmodi tamen febricula non eſt ægrotanti admodum moleſta: neque enim ipſe propterea decumbit, ſed domo exit, & quòlibet expeditè admodùm, & promptè deambulat. Nullum præterea in initio acceſſionis rigorem, aut extremorum frigiditatem percipit. Hi ſunt præter naturam affectus, quibus iſte infeſtatur, opémque à medicis implorat, ne in peius labatur, verùm priſtinam valetudinem recuperet. His cognitis à cauſarum narratione ſuperſedebimus (hanc enim à nobis ægrotus non poſtulat) ſed illicò ad remediorum explicationem accedemus. Omnibus itaque per clariſſimos medicos cõſideratis, ita illis ſatisfaciendum eſt: primùm quidem, quoniam omnia hæc vitia à materia pendent, vt à cauſa, ea priùs remouenda

eſt. Id verò duplici inſtrumento fieri poteſt, venæ ſectione, & purgante pharmaco. Antequam ad alterum iſtorum veniamus, aluus lenienda eſt, deinde materia aliquibus conuenientibus ſyrupis præparanda. Accipiat ergo per quartam horæ partem ante prandium electuarij lenitiui, vt vocant, ſeſquiunciam, idq́; aut ſub forma boli cum ſaccharo, aut cum ſero caprino liquetur, aut cum aqua cichorei, & fumiterræ, & fiat potio. Sequēti die in aurora huiuſmodi ſyrupum accipiat: Accipe ſyrupi de fumoterræ ſimplicis, acetoſi ſimplicis, de cichoreo ſimplicis ana ſemiunciam, decoctionis infrà ſcribendæ vnc. tres: miſce, & fiat ſyrupus. Accipe agrimonij, id eſt, eupatorij, cetrach, id eſt, aſplenij, endiuiæ, cichorei, ana manip. medium, aquæ cōmunis quantū ſufficit: miſce, & fiat decoctū ſecūdum artē. Quater, aut quinquies huiuſmodi ſyrupo accepto, manè priùs aluo lenita ſpōte, aut clyſtere cōmuni, per horā ſaltē ante cibum ſecetur vena interior cubiti ſiniſtri, extrahaturq́; ſanguis moderatè vſque ad vnc. ſex, aut ſeptem, aut pro iudicio præſentis medici: melius tamen fuerit, ſi hæc ſanguinis quantitas duabus vicibus, non ſemel extrahatur, neque propterea à ſyruporum aſſumptione deſiſtat, quoad in vrina conco-

ctionis bonæ ſigna videantur: quibus viſis pharmacum ſummo manè aſſumat. Accipe agarici præparati ſcrup. quatuor, confectionis hamech ſine ſcammonio drach. quinque, aquæ lactis vnc. tres: miſce, & fiat potio. Vel ita: Accipe diaſene vnciam, ſacchari quantũ ſatis: miſce, & fiat bolus. Accepto hoc medicamẽto iterũ ſyrupi accipiendi ſunt, ſed prioribus efficaciores, hoc pacto: Accipe ſyrupi de endiuia, de fumoterræ compoſiti, de pomis compoſiti ana ſemiunciam, decocti infraſcribendi vnc. quatuor. Accipe fumiterræ, ſtœchados, aſplenij, cichorei, tamariſci, ana manip. medium, aquæ communis quod ſatis eſt: incidantur omnia craſſiùs, & mixta in aqua decoquantur. Tales ſyrupos accipiat numero ſeptem, vel etiam plures: poſtea hanc medicinam aſſumere debet: Accipe confectionis hamech compoſitæ drach. quatuor, electuarij lenitiui drach. duas: miſce, & cum ſaccharo fiat bolus. Hoc medicamento aſſumpto per duos dies, aut tres quieſcat, iterumq; ad nouos ſyrupos accipiendos adiungat ſe. Cùm enim morbus à materia pẽdeat contumaci, ac rebelli, non vnica præparatione, & purgatione educi poteſt, ſed pluribus eget. Itaque huiuſmodi ſyrupis ſequentibus diebus etiam vtetur: Accipe ſyrupi acetoſi de

quin-

quinque radicibus vnciam, de epithymo ſemiunciam, decoctionis infra ſcribendæ vnc. tres: Accipe corticum radicum capparorum, polypodij, dulcis radicis, paſſularum enucleatarum ana ſemiunciam, aſſari, fumiterræ, filicis, tamariſci, aſplenij, betonicæ, agrimoniæ, cichorei, ana manip. medium, corticum radicum ellebori nigri, florum cordialium, ana ſeſquiunciam, ſeri caprini quantum ſufficit: miſce, fiat decoctio ſecundum artem. Cùm huiuſmodi ſyrupos acceperit ſeptem, aut octo, poſtea illico talem medicinam accipiat: Accipe rhabarbari optimi ſeſquiunciam, ſpicæ ſcrupulum, vini aromatici parum, decocti proximè ſcripti quantum ſufficit: fiat infuſio per diem naturalem. Deinde facta expreſſione accipe confectionis hamech, electuarij indi ana drach. duas, ſyrupi roſacei ſolutiui ſeſquiunciam: miſce, & fiat pòtio. Vel loco huius potionis accipiat pilularum cochiarum cum elleboro ſcrup. quatuor, aut pilularum indarum, de fumoterræ, ana ſcrup. duos, & reformentur cum aqua fumiterræ, & fiant pilulæ quinque. Deinde cùm ita exquiſitè corpus euacuatum fuerit, accedendum eſt ad alia remedia, quæ cùm iecoris, tum lienis obſtructiones valenter expediant. Itaque ſemper in iuſculis ſuis decocta

ſit radix petroſelini, & fœniculi cum folijs, & parum aſplenij. Et *quoniam morbus longus eſt, neque vnico remedio diutius vtendũ quia ei natura aſſuefacta non patitur, ideo modò vtatur hoc decocto:* Accipe *radicum arnogloſsi, id eſt, plantaginis ſiccæ, corticis lauri, chamædryos, lapathi ſylueſtris foliorũ hederæ, ana manipulum, aquæ lactis quantum ſufficit: miſce, fiat decoctio vſque ad conſumptionem tertiæ partis, & in fine parum aceti, quantum ſit potabile, admiſceatur: & ex hoc decocto ſummo manè ſumãtur vnc. quinque.* Aut hoc *:accipe ſcordij, foliorum ſalicis, radicũ eryngij, anagallidis cæruleum habentis florem ana manip. medium, filicis, chamæmeli, agrimonij ana manipulũ, aquæ lactis quantum ſufficit : fiat decoctio, vt ſupra.* Poſtea *vbi hoc vſus fuerit per aliquot dies, inde vtatur quibuſdam remedijs ſub forma pilularum, aut pulueris, & paſtillorum ad reſerandas occluſiones hæpatis, & lienis.* Ad *iecoris autem obſtructiones hoc ſit remedium :* Accipe *radicum camepitheos, radicum cichorei ana drach. quatuor: conterito, & melle cocto excipito, & ad auellanæ magnitudinem præbeto, & aquæ calidæ vnc. quatuor ab eius aſſumptione ſorbendas dato: item lupini iecoris ſicci drachmã in pulue-*

rem

rem redacti cũ vncia ſyrupi de cichorea propinato. Pro lienis obſtructionibus: Accipe ſcillæ aſſatæ, corticum radicum capparorum ana drachmam, contunde, & præbe ex poſca drachmam. Aliud valde laudatum: Accipe ſeminum viticis .ſ. agni caſti contuſi, & cribrati per ſubtiliſsimum cribellũ drach. tres, atque ex poſca præbeto bibendum. Atque ita alternatim in aurora exhibebis modò ſpleneticũ, modò iecorarium medicamen, ſed multò frequentiùs ſpleneticum, longe enim magis in hoc iuuene ſplen, quam iecur ægrotat. Item vltimò poſſunt aliqui paſtilli ad patefaciendas viſcerum occluſiones exhiberi. Vt exemplum ſit: Accipe paſtillorum de rhabarbaro, aut de roſis, aut de eupatorio drachmam, redigatur in puluerem, & cum vncia decocti cichorei, & aſplenij in aurora exhibeantur iſta eodem modo. Poſt paſtillos autem exhiberi poteſt, aut drachma confectionis dialachæ, aut diacurcumæ, aut mithridatici, aut theriacæ, ſi bona haberetur: atque ita ſemper variando modò vnum, modò aliud ex antedictis remedijs dandum eſt, neque diutius in vno inſiſtendum. Quòd ſi caliditas febrilis interdum cogat, aliquantulum de ſpeciebus diarrhodi admiſcẽdum eſt. Præterea exteriùs fomenta ſpleni adhibenda

ſunt, vt ex decocto geniſtæ, filicis, aſplenij, chamæmeli, ſeminum lini, aniſorum, dauci, cumini: & ſpongia ex hoc decocto madens applicanda, vel veſicula bubula huius decocti plena ſuperponenda: deinde cum oleo de capparibus, & amygdalino, & nardino inungendum eſt. Sed hæc olea debilia ſunt: ideo ad cerota, & vnguenta magis mollientia, & digerentia veniendũ eſt, quale eſt cerotum de melito, aut Aeſippi cerotum. Oportet enim ſimul mollire, & digerere. Ideo cerotum diachilon mollitũ cum oleo irino optimũ eſt, aut cataplaſma ex radice cyclaminis hoc modo: Accipe radicũ cyclaminis ſeſquilibram, caricarum pinguium ſemilibram, aceti quantum ſufficit: coquantur, & fiat cataplaſma optimum. Item ſtercus gallinarũ ſiccum contuſum cribratum in oxymellite concoquito, & confidenter imponito. Item optimè facit farina hordei, lupinorum, fabarúmque ex oxycrato impoſita: præterea pyrites, aut molaris, aut gagates longitudine octo digitorum, latitudine ſex digitorum, non multæ craſſitudinis, igneſcat, acetoq; aſpergatur, panniculóque in aceto calido madefacto inuoluatur, & loco imponatur affecto, ibique, quamdiu calidus eſt, permittatur. Emplaſtrũ quoque ex hoc lapide à Galeno fit diapyrites

tes vocatum, quod mirum eſt in ſcirrho diſcutiendo. Verumtamen totum ferè in ratione victus ſitum eſſe exiſtimandum eſt: ſi quidē omnis diuturnus morbus maximam ex conuenienti victus ratione opem ſentit. Quapropter aër in primis eligatur, qui neque in calore excellat, neque in frigore, & ad ſiccum declinet. Caueat itaque à pluuijs, nebulis, & ventis auſtralibus, neque incolat, ſi fieri poſſet, loca paluſtria, lacuſtria, aut aquis vllis tum currentibus, tum ſtagnantibus irrigua: ſed ſtagnantes longè ſunt peſſimæ. Præterea loca olidis, putridíſque vaporibus referta euitentur. Sed aër ſit purus, apertus, & leui aura boreali perflatus. Exercitium corporis, cùm febre careat, ſit ante cibum, exonerata priùs aluo, & id quidem moderatum ingrediendo, aut requirendo aliquid, & alijs geſtationibus vtendo. Quòd ſi non poſſit, fricetur eius dorſum, crura, & brachia deorſum verſùs cum panno lineo tepido, non valde molli, neque aſpero vſque ad cutis ruborem. A cibo quieſcat omnino per tres, aut quatuor horas. Loquatur ante cibum alta voce, & vociferetur. Noctu dormiat, quantùm ad concoctionem ſatis eſt. meridianum ſomnū, niſi aſſuetus ſit, caueat. Quotidie ante cibum aluū exoneret aut ſpōte, aut

glandula ſimplici ex melle coċto, aut addita drachma ſpecierum hieræ, aut per clyſterem ex decoċti chamæmeli, betæ, furfurum, mercurialis, maluæ libra, olei anethini vnc. tribus, ſacchari rubei vnc. duabus. Animo *ſit ſemper læto: nihil triſte cogitet: ſemper ſe cõualiturum eſſe confidat: ſolitudinem fugiat: muſicis delectetur: ſemper amicorum & hominum iocundiſſimorum conſuetudine vtatur.* Cibi *verò, & potiones, in quibus maximè victus ratiò conſiſtit, ſint attenuatorij, inciſorij, abſterſorij, & acrium rerum.* Comeſtiones *per interualla interdum proderunt, vt ſynapis, piperis, ſacchari, & huiuſmodi, præcipuè, cùm febris ſedata fuerit.* Modus *autem cibi eſt ne ſatietur.* Potus *vini ſit pauciſſimus, quantùm ſatis erit ad ſedandam ſitim.* P*anis itaque, vt ab eo incipiamus, ex polline triticeæ farinæ conficiatur cum mediocri ſale, & bene fermẽtetur.* P*ræterea, vt flatus, quibus hic ægrotus abundat, diſcutiantur, conficiendo pani commiſceatur ſemen aniſorum, fœniculi, ſeſeleos, cumini, & optimè coquatur.* Carnes *ſint hædi, aut veruecis iuuenis, aut vituli laċtantis, pullorum gallinaceorum, aut columbinorum in turribus degentium, auicularum, quæ ex arboribus, montibus, aut campis victum quæritant.*

Vitentur

Vtentur aues in aquis degentes, & carniuoræ. Oua etiam ſorbilia proſunt. Etiam omnino hæ carnes elixentur, & in iuſculis coquantur radices fœniculi, aut petroſelini cũ folijs, aut vtraque, & condiãtur cum cinnamomo omnia cibaria, & aceto. Piſces nõ ſunt boni, niſi ſaxatiles. Oleribus interdũ elixis veſci poterit, vt beta, malua, aut quod cerfoliũ vocant, mentha, petroſelinum, & reliqua huiuſmodi. Abſtineat ab omnibus leguminibus, à braßica, rapis, cucurbitis, cucumeribus cùm lacte, & omnibus lacte confectis, & lacticinijs. In acetarijs frequenter vtatur capparibus ex oxymellite, aut foliis bugloſſæ, & boraginis coctis, & endiuiæ, intubi, aut cichorei. Fructibus vti poteſt, vuis paſsis ante cibum, & poſt interdum amygdalis. Nuclei pinei ſtomachum lædunt. A pomis, nucibus, caſtaneis, vuis perſicis, melonibus, & breuiter ab alijs omnibus fructibus præter ficus, & eis conſimiles abſtinere meliùs fuerit, donec huiuſmodi febris, & obſtructiones penitus ſublatæ fuerint. Potu vtatur vino albo, tenui, non acerbo, cum quo permiſceatur aqua, in qua ferrum candens igne ſæpe ſit extinctum. Optimum erit ſi omnia ipſius cibaria in tali aqua decoquentur. Præterea fiant vaſcula ex ligno tamariſci, in quibus

vinum quo vti debet, contineatur. His omnibus ita congruenter inſtitutis, & corpore diligentiſsime, vt ſuperius compræhenſum eſt, purgato, ſi febris abolita fuerit, tunc credimus vltimum, & præſentiſsimum remedium fore, ſi aquas Apponenſes potauerit, quarum experimenta multa viſa ſunt in aperiendis viſcerum obſtructionibus, & omnibus naturalibus membris roborãdis. Atque ita Deo annuente huic nobiliſsimo iuueni priſtinum corporis robur, & valetudinem reſtitutum iri ſperamus, atque indubitanter confidimus.

PRO CONTARENO PAtricio Veneto, Conſilium vigeſimum.

QVamuis Magnificus iſte vir multis affectibus præter naturam vexetur, ſicut refertur: vnum tamen præcipuum eſt, cuius ratione à nobis conſilium requiritur: & eſt deſtillatio quædam albæ materiæ nõ mordicantis, neque fœtidæ, colore ſuppallidæ, quæ paulatim quidem, ſed continuè, & iam per decennium perpetuò è virga emanat. Quæritur igitur quod genus ſit hoc ſymptomatis: nunquid id ad gonor-

rheam

rheam, vel ad aliud quippiam tale ſit referendum. An verò ſit alterius generis, & quæ ſit ægritudo, quæ ratio, vnde actio læſa conſequatur. Deinde *vbi conſtiterit de ſpecie, tum ſymptomatis, tum morbi, qua arte curari poßit, ſi modò curationem admittat. Ac de ſymptomate quidem, non crediderim eſſe gonorrheam. Neque enim ego ſemen excerni audio, ac propterea nec dicerem eſſe excretionem ſeminis. Sed nec pus eſſe dicendum eſt, cùm vlceris nullum ſignum, quod ego intellexerim, appareat.* Non *etiam humiditatem è glandulis in collo veſicæ exiſtẽtibus eßе crediderim, cùm non inde ſequatur ardor vrinæ, quod proculdubiò conſequeretur ſi per decennium eo affectu aliquis laboraſſet.* Ha*bet enim illa humiditas hunc vſum præcipuè, vt acrimoniã vrinæ obtundat, oblinátque, & tanquam veſtiat ſuo lentore partes colli veſicæ ſenſibiles ad acrimoniam vrinæ ſedandã.* Ergo *in eam potiùs partem inclino, vt materiæ pituitoſæ, tenues, & crudæ cum portiuncula aliqua bilis admixta propter hæpatis, & renum caliditatem deſtillent per vrinæ meatus, atque ita excernantur, præcipuè cùm hic* Magni*ficus vir amplos habeat meatus, & calidos renes ob hæpatis ſcilicet, caliditatem, ac præterea in tota ſua florẽti ætа-*

te pluſquam oportuit veneri indulſerit, neque rectam rationem in viuendo ſeruauerit. Confirmat hanc coniecturam ventriculi audita imbecillitas, cuius ratione pituita proculdubiò multiplicatur. Indicat etiam hoc ita eſſe nodulorum ſcirrhoſorum multitudo, qui in virga frequentes, & multi ſunt. Indicat etiam difficultas illa in emittẽdo lotio, quod ſine certo conatu expelli non poteſt. Hoc enim cõtingit, quoniã pituitoſa, viſcidáq; materia facilè circa veſicæ collum impingitur, locíque illius anguſtias magis coarctat: virtutem etiã expultricem imbecilliorẽ reddit tum refrigerando, tum etiam vrinæ acrimoniam plus quàm ſatis eſt obtundendo. Quum ergo tale opiner eſſe ſymptoma ob materiam pituitoſam ad eam partem defluentem, cauſaſque habere corporeas, ventriculi imbecillitatem frigiditatis cauſa ſimul cum hæpatis, & renum caliditate, & meatuum amplitudine: curationem moliendam arbitror cum his, quæ huiuſmodi affectibus opponuntur, ac primò corroborandum eſſe ventriculum, ne ſcilicet pituita multiplicetur, ac primò euacuanda quæcunque hactenus fuerit generata, deinde hæpatis, & renum caliditatem temperãdam, meatúſque roborandos. Ergo ab euacuatione totius corporis incipiendum primò, cum his,

quæ

quæ præparatas materias, quas vulgò cõmunes vocãt, euacuent: deinde cũ his, quæ reſiduũ concoquant, poſtea educant. Conſulerem *igitur, vt* Magnificus *iſte vir curãdus primò ſumeret florem caſsiæ põdere vnciæ cum drach. duabus ſpecierum hieræ, ex quibus bolus cõficeretur, manéque tribus horis ante prandium exhiberetur, deinde ſumeret infrà ſcriptum ſyrupum.* Accipe *ſyrupi de abſinthio, oxymellis ſcyllitici, decoctionis cichoreæ, & agrimoniæ in iure tenui pulli vnc. quatuor:* Miſce *pro vno & ſic pro ſeptem: poſt ea accipe confectionis hamech, drach. quatuor, diachatholicon, vnciam:* Miſce, *& cum zuccaro fiat bolus dandus in aurora cum custodia.* Facta *hac purgatione vtatur pro familiari remedio tum ad leniendam aluum, tum ad corroborandum ventriculum, ſingulis ſeptimanis ſemel ſaltem bolo, vel pilulis, quo modo illi libuerit, confectis hoc modo.* Accipe *terebinthinæ optimæ vnciam, rhabarbari electi drachmam:* Miſce: *& ſufficiat hæc quantitas pro duabus vicibus, ſi in bolum, vel in pilulas redigatur.* Placet *etiam vſus frequẽs zuccari roſati, ſi ſumpſerit ſemiũciam paulò ante cibum cum ſcrupulo ſpecierum aromatici roſati.* Laudo *etiam vt ea præmiſſa euacuatione vtatur bis in anno, autumno in-*

quam, & vere: neque enim facilè, aut citò tolletur hæc diſpoſitio, quæ per totum decennium perſeuerauit. Sed ſi curari cupit hic nobiliſsimus vir, non tantùm vtetur præſcriptis medicinis, ſed etiam habebit optimam victus rationem, ſine qua omnia procul dubiò fruſtra fient. Cauebit igitur præcipuè à comeſſationibus, & compotationibus, parcúſque erit tam in cibo, quàm in potu, vtetúrque ſimplici obſonio: & epularum varietatem euitabit: nihil enim illi pernitioſius. Cauebit à piſcibus, paſtilibus, lacticiniis, fructibus, carne porcina, auibus paluſtribus, carne agnorum, & bubula, & prorſus quæcunque antiqua fuerit. Vinum bibet limpidum, maturum, neque adeò potens, ſed moderatè. Cauebit quàm maximè fieri poteſt à venere. Aëris etiam exceſſum euitabit. Atque hac victus ratione, & medicamentis ſpero fœlicem ſucceſſum in hoc Magnifico viro: ita vt prorſus ab omni incommodo tam præſenti, quàm futuro ſit liberandus, quantum attinet ad hanc de qua conſulimus ægritudinem, cum laude omnipotentis Dei, cuius nomen ſit benedictum in ſæcula.

PRO

PRO DVCE BAVARIAE,
Conſilium vigeſimumprimum.

PRobabile admodùm eſt Magnificum hunc, & nobiliſſimum virũ à natiuitate laudabilis fuiſſe temperaturæ, neque in corporis compoſitione deliquiſſe. Audio enim & bono habitu conſtare, ſemperque conſtitiſſe, & eſſe carnoſum, rubei ac floridi coloris, hilarem, ingenioſum, prudentem, & rebus agendis idoneum. Quæ quidem indicant non tantùm corporis temperaturam bene habere, ſed membra quoque omnia principalia in idem exquiſitiſſimè conſpirare. Si quo igitur morbo, vel laborat, vel hactenus laborauerit, non eſt, iudicio meo, vitio corporis, ſed victus rationi tribuendum. Cùm tamen calidioris hæpatis ſit, plurimúmque ſanguinis generet, parúmque exerceatur, & lautiſſimè viuat: nõ eſt poſtea mirum ſi ex redundantia in varias ægritudines ſemper inciderit, & primò in adoleſcentia in tertianas febres, & icteritias, ob feruorem ætatis bilis copiam, & malam victus rationem. Deferueſcente autem ætate dum calor non ita acris adeſſet, frigidiores poſtea morbi inuaſerunt, vt teſti-

culorum, calculi renum, iliaci affectus, vlcera crurum erodentia propter humorũ aduſtionẽ. Et nũc cùm tãtùm ſit in primo ſenio conſtitutus, tòtq; morbis ſubiiciatur, periculũ eſt (niſi exquiſitiſſimè ſibi caueat, & præcaueat, atque iterũ caueat) ne in apoplexiã tandem etiam incidat, aut ſubito ſuffocatus intereat, præcipuè cùm videatur hoc illi eſſe hæreditarium ob ſimilem patris interitum. Oportet *igitur, vt tanquam prudens, & temperatiſſimus vir muniat ſe, atque ab imminentibus periculis cuſtodiat: quod non ita difficilè efficiet, ſi rationi, & fideli medico velit obtemperare.* Ne*que enim, vt priùs dicebamus, vitium aliquod naturale in hac corporis ſtructura eſſe opinamur, ſed ſola deprauata victus ratione contractũ.* Inci*piet ergo à fundamẽto ſolido, & neceſſario, vbi tandẽ totã præſeruationẽ, totam etiã curã inuenerit, ſine quo nihil exequi poterit, & quo ſolo omnia facilè exequetur.* Fun*damentum illud eſt, vt in ſex rebus non naturalibus quãtùm fieri poteſt, nihil delinquat.* Ex*ercitiis vtatur moderatis:* E*uitet omnes aëris exceſſus, omnéſque animi moleſtias:* Q*uotidianam alui excretionem procuret:* S*omnũ meridianum effugiat:* O*minóque ad vigilias potiùs declinet:* S*ed præ reliquis omnibus cibum, & potum moderetur:*

tur:caueat ab aromatum vſu,qui mos apud Germanos plùs nimio viget.Vnico cibo contentus ſit:ferculorúmque,ac omnium eſculentorum copiam euitet.Ideo à lautis menſis,& communi nobilium conuictu,& compotationibus,quàmmaximè poteſt,abſtineat.Iuniores carnes comedat,ſicut hœdorum,vitulorum lactantium,pullorum, perdicum. Oua etiam recentia,& ſorbilia conceduntur.A piſcibus, leguminibus,paſtilibus,lacticiniis, rebúſque omnibus frictis abſtineat. A vino quàmmaximè abſtineat:in vino enim omnia ferè inueniet detrimenta,ſuarúmque omnium ægritudinum fomenta.Sit ergo vinum , vel nullum ſi fieri poteſt,loco cuius vtatur vel ceruiſia:vel ſi vinum admittit , neque ceruiſiam toleret,ſit ſaltem vinum dilutum ,pauciferũ, clarum,ſubtile,& modica admodum quãtitate ebibitum. Quantùm ad id quod quæritur,vtrùm,quemadmodũ conſueuit ſit illi ſingulis annis ſecanda vena : dicimus ex quo hactenus conſueuit non protinus eſſe deſueſcendum. Sed ſi ita viuet , quemadmodum à nobis eſt inſtitutum , non aggregabit ea excrementa,quæ indigeant tanta miſsione ſanguinis, & tunc poterit paulatim ab annua venæ ſectione deſueſcere,præſertim maturiori ſuccedẽte ætate in regione frigida, & bo-

mali. Ad ſecundum quæſitum: Vtrum vlcera crurum ſint præſeruanda nullis factis cauteriis, quæ vulgus fontanellas appellat: Reſpõdemus, cùm iam natura aſſueuerit ad eas partes excrementa corporis, & ea quidem acerrima & peſſima tranſmittere ſi defluxus huiuſmodi intercipietur, fore hoc cum maximo ægri diſcrimine. Sæpe enim vidimus, & habemus parata exempla multorum, qui ex crurum emanantium ſanatione, & exiccatione in apoplexias & pernicioſiſſimos morbos inciderint. Laudamus igitur cauteria in vtroque cruce loco conſueto in parte exteriori quatuor digitis infra genu, euitando cordas, & loca neruorum, ritè eſſe facienda. Et vbi cauteria hoc modo peracta deſtillare, saniẽmque emittere ſatis copioſè inceperint, tunc niſi vlcera ſponte ſanentur (id enim frequenter fieri ſolet) arte medici ſananda eſſe conſulimus. Ad tertium quæſitum, quodnam thermarum genus illi conueniat: Reſpondemus iudicio noſtro omnes calidas thermas ab illo quàmmaximè eſſe euitandas, quales maximè ſunt ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæ, aluminoſæ: æneæ veró & reliquæ huiuſmodi in quibus tamen ferri minera prædominatur, ac conſequenter frigidæ ſunt & ſiccæ, harum vſum ſummoperé laudamus. Hæpatis

enim

enim, renúmque, ac dorſi feruorem contẽperabunt, per vrinam excrementa corporis expurgabũt, corpúſque totũ ſua adſtrictione corroborabunt. Debet *autem hoc corpus ita præſeruari, vt bis in anno, vere inquam, & autumno exquiſitè purgetur pharmacis bilem præcipuè, & pituitam purgãtibus.* Inter *quæ omnibus ego prætulerim confectionem hamech ſyrupo roſaceo ſolutiuo admixto.* Et *quoniam à me requiritur, vt particularis modus purgandi tradatur: licet hoc præſentibus medicis eſſet dimittendum, nihilominùs, vt amicorum deſiderio ſatisfaciam, particularem purgandi formam exponam.* Ineunte *igitur vere circa primam* Lunæ *quadram manè hora ante prandium, duodecim drachmas floris caſsiæ in bolo confectas exhiberem, ac die ſequenti ſyrupum infrà ſcriptum propinarem, qui habet:* Accipe *ſyrupi acetoſiſsimp. multæ acetoſitatis, ſyrupi de ſucco limonum an. vnciam, decocti acetoſæ, ſeminum citri, carnis citrangulorum, vel arantiorum, cortice dempto an. vncias quatuor: miſce pro vno, & ſic pro aliis.* Sumptis *ſeptem ſyrupis pharmacum accipiet quod habebit:* Accipe *confectionis hamech drachmas quatuor, ſyrupi roſacei ſolutiui vncias quatuor, cum modico aquæ acetoſæ fiat potus: ſumat*

in aurora cum cuſtodia. Poſtea *vtatur ſaccha/ ro roſaceo per plurimos dies: quod etiam lau do, vt familiare habeat.* Sanguis *autem mittatur è vena baſilica dextri lateris poſt exhibitionem ſecundi ſyrupi, tertio ſcilicet die ab aſſumpta caßia. Quantitas ſanguinis eſt pro virium ratione metienda.* Autumno *eandem prorſus euacuationem repetet excepta ſanguinis miſsione. Quantum ad aſthma attinet, illud (vt audio) merum fuit ſymptoma ob retentionem materiei conſuetæ ad crura defluere. hoc enim tantũ porximo anno inuaſit, dum crurum emanatio detenta eſſet.* Propterea *emanantibus cruribus crediderim non ſuperuenturum aſthma.* Si *tamen contingeret, in paroxiſmo quàmmaximè eſſet abſtinendum à cibo, & potu.* Sorbitio *tamen paulatim, & per interualla exhibenda eſſet modò aquæ mulſæ cum hyſopo decoctæ, modò cum oxymellite eadem hyſopo adiuncta.* Erectus *maneret, neque omnino iaceret ſupinus, vbi ſpirat aër liber frigidus minimè ſuffocatus: illiniret pectus & thoracem totum tam anteriùs, quàm poſteriùs linimento ex adipe anſeris, butyro, oleo amygdalarum amararum confecto, adiuncta particula croci: procuraret etiam cum clyſteribus acutis alui lenitionem, ita & euacuaret, &*

auerteret

auerteret materiam. Declinante paroxiſmo poſſet agarici præparati drachmas duas deglutire ſiue in forma pilularum, ſiue ex melle roſaceo collectum, ſiue dilutum aqua betonicæ, vel hyſopi, & ſimilium. Menſe Iulio. 1547.

PRO FRANCISCO CASALI medico Brixiano, conſilium vigeſimum ſecundum.

CVm in propris negotiis ita affecti ſumus, iudicium quoque proprium afficitur, vt deliteſcat. Sed ego propter officium fidelis amici huius excellentis Medici non deficio, & quod in eo caſu facturus eſſem affero, & primum hoc pro fundamẽto apud me conſtituo, hunc morbum non eſſe vno impetu aggrediendum, ac depellendum, ſed paulatim remouẽdum. Cùm enim in naturalium membrorum eſſentia intemperiem eſſe iudicem, obſtructionéſque ac materiæ frigidæ, & craſſæ collectionem, patet neque quò ad intemperiem neque quò ad materiam, neque quò ad membrorum affectorum naturam aliquid eſſe violenter, im-

petnoſéque agendum. Conſtituta igitur optima victus ratione, quæ in hac cura primaria eſſe debet, ad medicationem accedendum. In victus ratione obſeruarem, vt omnia cibaria eſſent optimi alimenti, facilis coctionis: ſed quantùm fieri poſſet attenuantium. Ideo vinum ſubtiliſſimum, mediocris ſubſtantiæ ſit. Præponerem cibis omnibus vſum aniſorum, aut fœniculi, aut cinnamomi ante prandium & cœnam: panem optimè fermentatum conſtituerem cum modico ſalis, & puluere aniſorum. Reliqua cibaria nouit eius excellentia. Et bibat parcè. Nam deſiderarem, vt plùs humoris per vrinam excerneretur, quam biberet. Somnus ſit ſatis prolixus, meridianus tamen euitetur. Mane ſatis tempeſtiuè ſurgat, & moderatè exerceat corpus: ſitq́; quàm maximè fieri poſsit læto, & iocundo animo. Aluum habeat ſemper mollem & pro hac re laudarem maximè frequentem vſum reſinæ terebinthinæ: de qua ſumat excellentia eius manè tribus horis ante prandium drach. 1. aut 2. Præter quàm enim quòd moderatè leniet aluum, etiam ad ventrem roborandum & obſtructiones viſcerum aperiendas ſine moleſtia conferet. Et hanc deinde purgationẽ exequerer. Accipe ſpecierum hieræ ſimp. drac. 2: electuarij lenitiui vnciã, cum zuccaro fiat

bolus

bolus dandus tribus horis ante prandium. Cõcoctio. Accipe *ſyrupi de abſinthio, oxymellis ſcyllitici an. vnciam, decoctionis cethrach, id eſt, aſplenii, cichoreæ, agrimoniæ, chamædryos, an. vncias quatuor, pro vno ſyrupo, & ſic pro aliis ſeptem.* Euacuatio *per pharmacum:* Accipe *cõfectionis hamech drach. 4. oxymellis ſcyllitici vnc. 2. cum decoctione cetrach & florum cordialium fiat potio dãda in aurora cũ cuſtodia.* Hic *meus eſſet curãdi modus, quem ſi neceſſitas exigeret, in autumno repeterem,* In *mediis verò temporibus præteream dictum vſum naturalem.* Laudarem *vt reſinæ terebinthinæ ſingulis ſeptimanis bis ſumeret drach. 1. vel 2. & rhabarbari in puluerem redacti ſexquidrachmam, poſſetque illud aſſumere vel cum reſina terebinthina, vel cum ſaccharo roſaceo, vel cum paſſulis Corynthiis, qui modus ei placeret magis. Quòd ſi etiam bis in menſe ſumeret* Mithridatici *optimi drachmam vel in pilulas redactam, vel in formam boli, admiſcendo ſacchari roſati drach. 2. credo illud fore ad calorem naturalẽ corroborandum, & ad membra principalia ſummoperè collaturũ.* Iis *eſſem nũc cõtentus: credóque, ſi omnia diligenter exequentur, vt mandantur,* Excellentia *eius ſanitatem adipiſcetur.*

DE COMPONENDIS

PRO CIVE VERONENSI,

Conſilium vigeſimumtertium.

CAſus huius nobiliſsimi viri indiget præſeruatione, & curatione. Debet enim præſeruari ab his, quæ facillimè poſſunt euenire. Cũ enim ſit frigidi vẽtriculi, hæpatis calidiſsimi, & renũ cũ venis amplis & latis, vt par eſt in tali tẽperatura, primùm nõ eſt mirũ, ſi redũdat plurimis harenulis rubeis excretis per vrinã. Excoquitur enim materia tũ pituitoſa, tũ bilioſa, & aduritur à ſuperflua renũ caliditate: vnde excernũtur harenulæ. Sed poſtea ſucceſſu tẽporis facta imbecilliori virtute excretiua, & multiplicatis vẽtriculi cruditatibus verẽdũ, ne harenulæ concreſcant in lapidem cũ maximis doloribus, vt fieri ſolet, & ſubiiciatur calculis renum, fortaſſe etiam veſicæ: imò & ab iiſdem cauſis ſenile corpus incidere poſſet in dolores articulares, & podagras, & alias huiuſmodi malas ægritudines. Ergo ſumma diligentia præſeruandus eſt. Præſeruatio autem cum indigeat longo tẽpore, & aſsidua diligentia tota eſt in manu patiẽtis. Igitur erit noſtrum conſulere: eius autem erit parere, & perſeuerare. Circa igitur victum,

cuſtodire

cuſtodire ſe debet ab omni aëris exceſſu, & ne alteret corpus tam ad calidum, quàm ad frigidum: vtrumque enim nocebit. Ideo venari hyemis tempore in nauicula & piſcari, plurimùm nocet: quia aër extrinſecus refrigerat, & humectat: labor verò intrinſecus calefacit, & exiccat, & ita in vtroque extremo ſimul exiſtẽs etiam corpus maximè afficitur. Debet igitur primo omnes exceſſus aëris euitare tam caloris, quàm frigoris, omnes item exceſſus laboris & exercitij præcipuè poſt cibum: ſed moderatè ſe exercere (neq; enim ab exercitio abſtinere debet) & id horis matutinis, & poſt cibũ quieſcere: a coitu quantùm poßibile eſt abſtinere: ſed præcipuè nocet venire repleto. Habeat quotidie alui beneficium, & ſi non habuerit, vtatur manè iure pulli, in quo decoquatur malua, pruna ſicca dulcia 10. aut 12. & paſſularum vncia: & facta diligenti expreſſione, bibat ſcutellã huius brodij calidam tribus horis ante cibũ. Erit enim hoc remediũ, & ad tẽperandũ hæpar, & vẽtriculũ, & ad leniendã aluũ accõmodatũ, ad renéſque expurgandos. Vinum eligat pauciferum, id eſt, leue, coloris rubei, clari non multùm, ſaporis medii, non dulcis, neque acidi. Caueat ab vſtis, & ab omni vino turbido, & craſſo, & potenti, & dulci. Caueat etiam

à vino refrigerato, & à potu aquæ frigidæ: & non bibat poſt prandium, aut cœnam. Vtatur tantùm carnibus iuuenum animalium, ſicut vitulorum, hædorum, caſtratorum iuuenum, auium omnium campeſtrium præter coturnices. Vtatur ouis ſorbilibus & recentibus. Abſtineat quàmmaximè ab omnibus aromatibus, omnibus ſalſis, à rebus frictis in ſartagine, à caſeo, & lacticiniis; à paſtillibus, ab herbis, & maximè, crudis. Et ideo euitabit acetaria. Poterit quandoque temperatè vti aſparagis dulcibus decoctis, capparibus, & lactuca, & cichorea cum modico cinnamomi. Ab aliis omnibus abſtineat. Euitabit multitudinem ciborum, ſed ſemper vnico cibo ſit contentus. Laudo vt pro conſeruatione ſtomachi vtatur vel aloë ante cœnam pondere ſcrup. I. vel rhabarbaro, vt conſueuit ante prandium tribus horis pondere ſemidrachmæ, vel etiam flore caſſiæ cum rhabarbaro. Hæc omnia conueniunt, & contemperant, euacuántque mẽbra læſa præter omne nocumentum: ſed inter omnia maximè mihi placet vſus ipſius aloës: neque timebit caliditatem eius, etiã tempore æſtatis, & permittet dicere vulgares medicos quicquid volunt. Laudo præterea vt quàm frequẽtiſſimè ſumat ſemiũciã, ante cibũ circa horã vnã,

optimi ſacchari roſati per totum annum, etiã ſi quotidie ſumeret. Eſt enim præſtantiſſimum remedium. Conſulo igitur, vt iubeat præparare ſibi hoc anno vas magnũ illius ſacchari pro toto anno: facilè enim conficitur etiam in domo propria. Hæc pauca ſunt, quæ credo nũc ſuffectura: Et ſi omnia diligenter obſeruauerit, proculdubiò ab omnibus incõmodis præſeruabitur. Quantum attinet ad linimẽta circa renes, laudo potiùs vnguentũ infrigidans Galeni ſimplex, quã aliquid aliud.

PRO HEROE D. A DITRICHſtain, *Conſilium vigeſimumquartum.*

IN *adoleſcente iam in vigeſimo anno conſtituto alioqui boni habitus, ſatis proceri corporis, & optimæ indolis, non poſſet eſſe catarrhus tã diuturnus, tã moleſtus, tã cõfirmatus, niſi intẽperies cerebri inſigniter frigida, & humida fuerit. Eſt enim catharrus pituitoſus, muccoſus, & frigidus. Vnde autẽ cõtracta fuerit huiuſmodi intẽperies, an ab exceſſu rerũ nõ naturaliũ, vel ab alio aliquo haud ſatis cõpertũ habeo. Quantum verò ad præſens negotiũ attinet, non ita multùm refert, ſiue naturalis,*

ſiue acquiſita hæc fuerit intẽperies. Hoc *vnũ proponam, neque facilè, neque citò remouendum fore, imò indigere exactiſſima diligentia alicuius medici, ſed longè maiori ægrotantis.* Ex *longa enim perſeuerantia curationis, poterit æger ad meliorem habitũ deduci: alioqui periculum imminet, ne in deteriorem aliquem morbum dilabatur, præcipuè ætate maturiore ſuccedente.* Enixè *igitur tanto diſcrimini eſt reſiſtendum, & in primis exquiſitiſſima victus ratio habẽda eſt, ſicuti in omnibus morbis diuturnis obſeruari debet.* Pri*maria igitur diligentia circa aërem ſit.* Om*nino enim tam frigiditas, quàm humidita aëris eſt vitanda.* Sed *nec flatus cuiuſque generis admittendi ſunt, ne cerebrum replean vel refrigerent, vel conſtipent.* Propterea *el gat eiuſmodi locum ſuæ habitationis, ne aë cerebro inferat aliquod malum propter frig ditatem, vel humiditatem.* Et *diligenter ob ſeruabit, ne poſt ventriculi repletionem ſe a ſtudia, aut mentis exercitia conferat.* Sed *pe quatuor horas interim quieſcat, vel deam bulet remiſſo animo, vel cum amicis lætis, & iocundis verſetur, & euitet omnes animi mo leſtias.* Illæ *enim non tantùm catarrhum fo uent, & augent, imò generant.* Laudo *exer citia horis matutinis, quæ ſint placidiora ſe*

longior

longiora vſque ad manifeſtam mutationem anhelitus, totiúſque corporis calefactionē inſignem, ita tamen, vt poſt exercitium euitet aëris exceſſum aliquem, vel flatus, vel frigiditates, aut humiditates, immutétque veſtimēta ſi fortè ſudorem haberent. Laudo, vt caput abluat ſemel ſaltem ſingulis ſeptimanis, ſitq; ablutio talis: Sumatur lixiuium dulce ex cinere vel ſalicis, vel populi, vel ſarmentorum vitiū, uel nucis, vel huiuſmodi, & ex eo quātitas vnicæ ablutioni eligatur ſufficiens, in qua camomilla, roſæ, maiorana, & betonica decoquantur ſimul cum drach. duabus agarici minutim inciſi, & in panno lineo inuoluti, qui poſtea pannus poſt decoctionem diligenter in hoc decocto exprimatur, hócque lixiuio caput abluat adhibito ſapone aliquo odorato, quales apud pigmentarios reperiuntur. Hora ablutionis ſit veſperi ante cœnam, vt deinde faciliùs poſſit aëris omnia incommoda euitare: & poſt ablutionem ſuauiter, & leniter caput pannis moderatè calidis exiccetur. Studeat quoque, vt manè ante ortum ſolis exurgat, neque comedat, niſi ſex horis poſt egreſſionem lecti. Tali enim modo catarrhus rectè collectus optimè cōcoquetur, & digeretur, ac cibus in prandio purum vētriculum inueniens optimam concoctionem

perficiet. Nihil enim peſtilentius his, qui catarrho ſubiecti ſunt, quàm ſerò è lecto ſurgere, atque ad prandium accedere nocturno catarrho adhuc fluctuante. A prandio caueat, ne aliquo modo dormiat, bibat, aut comedat. Nam nihil inter prandium, & cœnam sumẽdum eſt, ſiquis catarrho ſtudet liberari. Imò & cœnam ſumat longè parciorem, quàm prandium, tum in cibo, tum in potu. Laudaremus, ſi veſperi à carnibus abſtineret: neque cubitum eat, niſi duabus horis ſaltem trãſactis à cœna, interim leuiter deambulet, vel ſtet. Ita enim caput leuius erit noctu, maneque recrementis, ac vaporibus omnibus liberum habebit. Ergo vt hæc cõmodè fieri poſſint, ſurgat maturè, & ſic maturius prandeat, & cœnet. Cibus illi omnino ſimplex eligendus eſt. Ciborum enim multitudo catarrhis aduerſiſsima eſt. Vinum ſit pauciferum, albũ, limpidiſsimum, bene maturum, quod etiam parciſsimè bibat. Carnes comedat animaliũ iuuenum caſtratorum, pullorum, hædorum, vitulorum, leporum etiam iuuenum, & cuniculorum, auiúmque campeſtrium. Abſtineat à paluſtribus cuiuſcunque generis: piſces etiam euitet, & caſeum, & lacticiniorum omnia genera: item legumina, & paſtillos, panéſq; azimos, & quæcunque in ſartagine aſſantur.

His

His ita bene diſpoſitis neceſſariũ eſt quàmplurimo tempore ſeruare inſtitutum. neque enim facilè, ſicut antè paulò diximus, tolletur affectus tam lõgo tẽpore cõfirmatus. Quantũ verò ad medicinas attinet, noui illuſtrem Dominum *à quocũque genere medicamentorum abhorrere, vt neſciam, an vnquã talem inuenerim.* Ideo *ne fruſtra offerantur, quæ nullo modo ſunt admittenda, placidiſsima quæque proponamus, quæ non niſi à pertinaciſsimo reiici poſsunt.* Et *primò vtetur ſaccharo roſaceo ſingulis anni tẽporibus: ſingulis quoque diebus ſi licuerit, vel ſaltẽ ter, aut quater in ſeptimana vtatur.* Vtatur *etiã ante prandiũ odoratiſsima, & iocundiſſima confectione, quæ habet:* Accipe *roſarũ rubearum, ſandalorum citrinorum, ſeminũ citri ana drachmam, ligni aloës optimi, & ſinceri drachmas duas, ſacchari optimi quantum ſufficit: miſce, & fiat confectio in rotulis: vtatur drachmis duabus vna vice ante prãdiũ, & cœnã vna hora. Quòd ſi pateretur rhabarbari optimi ſcupulũ manè ante prãdiũ mandere primò ſenſim, deinde deglutire haberet remedium præſtantiſsimum. Quòd ſi id noluerit, vtatur ſaltem bis ſingulis mẽſibus pilulis infrà ſcriptis, & ex eis vnam duntaxat ſumat in veſperi ingreſſurus le-*

ctum, quæ ponderis eſſet drachmæ. Accipe rhabarbari electi, aloës ſuccocitrini, agarici optimi an. ſeſquidrachmam, nucis muſcatæ, garyophillorum, gingiberis, pulverizentur omnia per ſe: deinde miſceantur, poſtea aſpergantur ſucco roſarum puro, & permittantur exiccari, & ſic iteretur ſepties: deinde cum oxymelle ſimplici fiat magdaleon, & ſeruetur ad vſum. Item laudo, vt in ingreſſu lecti vnam, aut alteram guttam in vtramque aurem iniiciat olei ex optima terebinthina, & appoſito bombice muſcato dimittat vſque ad lucem ſequentem. Si etiam manderet manè granum maſtichis vt expueret, quicquid ſaliuæ redundaret, egregiè ſuæ ſaluti conſuleret. Atque vbi hæc dilige̅ter, ac diu peracta fuerint, ſpero illuſtrem dominum ab omni deteriori diſpoſitione præſeruandum, atque ad meliorem habitum profuturum, diuino tamen aſpirante auxilio.

PRO MERCATORE VENEto, conſilium vigeſimum quintum.

EX quo manifeſtè patet ex hiſtoria laſſitudinem præceſſiſſe hunc dolore. Ait enim quod cum in quadrageſima præterita, plurimùm

plurimũ laboraſſet dorſo,incidit in laſsitudinẽ longã.Vnde dolor cauſatus eſt,qui dolor labor,à græcis πόνος dicitur: ſed πόνος eſt affectus potiùs laboris, quàm labor, & ſequitur ex defatigatione: & ſicut cõtingit hoc ſponte fieri, ita quoque à cauſa extrinſeca. Fiunt enim ſæpe iidem morbi à cauſa extrinſeca, qui à cauſa intrinſeca fieri ſolent. Cùm igitur ſoleant eſſe, & ſint (vt ſecundo de ſanitate tuenda dicit Galenus) tres laſsitudines diuerſæ, quæ indigent diuerſa curatione, quædam vlceroſa, quædam extenſiua, quædam phlegmonodes, vt ipſe appellat: vnaquælibet iſtarum habet diuerſas cauſas corporeas. Et quamuis à diuerſis accidentibus extrinſecis fiant, ſunt tamen ſemper diuerſæ cauſæ coniunctæ proximæ. Vlceroſa fit propter humores acres erodentes, qui decurrunt ad locum læſum ex labore. Extenſiua fit, dum flatus tendit ad muſculos, & facit extenſionẽ. Phlegmonodes compoſita eſt ex vtraque. Quærendum eſt, quænam ſiat laſsitudo ex his tribus? Ex quo perſeuerauit illud idem, quod factum eſt cauſa extrinſeca? Primò dixerim non eſſe vlceroſam: quia non audio perpeſſum eſſe corroſionem in loco, ſed tantùm grauitatem quandam circa dorſum ita, vt non poſsit erigi: videtur enim

tanquã clauum infixum habere in dorſo. Nec *eſt* Phlegmonodes: *nam illa eſt cum maxima caliditate, & cum extenſione quæ rariſſimè contingit, & illam ſemper ſequitur febris.* Ergo *cùm nec vlceroſa, nec phlegmonodes, relinquitur quòd ſit tenſiua propter humores craſſos, vt denotat morbus, & perſeuerantia ipſius doloris.* Refert *enim ipſe dolorem eſſe grauatiuũ fixum, & permanentem in loco.* Refert *etiam hactenus cum ita perſeueraſſe, licet variet ſecundum tempus.* Credo *igitur quòd ab ea cauſa primitiua, videlicet à labore, & nimio exercitio contigerit idem, quod in laſſitudine ſpontanea contingit: vbi multiplicantur humores ſiue acres, ſiue calidiores, ſiue frigidiores, qui tenſionem faciunt: vel phlegmonoden quæ eſt mixta.* Quoniam *ergo humores plurimi ſunt in corpore, à quacunque leui cauſa mouentur, & faciũt laſſitudinem: contigit id in hoc ex nimio labore dorſi.* Licet *enim non adſit multitudo materiæ; nihilominùs propter maximum dolorem relaxatæ ſunt partes dorſi, arteriæ, & venæ, & nerui, & propterea incaluit membrum, & propter calorem apertæ ſunt magis viæ.* Calor *etiam attraxit: vnde materia defluxit, & ex ea cauſatus eſt dolor.* Nam *non dicerem, quòd tanta eſſet mate-*

ria

ria frigida, quæ ſponte defluxiſſet: ſed contigit hoc violentè. Quòd non fuerit materia multa, quæ potuerit hoc facere, habeo coniecturam ſatis rationabilem. Habet *corpus hoc membra ſcilicet penitus præparata, vt generent humores pituitoſos.* Habet *hæpar calidũ vt ex toto ambitu apparet, & quod potiùs calidos, quàm frigidos humores generet: præter ea nunquã conqueſtus eſt de ventriculo.* Videtur *ergo ventriculus calidus.* Nec *de catarrhis conqueritur, & conſequenter habet cerebrum calidum, quod non potuit generare humores frigidos, quantùm ad naturalem diſpoſitionem.* Nihilo *minùs patitur ægritudinem frigidã propter materiam frigidã, quæ ægritudo non proportionatur ſuæ temperaturæ.* Sed *vnde contigit?* Eſt *mercator, vendit merces, manet in ſua officina ſemper, & mala ratione victus vtitur: potuit ergo contingere hoc tum ratione diſpoſitionis corporis, tum ratione cibationis, præcipuè tempore quadrageſimæ, qua vſus eſt cibariis maximè generantibus humores crudos, quidum habuiſſent occaſionem à cauſa procatarctica, & incaluiſſet dorſum, fecerunt morbum iſtum, de quo nunc conqueritur.* Credo *igitur defluxiſſe materiam frigidam ad locum à cauſis extrinſecis violenter, non*

ratione propriæ temperaturæ. Nam propter malum victum, & artem, quam exercet, generatus eſt humor, ex quo dolor. Nemini dubium eſt quòd materia defluens congregatur in aliqua parte, & quòd ex ea collectione fiunt duo, primò intemperies, quæ eſt frigida, ſecundò materia defluxa: quæ ſi frigida fuerit, refrigerabit locum, ſi calida calefaciet: & itidem de paſſiuis dicendum. Vnde generatur intemperies in membro ſecundum affluxum materiæ. Materia frigida eſt, vt apparet ex dolore & perſeuerantia longa doloris: iam enim eſt annus, & tamen reſolutus non eſt ex aliqua parte, imò augetur potiùs. Materia frigida, & viſcida eſt: ergo probabile, quòd impreſſerit talẽ intẽperiem in mẽbro, ad quod defluxit: ſecundò dũ materia ibi colligitur in neruis muſculis, & locis anguſtis extenditur, & flatuatur, & ex tali extenſione cauſatur dolor. Iſtæ ſunt duæ cauſæ doloris propriæ, vt altera poſsit inducere dolorẽ ſine altera, vt rectè eſt interpretatus Auicenna ſententiã Galeni, licet importunus Auerrhois malè intelligat Galenũ. Vtitur enim æquiuocatione. Ex intemperie ergò primò cauſatur dolor. Extenſione, & ſolutione cõtinui cauſatur dolor: ergo ſi vtrumq; conuenit, & dominatur hoc, vel illud, fit acutior

tior dolor. Ergo crediderim, quòd materia tantoperè genuit intemperiem, quantò & probabile eſt (loquor de materia fluxa) quòd materia affecerit locum eadem intemperie, qualis ipſa eſt. Ideo non percipitur ampliùs dolor, quia æqualiter facta eſt intemperies in loco, & illud euenit, quod diximus in lectionibus de phrenitide propter humorem biliosum exiſtentem in capite, quando æqualiter occupat totum cerebrum, cerebrum non percipit amplius nocumentum, quia factum eſt tanquã becticum. Ita contingit in membro, vbi perſeuerauit diutius humor: facit enim membrũ tanquã becticum, vt æqualiter per totũ membrum inducatur qualitas ſecundũ naturam humoris. Et ideo non percipit dolorem, niſi quando flatuatur materia propter extenſionem, & ſolutionem continui, quum nõ poſsit percipere dolorem propter illam intemperiem habituatã. Hic adeſt intemperies permanens frigida, & materia ſuis temporibus flatuata extenſa: ergo ſecundũ varietatem temporũ dolor efficitur. Iſta eſt ægritudo, ex qua ſequitur, quòd locus eſt factus imbecillior, et tandẽ iſtæ diſpoſitiones permanentes. Factus autẽ eſt imbecillus propter intemperiẽ frigidã, & humidã, qua intemperie inducta neceſſariũ eſt vt exiſtẽte

corpore tali, vbi ſemel eſt facta illa occaſio, defluant poſt ea humores, qui aggregantur in corpore, ad illam partem: qui humores ſunt neceſſariò pituitoſi. Ex imbecillitate prætereà loci, & intemperie datur occaſio noui difluxus, ita vt iam partim materia fluxerit, & fecerit morbum, partim fluat, & faciat morbum, & partim factura ſit. Oportet ergo iſta omnia diſtinguere rectè pro recta curatione. De materia, quæ fluit, dico, quòd non eſt vniformis, ſed talis, qualis natura cibariorum, ex quibus præcipuè in corpore calido probabile eſt, quòd generentur humores calidiores, & deſcendant ad partem debiliorem. Eadem ratio eſt de humoribus fluxuris. Hactenus habuimus, qui ſit ille morbus: à quibus cauſis dependeat: & vtrùm ſit factus, an fiat, vel partim factus ſit, & fiat, vel futurus ſit. Dicamus modò de accidentibus. Dicit quòd in tempore hyemis, & æſtatis meliùs ſe habet, quàm in vere, & autũno. Vnde cauſatur iſta diuerſitas? Stante illo humore pituitoſo certum eſt, quòd non generatur dolor, niſi quando flatuatur, & extenditur humor pituitoſus: & hoc fit in temporibus mediis, in vere, & in autumno, in hyeme quieſcit, quia tunc materia non flatuatur, quæ excitet dolorem. In æſtate tantùm reſoluitur,

quantùm

quãtùm ſtatuatur. In tempore medio ſtatuatur, quia attenuatur, & colliquatur humor, & non poteſt reſolui. Aptus enim eſt, vt colliquetur: ſed non reſoluitur. Vnde dolor maior cauſatur in temporibus mediis, quàm in temporibus calidioribus, vel frigidioribus propter cauſas iam dictas. Quæritur an humores bilioſi præter pituitoſos adſint? Poſſunt adeſſe: nihilominus eſt pituita à prædominio. Non tamen negârim etiam adeſſe plurimùm de bile propter temperaturam ſuã naturalem, & de ſanguine, licet ſanguis ſit parcior. Eſt dicendum de loco affecto. Cùm dicat ſe dolere circa vltimas vertebras colli, et dorſi, dico ex ſententia Auic. vbi dolor, ibi ægritudo. Eſt ergo credendũ quòd ibi ſit circa illas partes materia impacta, & propterea credo breuiter humorem eſſe, vbi dolor eſt, et in profundo, quia nõ audimus quod extrà appareat tumor ad tactũ. Sed interiùs percipitur dolor circa os, & neruos, qui proximè deueniũt ad vertebras. Vtrũ in perioſtio? Credo potius eſſe in vertebris, quia conſentit totum crus, & coxa. Non poſſet hoc fieri, ſi in perioſtio eſſet. Tantùm enim doleret in ea parte. Si in muſculis, læderentur illæ partes, quæ mouentur à muſculis. Sed cùm ſentiat totum crus, & muſculi illi non moueant

crus, qui ſunt affecti, credendum eſt, quòd nerui vigeſimæ ſecundæ vertebræ ſint læſi, & dolorem patiantur, & ita per cōſenſum cauſent dolorem in mouendo crus. Quia verò materia viſcida, & craſſa eſt infixa in parte frigida, & priuata calore: nemini dubium eſt quòd tum ex parte materiæ, tum ex parte loci curatio erit difficilis. Materia enim, quæ craſſa eſt, non facilè concoquitur, & expellitur: vbi poſtea eſt in membrō frigido, & exangui infiltrata, quia non habet rationem concoquendi, longè difficiliùs tollitur. Præterea, ſi membrum non habeat meatus apertos, & vias, ſed ſit denſum, & cōpactum, difficilior adhuc eſt curatio: vt ſi adhuc materia eſt profunda, cui difficulter poſſint applicari remedia. Sequitur etiam ratione ſitus difficultas curationis: ergo tum ratione ſitus, & cōpoſitionis, tum ratione materiæ, erit difficilis curatio, & longa, vt quotidiana experientia videmus. Quod ſi etiam ratio ſocietatis acceſſerit, & membri affecti cum aliis membris mandantibus ſit conſenſus aliquis, tantò difficilior eſt adhuc curatio. Cùm ergo laborent huiuſmodi nerui exiſtentes circa vertebras, & cerebrum ſit aptum ad hoc, vt multiplicet catarrhum, & pituitam, ſiue vt Græci dicunt blenam, ſiue muccum, magis, & minùs ratione

tione temperaturæ. Cerebrum enim ſuapte natura eſt frigidum, quod aſcendẽtibus vaporibus plurimam materiam generat: vnde cùm in partibus ſuperioribus generetur pituita, cõſenſúſque magnus ſit, propter talem conſenſum membrorũ ſuperiorum cum ſpondilibus, fit quòd continuè deſcendat materia, & foueatur, augeatúrque morbus. Et ideo *fit difficilior curatio.* Quòd *ſi acceſſerit ætas ſenilis, faciliùs quidem corripietur à catarrhis: ſed difficiliùs tamen curabitur propter imbecillitatem caloris colliquantis, vt* Galenus *teſtatur in aphoriſmo.* Bronchi, *& corizæ in valde ſenibus coctionem non admittunt.* Tot *ſunt rationes, quare curatio nobis difficilis erit.* In *curatione non debemus diſcedere à natura morbi.* Morbus *iſte partim eſt factus, partim futurus: vtrique debetur curatio, ſed diuerſa.* Quantùm *ad factum debemus remouere intemperiem frigidam, & humidam, & ita confortare locum.* Materia *impacta frigida eſt, quæ eſt cauſa propinqua, & continetur in morbo.* Sunt *cauſæ aliæ: eſt materia continuè affluens, & eſt materia fluxura.* Quid *debemus facere?* Incipiendum *eſt à cauſa coniuncta, quia adfert indicationes curandi.* Ma*teria fluxura habet rationem primæ cauſæ*

antecedentis, & non eſt in parte, ſed in toto: quandoq; enim materia excrementoſa eſt in toto corpore, quæ habet rationem illius cauſæ, quæ vbi commodos habet meatus deſluit ad locum imbecillem: ergo primò euacuanda eſt materia factura morbum. Vnde breuiter euacuarem totum corpus, & humores, qui in corpore generantur. Hoc corpus eſt calidum & ſiccum: ergo multiplicat humores calidos & ſiccos, & ſanguinem cholericum. Redundat etiam bilis, & melancholia, ſed minùs poſtea ſecundum proportionem de ſanguine malo generatur, quàm de bile, & de melancholia. Igitur cùm velimus euacuare, debemus reſpicere ad redundãtes humores. Sed quia etiam adeſt aliquid de pituita, dico, quòd euacuandum eſt de omnibus humoribus. Lenita igitur priùs aluo, extrahendus eſt ſanguis, non dixerim ratione magnitudinis morbi (quia extenſiuè morbus iſte non eſt magnus, nec intenſiuè) ſed propter futurum morbum vellem, quòd caueret omnino ab omnibus excrementis. Ita crediderim eſſe mundandum totum corpus: mittatur ſanguis à baſilica, non tantùm ratione diuerſionis, ſed euacuationis, quia non eſt maior diuerſio à brachio, quàm à pede, vt dicebat Galenus ſexto Epidemiorũ, qui vbi ægritudines ſunt

in-

intra hæpar, diuerſionẽ ambigit, primo cōmento loquẽs de affectibus renũ. Et ſic æqualiter poſſumus facere diuerſionẽ, vel à pede, vel à brachio: Sed eligerẽ brachiũ, quia magis euacuaretur ſanguis propter baſilicã magis reſpicientẽ fontem, quàm ex ſaphena. Tales curarẽ ſyrupos conficiendos, vt ſanguis redderetur bonus. Non dimitterem ſyrupum de cichorea Nicoli ſine rhabarbaro, qui habet aliquam vim incidendi humores craſſos, & adæquandi. Haberẽ etiã aliquid oxymellitis propter adæquationẽ, & inciſionem: poſtea haberẽ decocta ex betonica, iua, ſaluia, boragine & reliquis propter intemperiẽ calidã hæpàtis. Poſtea deuenirem ad euaçuationem materiæ: deinde accederem ad materiã, quæ defluit, quæ debet diuerti, ne defluat. Et licèt, quando erit euacuatum totum corpus non fluet ampliùs, nihilominùs laudo, vt confortetur corpus faciendo ablutiones capitis: deuenirem poſtea ad morbum factum, qui curatur deriuatione & euacuatione. Et in hoc caſu, ſicut conſueuimus, debemus facere deriuationem prope locum affectum: & deriuationes optimæ ſunt in hoc caſu per clyſteres acutiſſimos, qui deriuant materiam à loco propter vicinitatem loci: fierent clyſteres cum decocto centaureæ, & aliarum her-

barum, quæ poſſunt habere abſterſionem, vt anethum, chamæmelum, & alia huiuſmodi. Apponerē hieram picram, logodij, hermetis, quoniam acriùs purgabunt humores. Hæc breuius dico tantùmmodò pro forma medendi. Poſtea facta iſta deriuatione per clyſteres acutos oportet, ſi aliquid reſiduū erit materiæ, deuenire ad ea, quæ mundificant locum. Non dico de repercuſsiuis, quæ non conueniūt in morbo facto, ſed in futuro. Ergo euacuarē à loco affecto, vbi vtitur Gal. his, quæ ſolent inducere vlcus in locum. Facta ergo priùs diligenti euacuatione facerem ſcarificationem, vel adhiberem etiam cerata. Præterea ſi aliquid perſeueraret doloris, & accederet tempus Maij, non diſpliceret, ſi acciperet aquas Thermarum, & ablueret ſe in iſtis, & etiā acciperet per potum: quia locus ex aluminoſis aquis confortaretur, & aliquid etiam reſolueretur. Habent enim calcem, & alumen iſta balnea. Poſtea his omnibus ritè peractis, quantùm ad præſeruationem, facerem cauteria ex oppoſito loco, ne materia flueret amplius. Placeret Terebinthina, quæ diuerteretur materia per aluum. Vtatur acoro, & tandem ea accipiat, quæ poſſunt corroborare partes neruoſas, & ſi quid eſt impactū reſoluere, ſi acceſſerint ad partes iſtas.

f Hæc

Hæc ſatis ſint dicta. Patauij Menſe Iunio. 1550.

PRO MATRONA VENETA, Conſilium vigeſimum ſextum.

TRia in hac magnifica D. mẽbra affecta ſunt, cerebrum, ventriculus, & vterus. Cerebrum: quoniam patitur dolores vehementiſsimos, tam in anteriori, quàm in poſteriori parte, & illos periodicos. Quàm diu enim ventriculus ſuos vapores ad ipſum tranſmittit, tam diu infeſtatur, & hoc, propter colligantiam, quã ventriculus cum cerebro habet, patitur ventriculus. Primò plùs appetit, quàm deberet: ſecundò malè concoquit: tertiò non retinet cibum, quod ex ructibus, & flatibus declaratur: quartò non expellit, imò quandoque acida per vomitum eijcit. Vterus verò & ipſe ſuo munere non fungitur. Menſes etenim albos reddit: offenditur in coitu ita, vt poſt congreſſum peſſimè ſemper ſe habeat, & ſæpe virum ſuum deprecatur, vt ab eo abſtineat, neque delectatur in venere. Iſtis diſpoſitionibus, & affectibus præter naturam affligitur. Quantùm ad dolorem capitis nihil aliud dicam, cùm per eſſentiam in capite nõ ſit, ſed

per conſenſum ventriculi. Ratio ergo tota ad ventriculum referenda erit. Ventriculus ſicut apparet, ex operationibus læſis, frigidus eſt: plus enim appetit, quàm cõcoquat, quod ſupra ventriculi frigiditatẽ atteſtatur: malè etiã retinet: cuius ſignũ eſt, quòd flatus, & ructus acidos percipit, & cibum in ſtomacho flatuantem: euomit acida ſemper: quæ omnia frigidã ventriculi intemperiem oſtendunt. Et dum ventriculus ita malè diſpoſitus eſt, caput ipſum non pauca læſione affligit. Vtrùm verò cum iſta mala intemperie frigida ſit cõiuncta ſiccitas, vel humiditas: ſi cõſidero ſubſtantiam ventriculi, abdomen gracile, ſiccus erit & exanguis: ſi verò totum hoc aggregatum, & humorem frigidum contentũ in ipſo, dicam humidum eſſe. Itaque mala iſta intemperies cum affluxu humoris frigida ſtatuenda eſt. Vterus frigidior quoque factus eſt. quod patet ex multis: primò ab exeũtibus mutatis, ex illis albis menſtruis ante, & poſt fluorem, quæ frigidiorem vterum declarant: ſecundò ab actionibus læſis, cum decennio nõ pepererit. Ergo actio diminuta. diminuta autem actio à frigiditate prouenit, ſicut corrupta à caliditate. Signum poſtea à poſteriori, quoniam ſemel tantùm peperit, & fœmellam: fœminæ autem ſi Hippocrati credimus, gene-

generantur propter vterum frigidiorem. Ergo læditur in coitu, non quòd collum matricis tortuoſum ſit, quod actum venereum lædat, ſed quia vterus ex emiſſo ſpermate virili affligitur, quod dum emiſſum eſt refrigeratur, inflatur, & intumeſcit: vnde poſtea matricem lædit ipſam extendendo & dilatando. Cuius ſignum eſt, quòd dum calida applicat, ſtatim vaporibus per calorifica iſta aſcendẽtibus, dolor ceſſat. Quartò vterus frigidior redditus eſt ex magno fluxu, quem paſſa eſt poſt partum. Quantùm enim ſuperfluæ euacuationes membrum lædant, à quo excernuntur, teſtatur Hippocrates ipſe plurimis in locis. Quid ergo mirum, ſi vterus (cùm vẽtriculus frigidior, quàm par ſit) caput ipſũ in conſenſum traheret? Vnde dolet caput propter cõmunicantiã iſtorũ duorũ mẽbrorũ: in parte poſteriori, quoniã ab vtero per venas, & arterias plurimi vapores frigidi eleuãtur, qui ipſum extendunt, & replent: in anteriori, quoniam vẽtriculus vapores, & fumos ad ipſum delegat: ſicut etiam apparet in his, qui vertiginem, aut ſuffuſionẽ per cõſenſum ventriculi patiuntur, magis in anteriori cerebri parte dolent, ſicut illi quibus per Aortam, & venam cauã vapores aſcendunt magis in poſteriori. Prognoſticum erit, quod curabitur,

non tamen ita perfectè, vt omnino integram valetudinem recipiat: concipiet proculdubiò, ſi noſtris præceptis obſecundabitur. Cura talis inſtituenda eſt, vt bona ratio victus præſcribatur, & bono regimine in ſex rebus non naturalibus vtatur. Nihil enim pernitioſius in ægritudinibus chronicis, quàm multis ſolutiuis corpus macerare: quæ licet primo occurſu videantur proficere, tempore tamẽ ipſum deſtruunt, vires deijciunt membrorum præſertim naturalium: ſicut & nix ſuper ſegetes cũ cadit, iuuat nonnihil, ſed tandem quoq; illas in totum deſtruit. Inſtituto bono regimine, leniendus erit venter caſſia, & hiera ſimplici, poſt modum cõcoquenda materia hoc infraſcripto ſyrupo. Accipe ſyrupi de abſinthio, de cichorea Nicoli ſine rhabarbaro ana vncias duas, foliorum cichorei, abſinthij decoctorum in iure pulli tenui. q. ſ. Purgetur poſtea. Aſſumpto ſecundo ſyrupo fiat phlebotomia non euacuandi gratia, ſed vt euẽtetur iecur, quod calidius aliquãtulum eſt, ſicuti ex vrinis apparet. Peractis purgationibus accedat ad thermas Apponẽſes, quas bibat, & in illis ſe immergat. Hac enim ratione, & vterus, & ventriculus refrigeratus calefiet, & corroborabitur, quod præcipue intendimus.

PRO

PRO MATRONA VERONENſI, *Conſilium vigeſimum ſeptimum.*

VT matrona iſta nobiliſſima præſeruetur, primò attendendũ eſt rectæ victus rationi. Atque in primis cauere oportet à cibis paſtilibus, à lacticiniis, & piſcibus, placentis, à carnibus ſuillis, ab auibus, quæ in aquis degunt, vt anſeribus, & anatibus, ab oleribus crudis, & fructibus præter ficus benè maturas, ab omnibus rebus frictis in ſartagine, à leguminibus, à carnibus antiquis, ſicuti bouinis. Vinum nec nimis potens, nec nimis pauciferum, ſed mediocre, limpidum, & clarum, & præcipuè nõ ſit acerbum. Non bibat inter cœnam, & prandium, præcipuè poſt cœnam. Quantum attinet ad medicinalia conſueſcet ſumere ſingula ſeptimana ſemel alterum, quod illi magis gratum erit, aut duos ſcrupulos hieræ ſimplicis in formã pilularũ redactos vna hora ante cœnam. Deſcriptio hieræ erit iſta: Accipe aloës optimæ drachmas ſex, cinnamomi, maſtiches, ſpicæ, croci, aſſari, cubebarum ana ſcrupulum: puluerizentur omnia per ſe, deinde miſcean-

tur, poſtea fiãt pilulæ: ſingulæ ſint drachmarũ quatuor. Quarũ pilularũ (vt dictum eſt) ſumet drachmam, ſingula vice, ſemel in hebdomada vna hora ante cœnam. Præterea illinet *renes vniuerſos infràſcribendo linimento:* Accipe *conſolidæ maioris, roſarum rubearum, radicum rubi, nucum cupreſsi, raſarum tabularum an. vncias duas.* Bulliant *omnia ſimul in aqua communi ad conſumptionem duarum partium.* Deinde *facta diligenti expreſsione ſumatur colatura.* Deinde *accipe olei roſacei completi, olei de cotoneis, de mirthis ana vnciam: bulliant omnia ſimul ad conſumptionem aquæ.* Deinde *accipe ſandarachæ, maſtiches, thuris an. drach. duas: conterantur minutiſsimè, & ponantur in prædictis oleis, & commiſceantur: deinde fiat linimentum addita medica cera.* Hoc *linimento illinet vniuerſos renes vſque ad ſedem prætermiſſa ſpina dorſi.* Et *tẽporibus calidis illinet ita frigido: hyeme vero leuiter calfaciet quoad tepefiat.* Præterea *laudo, vt alterno manè vna hora ante prandium ſumat pilulam factam ex maſtiche in puluerem redacta, quæ optima ſit, & electa.* Hæ *autem pilulæ formentur cum melle roſaceo. pondus ſingularum pilularum erit ſcrupulũ.* Hoc *modo ſi perſeuerauerit in hac victus*

ratione, & his remedijs vſa fuerit, non vereor, quin eius D. non ſit in-tentam ſanitatem conſequu-tura, ad laudem Dei om-nipotentis.

FINIS.

QVAE SEQVVNTVR, A QVODAM PHILIATRO EXCEPTA SVNT, *dictante* D. I. *Baptiſt. Montano.*

De febre continua. Collegium D. Montani.

CASVS *puellæ 18. annorũ, complexionis calidæ & ſiccæ, optimæ perpetuò valetudinis, quæ ex curis & affectionibus animi quas in fratris ſui aduerſa valetudine habuit, in ægritudinem incidit.* Men*ſtrua diminuta ſunt, & febris eam corripuit cum horrore, & alijs accidentibus. adeſt dolor capitis: & circa regionem ventriculi, nempe circa orificium, præcipuè verſus hypochondrium, tenſiones percipiũtur. adſunt inſomniæ ſeu vigiliæ, oris amaror, nõ tamen cum ſiccitate notabili calor mordax percipitur, & velox pulſus.* Acce*ſsionũ principia hactenus notari non potuerunt: ideo continua putatur: quæ tamen de tertio in tertiũ magis exacerbatur.* Ade*ſt laſsitudo vehemẽs, ita vt ſe vix tollere queat.* R*ugitus itẽ in ventre ſuperiori & inferiori auditur.* Ex-

cellentiſsimus Montanus. Oportet primũ videre quæ natura ſit morbi quo affligitur, poſtea quæ cauſæ: demũ modus curandi inquirendus eſt. Primũ hãc laborare febri putrida, manifeſtũ eſt ex ſignis. Pulſus frequentior inæqualis magis, ac velox, quod ad putredinẽ ſequitur, inuentæ vrinæ craſſæ cum hypoſtaſi per totũ corpus ſparſa, calor mordax in ſuperficie cutis. Hæc igitur febris eſt morbus intemperie. An verò præter hãc alia ſit ægritudo? Credo quod ſic. Eſt alia incõpoſitione. circa orificiũ & regionẽ ventriculi tumor eſt cũ dolore quãdo tãgitur, neq; dolor notabilis: & in anhelitu quandoq; percipitur, & à nobis tumor ipſe tãgitur. Ita duplex eſt ægritudo. Poſſit aliquis dicere adeſſe etiã tertiũ, obſtructionẽ circa vterũ, quia actiones eius læſæ in excernendis menſtruis: ergo & membrũ læſum. Sed quia menſtruorũ diminutio, nõ ex obſtructione tantũ, ſed ex mala etiã tẽperie in ipſo vtero, vel ob ſanguinem craſsiorem cõtingere poſsit, nõ poſuerim pro certo id quod eſt in dubio. Iã morbi cauſæ inquirendæ. nõ enim ſcimus curã, quãdo ſcimus talem vel talem eſſe morbum: ſed ex cauſis cura petenda eſt. Eſſe putridam, ex dictis ſignis cõſtat, pulſu, vrina, calore mordaci. Sed in quibus humoribus eſt ea putredo, & vbi? Hoc etiã ex ſignis eſt inue-

ueniendum.non habet motũ velociſſimũ hæc febris fit quando putreſcit humor calidus qui & ſubtilis, vt bilis, vel ſanguis: qui quia velociſſimi motus ſunt, terminantur ſeptima, vel ad ſummum 14. die. Et habet ſæuiſſima accidentia: nec tarditatem habet eam quæ fit cum putreſcũt humores frigidi, vt pituita, & humor melancholicus. Nec calor ita remiſſus eſt, & vrinæ magis tinctæ, & dolor occipitis. Ergo humor qui putreſcit, nec calidus eſt nec frigidus ſimpliciter, ſed mixtus, quia accidentia mixta ſunt. motus medius inter tardum & velocem: & reliqua ſigna media. Sitis quidem, ſed non maxima: nec dolor capitis nimium intenſus. ideo humorem putreſcentem etiam medium crediderim inter calidum & frigidum, & mixtũ ex plurima pituita & bile. Sed vbi putreſcit humor? Audio febrẽ cõtinuã ſine typo, & ſemper æqualẽ, ergo humor putreſcit intra renes. Eſt enim febriũ cõtinuarũ ꝓpriũ, nõ horrere. Sed ſi haberet aliquem typũ, aliter dicendũ eſſet. Quod ideo dico, quia in pulſu hoc veſpere, ſenſi aliquã cõtractionem: & ipſa etiã coopeririri voluit. quæ duo cũ cõcurrãt, maxime iudicium faciunt eſſe aliquem typum. Et ſæpe hoc contingit, vt in febribus continuis poſt aliquot dies incipiant apparere in pulſu,

vel quia natura fortior in expellẽdis ſuperfluitatibus facta eſt, vel quia coctio aliqua facta, & materia ſubtilior exhalat. Ideo e-*nim cõtinuæ febres periculoſæ dicũtur ratione ſigni, & cauſæ.* Ratione *ſigni, quia indicant naturã debiliorem, quæ permittit materiã vt inimicũ putreſcere in proprio domicilio, nec poteſt extra renes expellere.* Ratione *cauſæ, quia ea materia putreſcẽs facile inficit maſſã ſãguinis, ad quod ſequũtur febres peſtiferæ & exitiales. Fieri igitur poteſt vt hactenus nõ habuerit, & nunc incipiat habere typũ, idq; bonũ eſſet per viã ſigni, & per viã cauſæ.* An *modo incipiat nunc materia putreſcere extra venas, vel ſit adhuc intra venas, facillimè videbit excellẽtia veſtra per ea quæ ſuccedent. Si nullus typus ſuccedit, erit intra venas: ſi erũt aliquæ periodi, erit extra venas.* Ideo no-*lo determinare in re ambigua. tẽpus oſtẽdet, nec propterea tolletur modus curãdi, ſiue intra ſiue extra venas ſit, cũ certiſsima ſit inuẽta ratio humoris peccãtis poteſt quidẽ augere difficultatẽ.* His *ſtantibus facile eſt nunc videre cauſas ſymptomaticas. vapores aſcendũt in caput, & dolores excitãt: quia admixti ex pituita & bile, excitatos quidẽ faciũt, nõ intẽtos tamẽ, propter pituitã obtundentẽ.* Eadẽ *cauſa eſt vigiliarũ, quæ ipſæ propter pituitã admix-*

admixtã non ſunt cõtinuæ: & quod nõ multũ ſitiat. licet hæc omnia eã quoq; infeſtẽt propter humores permixtos cõtrarios, quorũ alter excitat, alter reſtinguit hæc ſymptomata, & mitigat. Ita *omnia ſibi cõcurrũt, vrinæ rubræ & tamẽ craſſæ, quia duo humores, pulſus inæqualis.* Ergo *non eſt ilioſus hqumor, qui velocẽ quidẽ facit, ſed pituita magis inæqualẽ.* Hæ *ſunt cauſæ omniũ ſymptomatũ quæ conſequuntur morbũ.* Id *eſt modo obſtructio: quæ vbi fit, ex tumore & dolore apparet. Quare &* Gal. *& Auicenna teſtantur quod vbi dolor, ibi eſt ægritudo.* S*ed vnde ea eſt tenſio?* Nõ *eſt ex apoſtemate (alia enim ſequerentur & multo ſæuiora ſymptomata) ſed ex materia flatulẽta quæ facit tumorẽ ꝑpterea quod flatuatur, nõ propter ſuã multitudinẽ cõprimeret diaphragma & ſuffocaret, deinde perſeueraret tenſio, nec ita facilè reſolueretur à quocunq; extrinſecus applicato.* Hic *dolor facilè remittit, ergo nõ eſt ex abũdantia materiæ, ſed ꝑpter vẽtoſitates ob quas intumeſcit: hincq; eſt quod cõprimitur & impeditur in dilatatione. ideo adeſt difficultas anhelitus, ſed nõ durat, quia flatus citò diſcutiũtur.* Hic *tumor eſt morbus in compoſitione, quia facit intumeſcere locũ vt nõ faciat operationes debitas & eſt ea tenſio ex præſentia materiæ.*

Hæ igitur ſũt duæ ægritudines & puto vtrã- que habere ſeparatas cauſas, nec vna remota alterã remoueri. Sed quia adeſt & retentio menſtruorũ, videndũ eſt an vna etiã ea ſit ex his cauſis. Cũ cõſidero præcedẽtia, & tẽpera- turã huius, puto hãc diminutionẽ menſtruorũ potius eſſe ex craſſitudine mẽſtruorũ & ſan- guinis, quã ex obſtructionibus matricis. Etſi enim ſanguinem habet humidiorem ratione ætatis & ſexus, & quia in otio vixit & de licijs, & albi ſit etiam coloris (ſicut ſolent eſſe fœminæ quæ nõ exercẽtur vt viri) & ob has cauſas facile aliquẽ diripere poſſit vt vi deatur frigidior quã ſit, habet tamẽ venas ma gnas, & alteriarũ motũ fortẽ & magnũ, & frater ipſius qui ex eodẽ ſemine eſt, eſt cali- dus & aduſtus. ideo credo eã generare mul- tã bilẽ & ſãguinẽ aduſtũ. Deinde eſt in 18. anno, qui in puella citius creſcẽte & ſeneſcẽn te eſt ipſe flos ætatis, & eadẽ quæ 28. anno- rũ ætas: quia tũc maxime viget ſãguis. acceſ- ſit ægritudo fratris, quẽ amabat plurimum, ha buit vigilias, curas, & accidẽtia animi quæ adurũt ſãguinẽ, ita vt inde homines etiã me- lãcholici fiãt, quia ſãguis aduritur. Eſt igitur ſãguis craſſior, & multiplicata excremẽta pi tuitoſa, quæ fuerũt cauſæ febris, quæ ipſa etiã ſãguinẽ magis adurit ideo. rebellis eductioni,

vt nõ poſsit liberè exire per meatus anguſtiores. Exiuerũt quidẽ mẽſtrua, ſed diminute. ideo cauſa nõ in obſtructione erat vteri, ſed ſãguinis potius craſsitie. Et cũ ſint tres cauſæ diminutionis mẽſtruorũ, debilitas virtutis excernẽtis, obſtructiones viarũ & ſãguinis craſsities: ego hic tertianã eſſe credo. Hæc de eſſentia & cauſis horũ morborũ. Quod autẽ ad mores attinet, febris nulla habet ſigna malignitatis. habet ſua accidẽtia quæ pẽdent à putredine, ſiue delitijs & egeſtionibus putridis & vrinis mutatis & ſeruãtibus malignitatem: ſed habet ordinarios affectus cognitos, ideo ordinariam crediderim, & nõ malorum morum.

De tẽpore febris. Non quidem video ſigna coctionis, non tamen arbitror nos adhuc eſſe in principio morbi. non enim ita perfecta coctionis ſigna expectanda ſunt in ægris ſicut in ſanis. Nõ igitur dicendum nõ adhuc eſſe in principio. ſit enim aliqua coctio, non quidem qualis in ſano, ſed qualis in ægro. & hãc ob cauſam in augmento eſſe crediderim, non in ſtatu tamẽ, vbi coctio fit perfectior. Prognoſt. Niſi aliud ſuperueniat, quia in itinere multa poſſunt contingere. vt dicit Hippo. in febribus acutis non eſſe certa ſigna prognoſtica: & addit rationem Galenus: quia facilè mutari poſſunt vel ad melius, vel ad peius:

tamen prout talis eſt, nõ eſt lethalis. Nã quod Hippocrates, febres intermittẽtes quæ tertia die exacerbãtur, periculoſæ: verum eſt, quia facilè in deterius incidunt ſi negligantur: ſed propterea nõ ſunt lethales per ſe, ſed ad optimum finem deducunt ſi medicus non delinquat, & æger obediat. quæ cum ambo hic ſunt conuenientiſſima, facilè ſanabitur.

CVRA.

Videmus naturã morbi & principium effectuũ pẽdere à materia putreſcente. materia igitur euacuãda, & putredo remouẽda. Materia craſſa eſt, mixta ex pituita & bile & maxima parte intra venas, quia non ſunt viſa periodi. ea igitur remouẽda. Sed Hippocrates nõ tantũ præcipit, Si talia purgentur qualia oportet, cõfert, & leuiter ferunt, &c. ſed alibi etiã, Quocunq; natura vergit, eò maximè ducere oportet. Quærendum igitur quomodo, & per quẽ locũ: quia quid ſit vacuandũ, facilè videmus, pituita ſcilicet & bilis. Sed ex quo loco? vbi putreſcit in venis propterea quod perſpiratio prohibetur, & calor naturalis opprimitur à multitudine materiæ. ergo euacuãda. 4. ſanit. tuendæ. Si putreſcit materia intra venas non aliena à ſanguine, mitte ſanguinem copioſiſſimũ. ſi nõ multũ aliena, mitte ſed parcius. ſi omnino aliena, abſtineas. hæc

ſunt

ſunt verba Galeni. Hic *humor nõ eſt admodũ alienus, quia pituita mixta cũ bile ſapit caliditatem, & omnino tardi motus eſt: nec rebellis eſt calori, quia inflammatur.* Eſt *ergo permixta ſanguini, & putreſcit, quia prohibetur euentatio, & facit obſtructiones.* Venæ *igitur ſunt euacuãdæ, & quærendũ vt trãſpiret corpus, & vacuetur materia, quod neque melius neq; citius fieri poteſt quã per miſsionem ſanguinis.* Ideo *eam in febribus laudo ſemper, quia vel antecedentẽ vel ꝓximã cauſam tollit: ſiue humor ſit extra, & tũc antecedentẽ tollit: ſiue intra venas, & tũc ꝓximã.* Mittendus *igitur eſt ſanguis, idq; ſtatim antequã morbus ad ſtatũ perueniat: neq; reſtitãdũ, quia periculũ eſt ne æger moriatur.* Vidi *omnes ſic curatos, & credo nil præſtãtius niſi vt mittatur ſanguis.* Nec *à ſaphena educerẽ.* Si *enim ſint obſtructiones, non exibit ſanguis, cum præſertim materia ſit craſsior. ideo à baſilica mitterem, quæ ad educendum ſanguinem craſsiorem eſt aptiſsima.* Refrigera*bit hæpar, vt generet ſanguinem magis æqualem, nõ tam craſſum, qui poſtea ſpõte euacuabitur materia inſurgente, ſublato hoc medico impedimento.* Si *igitur cras nõ erit ſumme debilis propter maximũ paroxyſmũ, aut vigilias huius noctis, vt magis indigeat ali-*

mento & reſtauratione quã miſſione ſangui nis, omnino fieri phlebotomiã à vena baſilica q. ſuff. quam preſens medicus indicabit: ſi ſanguis niger & craſſior pmittatur exire: ſi pulcher, clarus, lucidus, ſtatim obſeruatur. ideo enim laudat Gal. miſſionẽ ſãguinis præ cæteris medicamẽtis per os exhibitis: quia ſẽper reprimi poteſt & vel parũ vel multũ educi ſecundũ aſtãtis volũtatem: quod nõ ita poteſt moderari in medicametis per os exibitis. Et video quotidiana experientia quod vbi prætermittitur ſanguinis miſsio vbi fieri debebat, morbi ſiũt lætales aut lõgi. Nec ideo timeat, quod ſit prima phlebotomia. habet ætatẽ cõuenientẽ. aut quod inde futura ſit ſterilis. iſtæ ſunt aniles fabulæ, & figmẽta ſine fundamentis. Si tamẽ ſudet copioſæ, aut per aluũ egerat, vel per nares ſanguinẽ reddat, vel aliqua fiat vacuatio, vel plurimũ laborârit, vel virtus defeſſa ſit admodũ, omittere. Si nihil horũ cõtigerit, mane ſummo clyſtere exhibito, ſub horã præterea 17. aperirẽ venã circa alterationẽ poſtea, quia in putridis nõ ſolum ſanguis mittendus, ſed etiã alia faciẽda, quæ Auicenna duobus verbis diuinè docet, cũ inquit, leuare aluũ, prouocare vrinã. Hæc qui facit, curat febres putridas, lauatur aluus clyſteribus. & eſt magis dilectus vſus clyſterũ, quia

quia ſit quotidie ſine ſtrepitu, quã prouocare vrinas, ſyrup. ex capillis veneris optimus eſt, aperit obſtructiones. Syrup⁹ de cichorio & ceteracho Nicoli. Omnes ſunt optimi. eligatis quos vultis. poſtea ſi vellet tolerare decoctũ in hyeme hac, melius eſſet. accipere aquæ endi. capill. ven. quãquã in his non confido multũ. Ideo ſi haberemus herbas bonas, capill. ven. ceterach, & eas decoquere in aqua endiuiæ & boraginis, & eſſet eo maior ſubtilitas & facilitas prouocandi vrinam.

PRO OBSTRVCTIONE.

Si ſingulis diebus vel alternis acciperet vnã pillulam aloë vel hieræ ſimplicis ana ſyru. Nec metuere febre, quia euacuat bilẽ, & reſtrĩgit ſitim, refrigerat, & educit materiã faciẽtẽ obſtructiones, & calfaciẽtẽ. & poteſt dari lota aloë, vt minus calida ſit. educit humores. Sed ſi eſſent imbibiti, intra tunicas vẽtriculi, melior eſſet hiera, vt Gal. Poteſt igitur exhiberi aliquot diebus, vt videamus quomodo conferat. ſi enim nõ conducit, poterimus alia exhibere. ſed credo quòd in his optime habebit.

RATIO VICTVS.

Neſcio an cõſueuerit vinũ lymphaticũ bibere. Si poſsit, credo vtile fore vt abſtineat à vino. Galenus tres recenſet cauſas in quibus ſit abſtinendum à vino, in epilepſia, in aduſtioni-

bus, & humoribus crudis. Hic ſunt humores crudi, &c. ſed darem aquã coctam cum cinnamomo vel pipere, quã Galenus dabat: & forte melius eſſet. quia enim eius caliditas non tranſit ad hæpar, poteſt poni vel piper, vel cinnamomũ, vel quatuor aut gariophilli cũ modico ſacchari. Comedet iuſcula, panatellam & modicum carnis. Si habebit paroxyſmos mutabitur ratio victus: & nõ ita cibabitur ſub noctem, quod eo tempore ſoleãt magis exacerbari ſymptomata vt iã etiã acceſsio manifeſte ſe oſtendit.

De febre cõtinua cum catarrho, & leui quodam ſputo ſanguinis, ac ſuſpicione hecticæ, Collegium Montani: caſum reuocante francanzano.

Notabilis mulier annorũ 24. in Septẽbri anni præcedentis prægnans quatuor menſium incidit in febrem ardentem, ex qua ſanata eſt non ſecta vena à medico, quod tamen ipſa maximè deſiderabat liberata quidẽ eſt tãdem, ſed ſemper fuit decolorata, male appetẽs, & imbecilla. peperit, & in partu ſatis eſt purgata. præterea autẽ ſingulis mẽſibus purgabatur ſed nõ ita copioſe, nec ita colorata erat, interdum etiam male appetens ſentiebat paruos capitis dolores. Hæc octobri

habuit febrem cum rigore, quæ inordinate inuaſit: nec vſa eſt conſilio medicorum, quòd ſperaret ſua ſponte remotum eam iri. Quod etiam factũ eſt. Inde profecta rus, in aëre craſſiore vixit & vſa eſt piſcibus. inde recidit in febrem à qua eam medicus lenito ventre, ſecta vena, concocta & euacuata materia liberauit. Stetit ita ſana per 15. dies vel plures. præterea pectens aliquando caput, vt ipſa refert, recidit in febrem, & ſenſit caliditatem ad ſenſum ĩ capite. medicus pilulas exhibuit quæ dolorem quidem capitis mitigarent: ſed manſit catarrhus, cum quo viſa ſunt interdum ſputamina ſanguinea, & tuſſis eam infeſtat. Dum febri laborauit, ſemper habuit obſtructiones in parte lienis, & duritiem quãdam & inflationem in regione iecoris habet, vt tactum ferre nequeat. Habuit accidentia animi ſæuiſſima ob mortem filiæ. Exhibita primum remedia per medicũ, & me quoque. Symptoma durat adhuc hodie, febris cũ rigore cõtinua, dolor capitis, & caliditas ſenſitura in eo, catarrhus, tuſſis, durities & tumor in ſiniſtro latere, & ſuſpicio de ſputo ſanguinis. Sẽtit imbecillitatem vẽtriculi. Et meo iudicio eſt hectica. Cũ enim nũquàm ſit libera à febri, nõ tamen ſentit caliditatem aliquãdo tamen cum maxime febrit. deinde ſemper in-

tenditur calor poſt cibum, & diu iam laborauit febribus putridis, ad quas facilè ſequuntur hecticæ, maximè in temperaturis calidis ſiccis. Addit Stephanella morbum hæreditariũ, & matrem & fratrem eius mortuos ex hectica & phthiſi.

MONTANVS.

Clariſſ. & egregij iuuenes, ex quo habemus nobiliſſimã matronã quæ vexatur pluribus diſpoſitionibus præter naturã, quæ omnes verẽdæ ſunt, repetã eas breuiter, poſtea cauſas inquirã, & cum earum diſpoſitione curam inueniemus. Vexatur primò febri continua, quæ videtur: præterea deſcendit catharrus ad pectus, & quædam membra alia, ad ſcapulas, oculos in quibus dolorẽ ſentit: ſed præcipuæ tamẽ ad pectus fluit & hic catarrhus præterquã quòd habet guttulas ſanguinis, interdum apparet etiam cum putredine haud vulgari, quod eſt notãdũ, præterea habet obſtructiones in mẽbris naturalibus, præcipuè ĩ lienis regione, vt & tactu percipiatur (ſicuti ipſa dixit, nos enim nõ tetigimus) habet & obſtructiones circa cotyledones & venas vteri, vt menſtruorũ nõ quidẽ cõmodã ſuppræſſionẽ, aliquã tamen patiatur diminutionem. Hæ diſpoſitiones omnes magnæ ſunt: ergo & cauſas habent magnas, non enim ſunt effectus magni niſi

niſi à cauſis magnis. Et quia cauſæ nos deducunt ad rationem curandi, illæ primum ſunt inquirendæ. Et quia cauſæ partim extrinſecæ partim intrinſecæ, vtraq; quærendæ. omnes enim cōcurrūt in hac nobiliſsima matrona intrinſecæ cauſæ diſpoſitiuæ, quæ corpus ad tales ægritudines aptum & diſpoſitum faciunt. neq; enim quodlibet patitur à quolibet, vt in 1. & 2. de generatione, &c. ſed in habentib9 ſymbolum facilis fit trāſitus. Videndū igitur an corpus præparatum ſit ad has diſpoſitiones, an non. Hoc autem ſciemus ex temperatura naturali & conſtitutione totius corporis. Totum igitur corpus raræ texturæ & rari habitus, caro mollis & quæ facile cedat tactui: & ſemper fuit macilēta & gracilis. Præterea audio fuiſſe ſummi ingenij, quod arguit ſubtilitatem ſanguinis & ſpirituum. Galenus lib, Quòd animi mores, &c. Ideo & Ariſtoteles molles carne, aptos mente dixit. quia igitur talis eſt habitus qui facile reſoluitur & patitur à quibuſcunque cauſis extrinſecis, habuit cauſas intrinſecus diſpoſitiuas ad hoc vt facile incideret in varias diſpoſitiones præter naturam. Præterea temperatura (licet re vera eam non poſſumus dicere talem vel talem propter diuerſitatem membrorum, quæ facit

vt totum corpus non poſſit dici ſimpliciter calidũ & ſiccũ) hæc par tamen calidũ & ſiccum habet: ſed ea caliditas non ita inſignis eſt, vt ſanguinem generet craſsiorem, cõſiſtente præſertim ſanitate: quia promptitudo ingenii & motus non patitur illam craſsitiem ſanguinis quæ fit à caliditate ignea, vt fit in leonibus & canibus. non conuenit iſtis moribus mitioribus qui ſequuntur temperaturam, vt & medicus probat. Credo igitur eſſe quidem calidam & ſiccam ſed non vehementer, vt generet ſanguinẽ calidiorem quidẽ, ſed ſubtilẽ nõ craſſum. Ideo facile alteratur, ſicut omnes ſubſtãtiæ tenuiores paratæ ſunt ad mutationes. Cor calidũ. audio enim magnanimũ & conſtãtem: ſed eadem ratione, vt diximus in hæpate, non excedit valde, quia facilè plicatur. Hæc duo mẽbra totũ quidẽ corpus calidius reddũt, ſed ꝓpterea nõ poteſt dici calidæ & ſiccæ tẽperaturæ, quia mẽbra habet inæqualia. Cerebrũ ſemper paratũ fuit ad defluxiones, ſemper ſolita eſt pati defluxũ à capite per nares præcipuè: qui cũ ceſſaret, nũc patitur defluxũ ad partes intrinſecas. An modo id fit ratione frigiditatis in capite nõ coquẽtis alimẽtũ propriũ, an verò ratione caliditatis attrahẽtis plurimã materiã, ignoro. Nõ enim eã noui hactenus, ſed nũc primũ vidi. Sed quacunque

cunque cauſa ſit, certū eſt eā ſemper abūdaſſe excremētis in capite, & laboraſſe catarrho. Vētriculus naturaliter frigidus multiplicat humores crudos: quia ferè omnes qui ſunt calidioris tēperaturæ, & rara texturæ, habēt vētriculū frigidū. ſunt enim graciles, & habēt omētū infarctū pinguedine ſolita, quæ Ariſtoteli facit caliditatē poſitiue, ſecūdū medicos priuatiue: quia nō permittit difflari caliditatē innatā vētriculi, & tutatur eā à frigore, & reliquis nocumētis extrinſecis. Hæc domina priuata eſt vtraq; vtilitate: & ideo habet vētriculū imbecilliorē, & incōcoctiones. Ideo generātur plurimæ cruditates, & pituita, & excremēta in mulieribus ad vterū deueniunt, qui receptaculū eſt omniū excremētorū: qui cū ſit mēbranoſus & frigidus p ſe ſanguis tenuior nō potuit eū calfacere vt cōcoqueret ea: ſed aucta frigiditas ab excremētis extinguētibus calorē naturalē. Habetis modo cauſas intrinſecas diſpoſitiuas, totum videlicet corpus facilè ab extrinſecis alterabile: quia rarus habitus, & ſanguis ſubtilis, & inæqualitas mēbrorū, hæpatis, vētriculi, & caput perpetuò deſtillās. Si modo vultis, etiā addā quòd orta ſit ex parentibus qui laborârunt catarrho, & phtiſi mortui ſunt. Videbitis morbos hos ortos eſſe à ſemine, & hæreditarios à natiuitate. Corpus

igitur tale ita præparatum incidit in cauſas extinſecas quæ alterāt noſtrum, videlicet aër, cibus, potus. omnes enim exceſſerunt. aër diuerſus & peſſimus. nūc fuit in feſtis clodianis in aëre craſſiſſimo & peſſimo: vbi etiā circa cibum cōmiſit errores. Veſcebatur piſcibus paluſtribus, qui peſſimi in quocunq;, præcipuè tamen in tali corpore quod facile alteratur. vſa paſtilibus & leguminibus, & cibo ſine electione, craſſo, quibus corporibus maximè nocet. ideo facilè incidit in ſæuas diſpoſitiones. Ac cū ita in cibo peccaſſet, potu, & aëre, acceſſerunt animi accidentia ſæua. Dolores quos habuit ex morte filiæ. Hæc maximè proſternūt hominē, & exterminēt ab ea eſſentia in qua eſt, maxime ſi quādo ſpiritus etiā ſunt tenuiores, qui facilè reſoluūtur, hæc accidentia facilius & plenius ledūt: & quo plus ea diſſimulauit, & exterius dolorē mōſtrare noluit, eo magis interius afflicta eſt. hinc ſunt ſecutæ deterrimæ diſpoſitiones: & ideo tot mēſes ſunt quibus nūquam fuit ſana. Item multiplicati humores in corpore ex mala victus ratione, aëre craſsiore impediēte diſſlationē corporis. & corpus refertū eſt humoribus ob cauſas extrinſecas & intrinſecas. Crudi ſunt ob ventriculū male coquentem, & cibos craſſos: aduſti verò propter accidētia animi & cibaria quæ

generant

generant humorẽ melãcolicũ.& retentio menſtruorum, nõ omnimoda ſuppreſsio ſed diminuta excretio facit multiplicari humorẽ diuerſorũ generũ ĩ corpore. Ex his igitur habem⁹ cauſas intrinſecas efficiẽtes, & diſpoſitiones etiã vna cũ extrinſecis occurrẽtibus. His p̃ſuppoſitis cõtingit primũ catarrhus moleſtiſsimus: nec mirũ: quia generatæ ſunt multæ ſuperfluitates pituitoſe primo, deinde bilioſæ, hæpar calidũ, ſanguis ſubtilis, corpus vaporabile, Gal. 3. loc. affec. Qui ſanguinem ſubtilẽ habẽt, & hæpar calidum, repletionibus capitis ſubiecti. Et hic ex ventriculo etiã vapores crudi aſcẽdunt. hinc catarrhus, qui nõ ſimplex eſt, ſed ex natura plurimorum humorum, qui nec frigidi ſunt abſolute, nec calidi: quia mixti ex cruda bilioſa & etiã aduſta materia: & deſcendit à capitè, quod etiam ſubiectum ex ſe eſt deſtillationi. & inde propter multitudinẽ deſcendit ad varias partes per nuchã ſeu vertebras colli ad ſpatulas, & alia mẽbra: & cauſatur dolorem in iis: & ſecundum quòd occupat varias partes, varios etiam affectus mouet. ſed maxima pars ad pectus & ad pulmonem deſcendit, quæ excernitur per tuſsim. Eſt autem materia quæ eiicitur, quo ad ſubſtantiam craſſa & viſcoſa partim non putrefacta & alba, partim vero

flaua, non qualis eſſe ſolet ex aduſtione bilis, ſed qualis eſt materia exiſtẽte putrida. Nõ autẽ habet saporẽ aliquem, quia pituita ſuperat. Si vel bilis ſuperaret, vel æqualiter eſſet mixta, appareret amaritudo vel ſalſedo, ſi AVICĒNÆ credimus, qui ex mixtione bilis cum pituita ſalſedinẽ oriri dicit. Quod nunc nõ determino. Superat igitur pituita, quia nullus ſapor. Sed quia talis catarrhus putreſcit ĩ pulmonibus & interdũ habet admixtũ aliquid ſanguinis, dubitatur merito quidẽ vnde excernatur ille ſanguis, an ex vena rupte vel eroſa, an reſudet per pãniculos, vel ex capito defluat per nares, vel quocunq; modo. Solet & aliud cõtingere, quòd cũ per tuſsim cõtinuò violẽter erũpàt vel reiiciatur materia, vel orificia venarũ illarũ capillariũ facilè aperiãtur ex quibus prodeat ſanguis nõ cũ magno periculo, quia tenues ſunt venæ facilè aperiuntur & claudũtur: ideo ceſſat ſtatim poſt aliquot guttulas. Ego hic crediderĩ nõ ex capite quia ſanguis niger eſt et craſſus, nõ admixtus ſputo, ſed ſeparatus, vt ſit ſuſpicio quòd veniat à capite. heri tamẽ ramulos paruos & viuacioris coloris ſputo permixtos vidimus, vt poſsit venire ex illis venis capillaribus abraſis violẽtia motus. vel hoc erit, vel illud: in alterum incidit ſuſpicio. venã ruptã, vel factã eroſionem non

credo,

credo, nec reſudare: quamquam hoc facilius fieri poſſec per panniculorũ raritatẽ. illa enim fieri ſolet in maiori quantitate. Nõ tamen cõtẽdo, cũ nõ habeamus niſi cõiecturas. Poteſt eſſe ex tribus 'iis vnũ quodq;: imò nõ determino: & hactenus nihil refert, licet in futurum referre poſsit: quia ſanguis per os reiectus eſt malus vndecunq; veniat. Hæc de catarrho vnde generetur, & vbi, an per eſſentiã modo in capite facilè intelligitur, quia ſemper fuit ſubiectũ deſtillationibus. Sed fouetur etiam ab aliis membris inferioribus.

Nũc ad obſtructiones quæ ſunt in liene & matrice, & vt ego credo, in hæpate. Hæ fiunt immediate ab humoribus multiplicatis in corpore propter rationẽ victus craſsi & bilioſi: & ita miſcella eſt, dominãte tamen pituita, quæ obſtruit venas, ſed magis circa lienẽ, q: ille attrahit craſsiores humores, & non eſt tã nobilis vt ſic poſsit reſiſtere ſua caliditate obſtructioni ſicut hæpar. Sũt & obſtructiones circa vterũ & cotyledones. Sãguis enim mẽſtruus excernitur quidẽ, ſed in parua quãtitate. Non eſt perfecta obſtructio, ſed ex inſigni parte effluunt menſes ſed nõ vt ſolebãt. Credo igitur obſtructiones eſſe circa vterũ, & in meſaraicis, ad iecur, circa lienẽ, & per venas in toto corpore humores craſſos permixos ſan-

guini, vt nō poſſit euitari calor, quia vrinæ ſunt craſsiores, & atteſtātur diſpoſitionibus quæ ſunt in venis. Vrinæ craſſæ ſunt rubeæ, plenæ omnis generis humorū, ergo et venæ repletæ ſunt, et excrementa eodē modo repleta variis humoribus ſunt citrina, ergo bilis redūdat, & craſsiſsima ſunt. ergo pituita: et ita totū corpus refertū eſt materia diuerſa. nō igitur mirū eſt videre febrē illā vniuerſalem, cū ſint cauſæ, quæ ſingulæ poſſunt facere febrē: & ex principio febris putrida ꝓpter prohibitā difflationem: et cum ſint in corpore iuuene, natura fortis expulit materiā ad exteriora. ideo frigus inſigne ſentit cū intēſione, vt indigeat plurimis operimentis: & heri pæcipue ſenſit. cuius rei quæ cauſa ſit, petetis ex Galeno, ex rigore, & 3. de cauſis ſympto. nunc nō eſt tēpus illa dicere. Incipit igitur à frigore, quia mittitur foras à virtute, et cum frigore extenſiuo. materia enim craſſa eſt, nō facile putreſcit, & ideo calor nō ſtatim ſequitur. Quòd autē perdurat, ita vt vnus paroxyſmus inueniat aliū, fit quia materia multa non poteſt ita reſolui ſtatim. Nec ꝓpterea cōtinua eſt, cū ſit cū rigore, quia ꝓpriū cōtinuarū eſt nō rigere. et putreſcit extra venas: quod ex eodē patet, quia. ſ. incipit cū rigore. Habetis naturā febris huius putridæ: quæratur modo an cum hac putrida ſit etiā alia occulta in mēbris ſolidis fixa et he-

ctica. Vt ingenuè fatear, nõ poſſum certò aliquid aſſerere. bis enim vidi eã. inueni pulſum inæqualẽ, qualis eſt febris hecticæ. ſed ſi ꝑ cõiecturas eſt agendũ, corpus gracile eſt et aptiſſimũ vt inflãmẽtur mẽbra ſolida. habuit febres præcedentes putridas iã lõgo tempore. deinde is morbus hæreditarius ei videtur à parentibus. caleſit etiã magis poſt prãdium quod eſt ſignum ꝑpetuæ hecticæ, ſed nõ ſoli cõuenit, alioqui concluderet neceſſario non poſſumus. certificari, ſed ſuſpicionem facit, quod nõ ſentit calorem, quod ſignum eſt febrem cã eſſe in habitu. ſed id etiã ſignũ nõ eſt παθογνωμονικὸν ſolũ quia aliis etiã morbis cõmune vt in febribꝰ hecticis (vt vocat Auicen.) etiã nõ ꝑcipitur caliditas, et ideo hecticis maxime ſimilis. Has ob cauſas iã poſſim recte cõcludere adeſſe hecticam, licet magna ſit cõiectura. Sed quicquid ſit, agamus omnia ſic, vt nõ lędatur hectica ſiqua eſt ad reliquas diſpoſitiones, puto nullam præteritam. Diximus de omnibus præterquam de ventriculo, qui imbecillis naturaliter: ſed ea imbecillitas aucta magis, quia in longis ægritudinibus ſemper redditur imbecillior, ꝓſertim vbi pituita dominatur (vt Auerrois 142.) nihil tam efficax ad debilitãdũ ventriculũ quã febres quæ à pituita pẽdẽt, et habet æquales paroxyſmos

non ſibi inuicem de tertio in tertium corre ſpondentes, ſed magis accedit ad quotidianas ἀμφημερίνας, *quod ſignum eſt magnam copiam pituitæ putreſcere, licet bilis etiam in maxima quantitate accedat.*

DE PROGNOSTICIS.

Ex quo patitur has ægritudines propter diſpoſitiones in membris principalibus non tantùm ob multitudinem materiæ, ſed etiam diſpoſitionem membrorum, erit difficilis curatio, maximè cùm tranſire videatur ad id ad quòd eſt naturaliter diſpoſita iure hæreditario. habet ſputa putrefacta cùm ſuſpicione hecticæ. & cõſtitutio anni, quæ (vt ex Hippo. *audiuiſtis morbos iudicari) indicat morbum longum.* Omni*bus igitur modis ægritudo eſt longa futura.*

CVRATIO.

Ha*bemus membra vniuerſaliter affecta, quæ fuerunt cauſæ diſpoſitiuæ ægritudinis: ſed in has nõ incidit niſi propter cauſas alterantes. itaque res tota redigitur eo, quòd humores in magna copia generati in corpore ſunt diſpoſitiuę.* Pri*mum igitur corpus mũdandum ab omnibus excrementis. non enim poteſt aliter agi in iſta domina* Ia*m corpus redundat omni genere excrementorum, & à*

natura

natura etiam euacuatur per omnes vias, quia vndique multa euacuantur. ſed quia omnes euacuationes particulares præcedere debet vniuerſalis. ideo ab ea incipiendum erit nobis, quæ ſit vel per pharmacum, vel per miſsionem ſanguinis miſsio ſanguinis, ſi remoueantur impedimenta, nihil ea magis neceſſarium. Si *vrinæ craſſæ, phlebotomes, dicit Auicenna, hic craſſæ & rubræ, & plurimi humores permixti ſunt.* Ideo *crederem neceſſariam miſsionem ſanguinis.* Et *reuera etſi habemus ſuſpicionem hecticæ, tamen hæc egritudo certa eſt, cuius curatio non debet dimitti propter ſuſpicionem incertam.* Et *quid eſſet incommodi, ſi etiam ſtante hectica euacuaremus ſanguinem malum? nam refrenabimus calorem putredinalem augentem, imò facientem hecticam.* Mitterem *igitur ſanguinem, ſed non à ſaphena, quia non credo quòd propterea fluant menſes per vterum.* Omnes *venæ obſtructæ ſunt & repletæ, ideo non flueret ſi aperiretur ſaphena. & hanc ob cauſam abſtinerem. oportet enim prius aperire vias, & facere materiam tenuiorem antequam fiat diuerſio.* Ego *attenderem ad cauſam cauſarum, & mitterem à baſilica, & vacuarem proximè ab hæpate: & ſi ſanguis craſſus quàm multa euacuatione opus*

eſſe oſtenderet, & ego non poſſem vna vice tantum extrahere quantum vellem, & virtutis etiam ratione liceret, iterarem vices: quod vtiliſsimum eſt, & maxime laudant Gal. & Auic. *& credo quanto citius, tanto melius.* Dicebat Francanzanus *ſectam venã ante duos menſes, & obiiciebat ſuſpicionem hecticæ.* Montanus *tamen voluit repeti. nam quia putrida rationem habet cauſæ, ea remouenda, & præterea facilius hectica curabitur quæ non eſt adhuc in eo gradu de quo ſit curandum. eſt in principio. non acceſsit adhuc ad ipſum glutem membrorum. lenirem igitur aluum, & mitterem ſanguinem: præterea per medicamenta euacuarem: & procederem ſicut ſolet procedi in morbis pendentibus à materia craſſa viſcoſa & frigida, & qui curantur in hyeme. non poſſumus cum fortioribus, quia humor craſſus eſt. & ſumus in hyeme. ideo paulatim concoquerem, euacuarem, & iterarem. darem ſyrupos, præterea florem caſ. cui propter frigiditatem ventriculi & flatus apponerem hieram ſimp. quæ emendaret vitia caſſ. & vacuaret bilem. Ab vſu eorum non diſcederem, ſed frequentiſsime iterarem. licet enim dicantur non tranſire venas, meſaraicas niſi dentur in magna quantitate, id eſt*

intenſiue

intenſiuè vel extenſiuè, tamen per crebriorem iterationem etiam medianæ benedictæ euacuant omnes humores contentos in toto corpore. His euacuationibus iteratis, euacuabimus materiam, roborabimus ventriculum, aperiemus obſtructiones, & conſulemus ventriculo, quod confert vſus hieræ teſte Gal. Prouocabimus vrinam etiam, quod euacuabit humores contentos in venis. Ideo ſingulis ſeptimanis bis exhiberem hieram cum caſsia, diebus intermediis quibus non vteretur caſsia, ſumeret ſyrupum ita confectum. Recipe ſyrupi de farfara, de betonica ana. ℥ j. decocti capillorum veneris ℥. iiij. ſemis. confert ad obſtructiones lienis, pectoris & hæpatis: & ita ſyrupum haberem qui reſpiceret omnia membra affecta, & acciperem capillorum vene. & ceterach in magna quãtitate ad decoctum, circa caput ꝓpoſita ſunt electuaria quæ laudãtur à modernis. ſed dicã quod ſentio. Ego maximè ab eis abhorreo vbi imbecillitas ventriculi eſt ſuſpecta. Vidi homines ſæpe dũ illis volumus catarrhum curare, ex frequenti et nimio vſu electuariorũ incidere ĩ hydropen. dũ enim illa frequẽter ſumunt diu noctuq;, ĩpeditur coctio ne vnquã rectè fiat, et augetur catarrhus quia per incõcoctiones augetur materia, nec ipſorũ

electuariorum vis ad pulmonem ſed ad ſtomachum peruenit. Vellem igitur horum loco ſemper teneat aliquid ſub lingua in ore, cuius vis dum attrahitur aër, vnà cum eo paulatim attrahatur, & deſcendat ſtatim per tracheam arteriam. Si licet, parum diſcedat vna vice, ſed tamen fiat continuè per 24. horas. facit magnum effectum ad hoc bonum ſaccharum roſatum cum violaceo, & quid hoc modo per œſophagum deſcendit: tamen quia tardius id fieret per poros etiam aliqua eius portio tranſiret ad arteriam. Quod ad curas particulares, quæ multæ ſunt, poſt euacuationem vniuerſalem ad roborandum caput plura facienda, & ad pectus, & ad ventriculum: quæ ſi vellem proponere nunc, viderer ineptus, quia his factis ſi remanebit impreſſio, veſtra excellentia bene videbit. nunc non videmus quid futurum ſit, quare nõ erit deliberandum ea de re. Quæ ſunt propoſita circa pectus leniendum, laudo, quia fit maior præparatio muſculorum, quòd mouentur continuo, imò oleum amygdalinum dulce, chamæmelũ violaceũ laudo: ſed ita cõponentur, ne ſuperent frigida, ſed ſint moderata omnia. Inungatur ventriculus oleo maſtichis, lien oleo de capparibus & ſimilibus. De vino dicerem neceſſarium vt demus in ægritu-

dine

dine longa, & ventriculo imbecillo: ſit autem album, pauciferum, non flatuoſum, etiam montanum, cùm aqua tamen factum: quia quæ in planis creſcunt, ſunt craſſa, flatuoſa, & maligniora. Ratio victus ordinetur à veſtris excellentiis. Oua in febribus citrinis nunquam danda, imò in tertiana, & tãtùm exhibet die Gal. quæ ſine paroxyſmo eſt. ratio eſt, quia facile alterantur, & ideo facillime putreſcunt, adeo etiam vt in ſano corpore ſi ventriculus ſit paulo calidior, ſtatim vertantur in bilem.

DE GALLO QVODAM LA- *borante quartana triplici in hoſpitali.*

NEſcio adhuc quo morbo laboret: quare faciam vt docet Auicenna, ſubtiliabo regimen donec morbus appareat. Primùm victus rationem p̃ſcribam. Sumpſit heri electuarij lenitiui ʒ.12. cũ ſaccharo in forma boli. in fine acceſſionum habuit magnã ſitim, quare laudo talem potionem. Recip, ſyrupi, acetoſi multæ acetoſitatis ℥. iij. vini gra-

natorū ℥.j. aquæ borag. (ob ſuſpicionē quartanæ) lib. i. miſce. & vtatur pro ſiti, & bibat cyathum vnum in fine paroxyſmi dum ſitit. Pro ſyrupo vt cras mane habeat, quia obſtructiones habet, vt fere ſemper videbitis in febricitātibus cùm occurretis poſt 20. diem ægritudinis hypochondria tangentes percipietis tenſionē. ſemper habent obſtructione, quæ aperiendæ ſunt, alias nunquam curabitis febrem. ſed noluit progredi principio cū amaris & per ſe aperientibus. Rec. oximel. ſimpli. ℥ i. mell. roſa ℥. ſe. aquæ cichorij ℥. iij. miſce & detur calidū, mane pro ſyrup. Iſte Gallus habet quartanam quotidianam, quæ ſæpe contingit. exemplum habetis apud Gal. de eadem. in lib. de precognitione & de differentiis febrium. ſed circa febres putridas multa eſſent dicenda, quæ oportet ſupponere. nihil enim dicere volo ex obſeruationibus, ſed ex principiis, ſicut fieri debet. Quod cū hic nō poſſimus, vbi ſupponendo multa ſine arte loquimur, in ſolis fundamentis dicamus. Quatuor ſunt humores qui putreſcunt. bilis putreſacta tertianas facit. pituita amphimerinas. ſanguis reuera in venis non putreſcit niſi in febre peſtifera extra bene putreſcit in inflammationibus & bubone. Sed an putreſcat ſanguis, & quomodo

do ex eo fiat febris,in ſcholis dicemus. Nunc tres humores ſumamus . melancholicus humor ciet quartanam.Cum talibus occurretis, quomodo debetis agnoſcere ? non debetis expectare diem paroxyſmorum. hoc ridet Gal. 2.de criſibus. poſſunt enim decipi cum variantur,pro varia ratione aduſtionis humorum. Si ex paroxyſmis hanc vultis iudicare, erit quotidiana. ſed oportet febrem cognoſcere à propris ſignis, differentiis & accidentibus: quorum ſigna trademus. Humor melancholicus eſt craſſus , feculentus,frigidus, mordax , ſua aciditate,& potius aſtringens exaſperat , ac ſi meſpilum comederitis. ſunt acida,auſtera & acerba,quæ Arabes pōtica dicunt. ergo à natura rei, cum humor ille, ab interioribus ad exteriora mouetur, facit magnum frigus,quia humor in ſe frigidus tangit muſculos:& eſt humor naturæ id eſt vitæ (quæ in calido & humido conſiſtit) inimicus, calori oppoſitus. ideo natura proſternitur,& fit maxima contractio caloris , etiam frigus maximum , quod eſt ſignum quartanæ differt enim à frigore bilis.nam ipſa quoque frigus facit , & motum concuſſionis : ſed quartanæ frigus maius eſt . ac ſi quis valde frigido occurrat , dicunt ſe

tantum frigus ſentire ac ſi quis nudus verſaretur in niue, frigus verò à bile acſi acu mordicarentur, eſt. Quotidianæ etiam frigus facilè ab aliis diſtinguitur. eſt enim rigor eius tanquam cum ſono, & hoc eſt proprium ſignum pathognomonicũ quibus febres diſcernuntur. Pulſus deinde ab humore frigido non ita inæqualis ſicut quotidiana, magis tamen inæqualis quàm quartana, & ratio eſt. Qui quotidianam patitur, habet quotidie paroxyſmon: & quia pituita multa extinguit calorem, ſupra modum aggrauatur natura: & fuit pulſus inæqualis, ſicut de baculo dat exemplum Gal. (Semper ex principiis progrediendum. Videatis lib. Gal. de cauſis & ſymptomatis, de cauſis pulſuum, & de criſibus & in illis exerceatis vos) in quartana licet melancholia pauca ſit quantitate, nec tam abũdet quàm pituita in quotidiana, parum aggrauatur grauitate propria, et ratione ponderis fit pulſus inæqualis, In tertiana magis augetur neceſſitas euentãdi: ideo minor eſt pulſus & velocior quàm in quartana aut quotidiana: & quia humor leuis eſt valde, non ita aggrauatur natura: & ideo pulſus non eſt adeo inæqualis. Item habet ſe pulſus in quartana mediocriter inter tertianam & quotidianam in inæqualitate,

qualitate, velocitate, et magnitudine. Eſt pterea rarior ob materiã humorũ terreſtrium: et ppter duritiem ſeu ſiccitatem inſtrumenti, quæ etiã ad paruitatem facit. Eſt et aliud ſignum decernendi, ipſa ſ. acceſsio febris, principium paroxyſmi, et augmentum, longiora quã in reliquis, quia tarda eſt putrefactionis, nec habet ſtatum nec declinationem vt quotidiana. patitur igitur quartanã, ergo ex humore melãcholico putreſcẽte. Sed hic quotidie patitur, quia natura grauatur multa materia raro ſola & ſimplex cõtingit, nec ſæpe videtis quotidianã nec quartanã puram, quia ſemper aliquid pituitæ admiſcetur melancholiæ: frequentius verò exquiſitas tertianas. hæc aliquando maiorẽ frigiditatem propter pituitã mixtã, quandoq; minorem, & videtur vnus dies quaſi quartanæ deditus. reliquis diebus mouentur alij humores. habet autẽ propter febrem obſtructiones viſcerum. Non habet quidem duritiem tympaniticam, ſed tenſionem, quia febris habet calorem innatum ad ignem. ideo facit coctiones deteriores. Sũt igitur alendi cum victu tenui: quia dum manet febris, manent cruditates. ſic fiunt tenſiones. oportet autem has obſeruationes etiam curare, quia habent cauſam ſine qua non poteſt curari febris. quare dedi ſyrup. apertientes.

& iam apparet coctio aliqua ex parte in vrina : quæ quamuis ſit ſatis laudabilis, non idem tamen eſt ſtatus donec exactiſsimè ſigna coctionis appareant.

CVRA.

Morbus eſt materialis. ergo ſtante coctione in vrina euacuare oportet, cum appareant ſigna coctionis. humor melancholicus eſt. quod igitur erit inſtrumentũ? mihi familiare, quo ſemper vtor, confectio hamech aurea, quam confert Meſue magna arte. ideo extollo Arabes, quia habebãt methodũ in cõpoſitione medicamentorũ. Sed neſcio quî fit alii à Græcis ad Arabes, alij ab Arabibus ad Græcos diuertunt: et hinc atq; hinc vagantur: quod fit quia ſine ratione feruntur: qui ratione procedunt, illi hæc non faciunt: quia vtrique errare potuerunt, & Arabes, & Græci. Aliquando boni ſunt, aliquãdo mali. Id quia nos nõ diſcernimus, & nos erramus, & alios errare facimus. ita oportet vnum portare onera alterius. Conſtant vires in hoc, & eſt iuuenis, & locus temperatus. ideo totam doſim dabimus. Integra autem doſis pro viribus communibus eſt ʒ. iiij. et hic habet obſtructiones in quibus difficilius educuntur humores: & tenſa hypochondria. ſed non nimium obſtructi ſunt meatus ita vt materia educi non poſsit: alioqui

qui

qui non darẽ. Reci. *confect. hamech* ℥.iiij. *trochiſcorum abandal genera.* v. *miſce, fiat bolus cum ſaccharo.* Habet *quartanam principaliter quia habet acceſsiones de 4. in 4. vehementes poſtea alios dies quartanos minores. fecit linteamina frigida vnde augetur putredo. oportet igitur adhuc aperire cum incidentibus.* Auicenna *acetum proponit, ſed non ſoluit. humor melancholicus maiori indiget præparatione.* Quomodo *concoquuntur humores? ſemper concoquuntur calore moderato. reducendus igitur calor ad temperaturam.* Si *acutus eſt, faciatis benigniorem. ſi acris, retundatis eum cũ frigidis. ſi obtuſus, & minorem habet calorem, reducatis eum ad temperiem. nam omnis coctio fit à calore temperato. finis autem coctionis eſt ſeparare bonum à malo, vtile apponere membris, inutile excernere.* Et *ſunt propria opera naturæ quæ per calorem temperatum ſemper tentat coctiones in humoribus.* Quia *omnes humores habent aliquid boni quod ſeparat, ingratum verò expellit. quorum parantur prius humores?* Hic *aliis inſtrumentis opus eſt. hic enim non eſt cõcoctio, ſed quædã ad concoctionem præparatio.* Cũ *craſſus eſt humor, incidimus. ſi viſcoſus, abſtergimus. cũ qualitas aliqua peccat, præparamus cum con*

trariis. Nos *ergo imitabimur naturam.* V*olumus præparare humores & concoquere?* Duo *ergo facienda. Gal.* 4. *ſanit. tuen. &* 10. *Therapeu.* Primo *adhibet quæ iuuant actionem, fouet ventriculum & hypochondria. dat diatrion piperes. poſtea præparat humores, & vias incidit.* Ita *hic quoque humor melancholicus peccans frigidus eſt & craſſus.* Primo *igitur cum linimentis foueatis hypochondria & ventriculum, vbi fiunt principales coctiones, & præcipue lateris ſiniſtri rationem habeatis vbi ſplen concoquit. ex hoc habebitis coctionem humorum. Ergo in febribus putridis poſt purgationem vtor oleo chamæmel. vel anethino cũ vino aromatico. qua vnctione pori aperiũtur, & adiuuãtur coctiones.* In *principio quietos humores relinquo donec euacuẽtur. primum phlebotomia, cũ fieri poteſt vtilis.* Si *nõ eſt bonũ fouere ventriculũ & hypochondria, vt circa partes principales fiant bonæ coctiones, euacuamus humores. fiãt ergo frictiones cũ linimento, vt aperiãtur pori. eſt enim cõſtipatio hæc, & vt crudi humores cõcoquantur. poſt coctionẽ deinde curemus ꝑparationẽ. Quia ſunt craſſi, debent incidi.* Si *eſſet pituita ratio facilis foret, quia humida eſt. humor melancholicus craſſus eſt & ſiccus, & ea quæ incidunt, exiccant e-*

tiam

tiam.oportet ergo quærere incidens quod vnà humectet: quia nunquam præparabitis humorẽ melãcholicum ſimpliciter incidentibus, niſi alternatim exhibeatis:per treſq; dies humectent, per duoſque exiccent. Poteſtis *vti hoc.* Rec.*glycyrrhizæ.paſſul.ſeminũ altheæ,camæmelũ, poma dulcia, decoquantur in bro-dio pulli.eſt delectabile, & humectat.vel rapas dulces decoquo.ad vltimũ,p̃terea decolarefacio, et abiecta ſubſtantia raparũ in prãdio & cœna exhibeo loco ferculi:ſic poteſt humectari humor melancholicus.* Quinto die *poſtquã ita humectaſtis,poteſtis præterea exhibere incidẽtia,oxymel ſimpl. ſyrup. de epithymo,praſsio cũ melle.poſtea alterãtia exhibere,vel miſcere etiã cum humectantibus, vt* Reci.*ſyru.de pom.* ℥.j.*oxymel.ſimpl.mel.roſ. ana* ℥.*ſem.decoctionis infrà ſcrip.*℥.iiij.Rec. *glycyrrhizę raſ.* ℥ j.*polypod.* ℥. j. *ſe.paſſul.* ℥.ij. *borag.* M.I. *decoquantur in tribus libris aquæ ciſternæ ad cõſumptionem tertiæ partis, & diuidatur ipſa decoctio per* 6. *ſyrup.* Pro *linimentis.*Reci. *olei anethini chamæmelini, ana.* ℥.j.*miſce & fricetur leniter totũ corpus, & illinatur mane & ſero per horam ante cibum.* Item *olei de abſynth.* ℥. *ij. chamæmeli* ℥.j. *ceræ* ℥ j.*miſce.*Fiat *linimentum pro toto ſtomacho ventre & hypochondriis, ap-*

plicandum in fine paroxyſmi.

COLLEGIVM DE MELANcholico quodam D. Montani.

A Ccidentia quibus affligitur hic nobiliſsimus vir, ſunt manifeſta ſenſui, de quibus non ambigere poteſtis. Primo *percipit ſtuporem manifeſtũ ferè in omnibus corporis partibus, præcipue tamen circa tibias: et obtuſionem ferè omniũ ſenſuũ, tactus, guſtus, &c.* Dicit *etiam aliquando ita ſibi diffidere vt nõ auſit egredi domum, metuens ne deficiat, & in curſu etiã detrimentũ quãdoq; percipit. nõ audet ĩterdũ loqui ita defectus totus diſcurſus refercebatur ad diffidẽtiã. Eſt & aliud inſigne, maculæ nigræ circa omnes partes corporis in ipſa cuticula nõ profundæ, ſed ſuperficiales tamen. et illæ ſunt cum pruritu magno, vt conetur ſcalpere: eſtq; ipſum genus quod et dioſco. et Gal.* ἐφηλίδας *vocãt, q. à ſole cõtractæ. ſunt enim nigræ quales ſunt homines multũ in ſole ãbulantes. hæc cõtingunt per interualla, & ſolebãt redire ſingulis menſibus ſed poſtquã eſt curatus* Venetiis *ab excellentiſſ. medico & fratre meo, non tã ſæpe redeunt interim illa, vt nunc poſt duos menſes aut vnũ cum dimidio redeunt.* Addit *quod licet rarius veniant ea ſymptomata, tamen*

men in interuallis non ita prorſus ab iis liber ſit vt ante. nunc quaſi ſemper ſentit aliquid quod ante illam curationem nō ſenſerat. Hæc ſunt accidentia ab eo recitata: quæ omnia ſunt facilia cognitu: ſed in cauſa indagādis eſt ſumma difficultas: nec poſſum mihi ſatisfacere. Circa ſtuporē maxima difficultas eſt. Stupor eſt actio diminuta. ergo à frigiditate. 3. de cauſis ſymp. Actio corrupta à caliditate venit diminuta ab intemperie frigida. hic actio diminuta. ergo à frigiditate, idque vel poſitiue, vel priuatiue. Diminuitur actio, cum fit frigiditas in membro, propterea quod virtus animalis ſeu calor ac ſpiritus veniens ad membrū illud non accedit. ita membrū priuatur calore debito; refrigeratur priuatiue. ſic refrigerantur membra in timore, quādo ſpiritus & calor ad cor refugiunt, ac ceſſant motus & ſenſus. frigiditas poſitiua eſt cum refrigeratur membrum, nec quia in propria eſſentia & intemperatura læſum eſt ac refrigeratum, vel quia materia affluxerit, atque ita in ipſo membro ſit quod lædit. Hæc ergo eſt difficultas, quod non ſcio vnde poſsit eſſe ſtupor. Si à cauſa priuatiua, ea eſt vel ob obſtructionē, vel ob paucitatē ſpiritus, ſeu ob aliud accidens ſubitum. in his omnibus debebat ante lædi motus, ad quem longe

maiori & vehementiori calore & ſpiritu opus eſt, quia motus eſt in actum, ſenſus in pati. ſecundò natura magis ſolicita de neceſſariis, ſemp reſeruat id quod magis eſt neceſſarium. igitur cum alterũ eſt amittendum, potius motus quã ſenſus aufertur, vt in paralyſi. Propter has duas cauſas non credo, neque ob paruitatem ſpirituum, neq; ob obſtructionem eſſe imbecillitatẽ in ſenſu alicuius mẽbri, & nõ in motu. Sed dicat aliquis, diuerſi nerui ſunt, nã nerui ſenſus ſunt humidiores, & facilius lædi poſſunt quã nerui motus. Reſponſio, nerui motus duriores quidem ſunt, & ꝑpterea etiã non ita facile implentur à ſpiritu pauciori, vt nerui ſenſus, qui humidiores ſunt et parui. deinde nerui circa quos ipſe ſentit maximã imbecillitatẽ in ſenſu tactus ꝑpe tibiã, non ſunt tã humidi, quia nõ à cerebro ſed nucha & ſpõdilis dorſi oriuntur. Nec ob frigiditatẽ poſitiuã hoc fieri poſſe video. Si enim dicas factã frigiditatẽ quia fluxerit materia ad neruos ſenſuum, et nõ ad neruos motus, quia diuerſi ſunt, et quidem ſenſus nerui imbecilliores nõ ita reſiſtãt læſionibus extrinſecus. Reſpõſio. Verũ facile poſſe pati eos neruos, vt Gal. 1. de ſympto. cau. de his qui in ſenſu tactus impedimenta habẽt, et nõ in motu. ſed id nõ videtur eſſe in hoc viro. Si enim in-

temperies eſſet in illis neruis, ꝑpetuo eſſet, nec aliquãdo ceſſaret. hic verò ſentit quãdoque, quãdoq; nõ. Si eſſet ibi fixa materia ꝑpetuo, nõ ſentiret. Et ita reſtat difficultas apud me magna, quæ ſit cauſa. Præterea, ſi tantum eſſet ibi humiditas obtũdens calorem, & non frigiditas quadã ſed caliditas quædam, ſed caliditas quæ obtunderetur quidem ad humiditate, nõ poſſet tamen extingui, nõ ſequeretur diminutio actionũ, ſed corruptio. Gal. 2. p. ait: intemperies cerebri calida humida corrũpit actiones. & ſi eſſet tãta humiditas cerebri quæ obtũderet calorem, nõ bene diſcurreret, nec memoraretur. hic optimi ſenſus & exactiſſimi, memoriter refert omnia quæ cõtigerunt ei per totam vitã. Scitis autem dictũ Democriti, Spiritus ſiccus, anima prudentiſſima. Non igitur poſſum imaginari quomodo humiditas ſit impediẽs et obtũdens calorẽ in hoc viro: atque ita plenus ſum difficultatum Auditis proceſſum quo in rebus ignotis deducam vos per coniecturas. Suppono temperaturam. à natiuitate abundauit in hoc corpore caliditas cum humiditate. id coniicio ab habitu corporis in hac ætate. eſt enim 20. annorũ obeſus et craſſus ſeu pinguis: et video ſigna manifeſta. eſt ſubniger, et nõ habet pilos indicantes frigiditatem. deniq; abũdat multo ſanguine, quo hepar eſt calidũ et humidũ, ge-

nerans multũ ſanguinẽ. Habuit autem *peſſimã rationẽ victus* Venetiis *primũ: præterea* 16. *natus ãnos iuit in* Dalmatiã,*ac vbi craſſus et meridionalis aër. veſcebatur carnibus et piſcibus craſſis. laborabat animo & corpore ſub ſole, et in negotiis circa quæ non erat aſſuetus. inde contraxit cacochymiam ratione temperaturæ, & cauſarum extrinſecarum, et cõgregauit multã materiã melãcholicã: quia qui calidi et humidi generãt multũ ſanguinẽ, et plurimũ etiã fecũ: quia vbi multũ eſt de ſanguine, pſertim craſſiore, ibi etiã multũ eſt de fece ſanguinis: et tales fiũt facile melãcholici cũ accedit cauſa extrinſeca, ſicut hic oĩa cõſpirãt. multos noui tales.* Eſt *etiã manifeſta cõiectura ex*Gal. 4. *de ſani. tuẽ.* Tale *dominiũ humoris qualis eſt color cutis, hic ſũt maculæ coloris admodũ nigri, quæ cooperiũt ferè totã cutim, quæ ſignificant dominiũ humorũ eius. illæ maculæ pruriũt plurimũ. excitatur autem ille pruritus à difflatiõe, quia difflatur humor melancholicus: deinde etiam quia humor eſt acidus. ſemper enim aliquid pituitæ admixtũ habet, quia melancholia frigida eſt, & extinguit calorem naturalẽ hæpatis, & repletus eſt ſplen eo humore, intumeſcit, & ſua frigiditate agit calorem hæpatis, & impedit coctiones. ita ſit vt generetur multa pituita.*

Ideo

Ideo multi qui abũdãt melãcholico humore, ſunt hydropici & ſplenetici ob extinctionem caloris naturalis, & multitudinẽ phlegmatũ. Hinc *eſt quod apud veteres omnes medicinæ euacuãtes humorẽ melancholicũ, ſemper habent admixtũ aliquid euacuans pituitam, quia nunquã ſeparãtur, vt in cõfectione hamech, elect. indo & alijs antiquis. nec credo eſſe ſuccum melancholicum aduſtum, quia faceret vlcera: ſed credo naturalem eſſe. non enim eſt malignus. Pruritum autem facit propter aduſtã pituitam. abundat ſuccus melancholicus naturalis, qui generatur in hæpate, & tranſit per omnes venas. quod mihi manifeſtum eſt, quia maculæ ſunt per vniuerſum corpus ex venis autem ſuccus ille tranſit in corpus. & ad cutim, & facit illas maculas. Quia igitur in toto ambitu venarũ, perpetuò igitur euaporat ad caput, & ſuis certis periodis corrũpit actiones cerebri. prout magis vel minus augetur à mala ratione victus. Sunt enim certæ periodi & variæ pro ratione humoris, vt apparet in quartanis, & actiones variè diminuuntur, prout vapores aſcendentes diuerſas cerebri partes occupant, vt tertiò de cauſis ſympto. nunc diſcurſum, nunc imaginationem, nunc memoriam. Et eſt varietas magna in eo præcipuè*

humore, vt refert Galenus quendam imaginatum ſe eſſe gallum, alium ſe habere caput ex olla fictili. Nec *harum rerum cauſæ certæ referri poſſunt cur vel hæc vel illa actio impediatur. hic homo illud, aliud alius imaginatur.* Vidi *quendã qui totã mũdi ſuperficiem imaginabatur eſſe ex ſubtiliſſimo vitro, & ſubtus eſſe ſerpentes. ſe in lecto tãquã in inſula, vnde ſi egrederetur, frãgeret vitrũ, & incideret in ſerpẽtes. ideo nolebat ex lecto egredi.* Credo *autẽ totũ hoc imaginationẽ eſſe, & quod omnia illa ſymptomata imaginetur, & quod nõ ſentit in tibiis, ſi pungeretur fortiter, fortaſſe ſentiret.* Ita *imaginatur, vt nõ poſſit diſcurrere, aliquãdo ita diffidit ſibi, vt nõ poſſit exire domum.* Timet, *quod eſt propriũ melancholici.* Vidi *plures tales venetos.* In *oculis bene credo defectum aliquem. videtis quã latam habet pupillã.* Reliquum *totum credo eſſe imaginationem. & fit interdum re vera vt homo non ſentiat, cũ eſt intentus in aliud, vt ait* Ariſtot. *in proble. & 2. de anima, alio occupata nõ percipit obiecta.* Hippo. *ait,* Vbi *aliquis dolorẽ non ſentit, mens laborat. quod admodum quadrat ad propoſitum noſtrũ. iſte dolores non ſentit, ergo mens ægrotat.* Nec *(meo iudicio) poſſumus referre alias cauſas, ſed credo totum effectum melancholicum, &*

po-

ponerem illum in capitulo de melancholia, vt dicunt. Eſt *autem humor melãcholicus nõ per eſſentiam in capite, ſed per cõſenſum ex-halat ex hæpate, & ex ambitu venarum.* Eſt *enim duplex humor melancholicus. 3. locorum affect. quandoque in capite, quandoque in ambitu venarum.* Credo *quod ſit hic per conſenſum in capite, per eſſentiam in venis, idque eo, quod certas periodos habet. Si in capite, ſemper & perpetuò talis eſſet.* His *ſtantibus credo quod difficulter curabitur, quia omnes affectus melancholici diu durant, ex Galeni ſententia. qui ex* Diocle *refert de hypochõdriorum dolore, qui per conſenſum tamen eſt: quanto hic cura difficilior! nihilominus ſi quis toto ſtudio quærat euacuationes, & curet ne generetur alius nouus morbus, melancholiam vel curabit, vel ad meliorem ſtatum reducet: quia interim ex quo euacuari cœpit & curari, leuius interim inuadit, & per longiores periodos, ſi præſertim talis euacuatio fiat cum helleboro qui verè euacuat melancholiam. videmus enim effluere cum exhibetur, non aquea & humida, ſicut fit cum dantur folia ſenæ & epithymum. nã hellebotus verè & ſine difficultate melancholiã euacuat, ſi debito modo & iuſta quãtitate exhibeatur.*

CVRA.

Quia igitur in toto corpore & ambitu venarum eſt primò minuerem ſanguinem, præmiſſa leui purgatione materiæ cõmunis quæ eſt in ventriculo & inteſtinis. darem igitur caſsiam, vel hieram. præterea euacuarẽ ſanguinẽ copioſe ex baſilica vtriuſq; lateris ad 16. vel 20. etiam ℥. duabus vel tribus vicibus, quia corpus eſt plenũ ſanguine. poſt miſsionem ſanguinis darem præparantia, ſyrup. borag. bugloſſ. lupuli, & decoquerẽ in 15. vel 16. ℥. aquæ caſei cũ modico oxymellis ad purgandum leniendum & coquẽdum ſuccũ melancholicum. tandem euacuarem cum lenioribus. primũ quæ ſuccũ melãcholicũ & pituitã ſimul educũt, vt cõfectio hamech, & alia. Poſtea vbi ſemel aut bis hoc factum eſſet, ad decoctũ hellebori accederẽ cum alijs. vt omne genus myrobal. cõtuſ. infuſ. in aqua fumiterræ decoquas. coctioni præterea addãtur folia ſenæ, epithymi, polyxã. glycyrrhum, & ſemper vini 6. ℥. huius decocti eſſet ℥. ſe. hellebori. idq; ter vel quater facerẽ, prout & humorẽ educi, & ægrũ melius habere viderem. Videbit procul dubio ſe iuuari hac ratione. Præterea vtatur victu optime nutriente. comedat carnes iuuenes generãtes bonũ ſanguinẽ. vinũ bibat maxime nigrũ aut ſubruffum. ſit cũ ſo-

cijs

cijs lætus & hilaris. viuat in aëre purio-re, æſtate præſertim, qualis eſt in foro Iulio. vel ad montes Vincentinos. Hæc ſi omnia quo ordine debet agit, vel curabitur, vel ſaltem minus laborabit.

DE MORBO GALLICO.

LECTIO I.

PEr contagium acquiritur ille morbus, non tantum ex congreſſu mulierũ cum viro, ſed ex lacte à nutricibus, & quãdoque nutrices ab infantibus afficiuntur. Et qui dixerunt non acquiri per contagionem, rationem non video: vnde enim primus habuit, & quomodo acquiſiuit? ſimile eſt vt ſi quis diceret vtrum gallina an ouũ prius fuerit: Alij dixerunt ab influxibus cæleſtibus, quod non credo. Sed poſſumus dicere quod primus ille ſit conuerſatus cum alijs laborantibus hoc morbo. Poteſt etiam alius ab alio qui talia habet vlcera, cum dormit, aſſequi, vel etiam pectinibus eorum ſi quis ſe comat, qui habent talem morbum per contagium: ſiquidem ab illis puſtulis & vlceribus interdum aliquod virus emanat, quod cum inſpergitur in pannos illos, quia quandoque caleſiunt tales, & pori dilatantur, & virus habens qualitatem venenoſam

CVRA.

Quia igitur in toto corpore & ambitu venarum eſt primò minuerem ſanguinem, præmiſſa leui purgatione materiæ cõmunis quæ eſt in ventriculo & inteſtinis. darem igitur caſsiam, vel hieram. præterea euacuarẽ ſanguinẽ copioſe ex baſilica vtriuſq; lateris ad 16. vel 20. etiam ℥. duabus vel tribus vicibus, quia corpus eſt plenũ ſanguine. poſt miſſionem ſanguinis darem præparantia, ſyrup. borag. bugloſſ. lupuli, & decoquerẽ in 15. vel 16. ℥. aquæ caſei cũ modico oxymellis ad purgandum leniendum & coquẽdum ſuccũ melancholicum. tandem euacuarem cum lenioribus primũ quæ ſuccũ melãcholicũ & pituitã ſimul educũt, vt cõfectio hamech, & alia. Poſtea vbi ſemel aut bis hoc factum eſſet, ad decoctũ hellebori accederẽ cum alijs. vt omne genus myrobal. cõtuſ. infuſ. in aqua fumiterræ decoquas. coctioni præterea addãtur folia ſenæ, epithymi, polyxã glycyrrhum, & ſemper vini 6. ℥. huius decocti eſſet ℥. ſe. hellẽbori. idq; ter vel quater facerẽ, prout & humorẽ educi, & ægrũ melius habere viderem. Videbit pculdubio ſe iuuari hac ratione. Præterea vtatur victu optime nutriente. comedat carnes iuuenes generãtes bonũ ſanguinẽ. vinũ bibat maxime nigrũ aut ſubruffum. ſit cũ ſo-

bent, ſcorta ſecum ducunt, ex eo coitu contagium fecerunt. Et quia in bello gallico incœpit apud Hiſpanos *morbus gallicus eſt dictus: & galli nominant morbum* Neapolitanum. *Nunc autem eſt frequentiſsimus: eſt igitur contagium ille morbus. Sed hoc non quærimus. Sed videndum eſt, & hoc difficile eſt, quia quot homines tot opiniones. Multitudo enim dubitãtium arguit difficultatem materiæ.* Videndum *ergo an iſte conta-ctus imprimat aliquam intemperiem, & materiam tribuat corpori, & ſi eſt intemperies quænam ſit. Primùm quod acquiritur per contagium eſt intemperies calida & ſicca faciens aduſtionem, & non eſt oculta qualitas, vt illi arbitrantur, ſed per contagium acquiſita, quæ cum in vno membro incipit, paulatim ſerpit ad aliud. & primo hæpar occupat: eſt enim in tali gradu vt adurat. primò namque adurit alimentum ad ſe delatum: & humores qui aduſti ab intemperie faciunt vlcera, & ſemper adurit, & trahit propter dolorem nouam materiã vt vlcus perſeueret & difficile curetur, quia materia ſemper aggregatur & propter dolorem attrahitur noua, & quia humidum radicale exiccatũ eſt, non poteſt vlcus conſolidari. Omnis enim intemperatura*

ſicca difficile reducitur & corrigitur: ſed humida facilè. Sed hæc eſt calida & ſicca intemperies & longè ſiccior quàm calidior, ideo cura difficilis. Omne enim agens facilius imprimit in ſubiecto præparato quàm non præparato. Quia omne membrum quãto laxius & humidius, tanto citius recipit impreſsionem, vt orificium vuluæ, labia, lingua, præputium, virga: quia hæc membra laxa & humida, & facilius penetrat contagium huiuſmodi quàm ſi durum & ſolidum membrum eſſet. Vnde præcipuè ex coitu morbus iſte contrahitur, quia fit confrictio, caliditas augetur, rareſiunt pori, aperiuntur & relaxantur. Sæpe virus & materia virulenta emanans ab eo loco inficit tantum qualitas ſimplex, ſed etiam materia illius præputio imprimitur. Iſte modus eſt vnde incipit contagium, & non refert ſi non fit per coitum: ſed etiam cum quis dormit cum eo qui cruſtas & vlcera habet. Qui enim carnes molles habent facilè contrahunt contagiũ, & qui ſe pectũt pectine quo gallici vtebantur, quia aliquid virulenti habent. Cum ſe ergo pectit quis inueniens poros laxos maximè pueri & mulieres, eos inficit. Raro tamen hoc fit. Sed ex coitu facillima contractio: & fere omnes conſequuntur inde: quia

quia ſubiectum diſpoſitum rareſit: currit eò ſanguis: & ſpiritus ſuſcipiunt illam virulentiam, & ſic fit impreſsio. Sed quare ſit calida & ſicca intemperies, ex natura rei poteſtis cognoſcere. Primò vbi occurritur tali vlceri in virga aut vulua, habet inſignem duritiem, quæ indicat eſſe ibi materiam craſſam. Vel eſt igitur pituita vel aduſta materia. Sed non eſt pituita, quia hic corroſio & caliditas, & quod exit virulentum. Igitur illa calloſitas materia aduſta eſt & non pituita. Secũdum ſignum, corroſio fit, quæ eſt à materia craſſa aduſta, vt Galenus in libro de tumoribus teſtatur, vbi materiæ craſſæ & aduſtæ erodunt, & hoc eſt proprium craſsæ materiæ: quia ſi ſubtilis eſſet materia, potius faceret eryſipelas & ſuperficialiter imprimeret. Sed quia eſt aduſta corroſionem facit, & illa puſtula ſtatim vlcera in virga. Tertiò quod exit virulentum eſt, & erodit. Quarto iuuatur à rebus quæ conueniunt vlceribus aduſtis, ſed poſtea diffunduntur. & accedit caliditas & ſiccitas ad venas & hepar, & generant talem ſanguinem, ita vt poſtea efficiatur tale quale præputium fuit. Quomodo hoc fit? Quotidie videmus quando aliquis ſanus dormit cum ſcorto vel mu-

liere habente ſcabiem, vel ex exiccatione manus in linteo, quo ſe tergebat ſcabioſus, incipit primum pruritus in vno digito, & peruenit paulatim ad hæpar, & generatur talis ſanguis, vt quandoque totum annum ſcabioſus maneat, & totus efficiatur ſicut læproſus. Propoſitio hæc vera eſt: vbi affectus eſt vniuerſalis in toto corpore, oportet principium eſſe vitiatum, vt ſi quis priuetur ſenſu & motu vitium erit in cerebro. Si priuetur pulſu erit vitium in principio cordis. Vbi autem in ſingulis partibus vitiatur ſanguis, vel aduſtus, vel pituita ſalſa, ſi in toto corpore æqualiter diffunditur, origo vitij erit in hæpate, à quo generatur ſanguis. Sic ex vna puſtula in manu ſerpit vitium ad hæpar. Sic quoque in morbo Gallico, vt Galenus de locis affectis. Si tantillum virus eſt ex ſcorpione vel phalangio procedit ad cor & cerebrum. vt ille apud Galenum comitialis videbatur ſibi quaſi aqua perfundi, non mirum hic quoque eſt. Eſt enim res incredibilis quantum poſsit contagium. videtur virtus eſſe ſpiritualis veluti opium: quia eius maxima virtus eſt vt refrigeret tantam maſſam ſanguinis. Sunt res occultæ in natura. Sed hic non mirum ſi diffundatur iſta mala qualitas à piſtula vir-

gæ ad hæpar ſerpendo; vnde tales primò habent colorem liuidum, ſubnigrum, plumbeum. 4. de tuenda ſanitate. Talis color indicat eſſe calidam ſiccam intemperiem in hæpate impreſſam. Triſtes ſunt, neſcientes cauſam, melancholici ex aduſtione non habent ſanguinem floridum, igitur triſtantur. & ſi diutius manet impreſsio, non trahitur ſanguis à membris, quia renuit membra, ſuperfluitates multiplicantur, ſi debiles iuncturas habent podagra. In perioſtio ſanguis penetrat: videtur ac ſi dolor in oſſe eſſet. Quod ſi magis aduſtus humor & virtus fortis expellitur ad cutim fiunt puſtulæ ſed ſemper aduſtæ, eſcharræ vel virentes, vel nigræ. Quandoque autem ita acris materia, vt vlcera faciat ob multam aduſtionem, etiam palatum exulcerat, quia vapores acres traducti aſcendunt ad laxitatem. Cur in capite cruſtas facit & ampullas? quia dum aduritur ſanguis, magis vapores aſcendunt ad caput. Et quia cerebrum fumum expellit, fiunt cruſtæ in capite. Præterea furculis dolor eſt in principio, quia vapores aſcendentes hærent ibi in perioſtio. Semper enim primum ſuperiora inuadunt dolores: etiã in brachijs dolor, cadunt pili non propter defectum alimenti, vt in conualeſcen

tibus. Sed quia corrumpitur alimentum, licet ex aduſtione pili generantur. Non tamẽ ex illa corrupta materia. Oportet enim conuenientem eſſe aduſtionem, vnde omnia quæ adueniunt corrumpunt pilos vt auripigmentum, quia adurit radices pilorum. Iſta iſti vapores aduſti & acres in morbo gallico omnia tendunt ad hæc & concinunt ſibi velut choros intemperim calidam ſiccam hæpatis ſignificantes. Ergo æqualiter vitium in corpore, nempe hæpate. Primo igitur iſta diſpoſitio acquiritur per contagium, & quod ſit illud contagium indicat intemperies calida ſicca colliquans humidum radicale & alimentale faciens vlcus in membro certo vt præputio: humor aduritur, exulcerat, fit dolor, & alia attrahitur materia & communicatur hæpati, tandem fiunt vlcera & ſemper aduſta & corrodentia, & virulenta, quod oſtenditur ex iuuantibus & nocentibus. Serpit ergo ad hæpar quod cum calidum & aduſtum ſanguinem generet fiunt dolores mordicatiui, pungitiui, perforatiui, & vbi humor perrumpit, facit peſſimos abſceſſus duros. Sed iſta aduſtio habet gradus. Si intemperies hæpatis pituitoſa ſit, ſemper quidem aduſtiones erunt, ſed ſecundum magis & minus, vt corpora variẽ

temperata

temperata inueniat: ſic pro varijs tempera- turis varia vlcera facit. Sic etiam alia vlce- ra varia fiunt iuxta varietatẽ tẽperaturarũ.

Hæc ordinant laboranti morbo gallico.

Reci.elect.lenitiui de ſebeſten ana ℥. 6. cum ſucc.fiat bolus. Reci.ſyr.de fumoterræ de endiuia ana ℥. 1. aquar. borag. ℥.iiij.miſ- ſce pro vno & ſic pro aliis.

LECTIO. 2.

Diximus morbi gallici materiam non eſ- ſe talem qualem aliorum morborum, in qua re tot erunt ſententiæ quot homines. Quare res eſt difficilis, omnes ſumus ho- mines, & omnes ingenium ſuum habent. Ego nolo aliorum opiniones carpere, iudi- cate vos ipſi. Conluſio noſtra fuit: Mor- bus gallicus eſt mala intemperies calida & ſicca accedens ipſi hepati per contagi- um. Hoc enim eſt morbus gallicus, & nihil aliud. Oſtendi etiam quomodo non mirũ quo pacto diffunditur & nõ ceſſet mo- tus intemperiei vt in aliis rebus. Poteſt enim originem trahere ex vna puſtula parua cõ- tracta per contactum ſcabiei, vel in vir- ga vel in vulua mulieris, ſicut fit in alia ſcabie, & non ceſſat donec ad hepar peruene- rit. Tunc hepar talem generat ſanguinem, qui poſtea talis generatus manet 34. annis,

aliquando toto vitæ tempore. Aliqui enim ita hæpar præparatum habẽt, vt ſtatim ſuſcipiat, & vix poſſit extirpari, adeo radicantem habet iſtam intemperiem. Et prout aptũ eſt vel ineptum, ita diuerſimode ſuſcipit hoc cõtagiũ, aut nõ ſuſcipit. Alij etiam ſimultatibus conuerſantur quia nõ habent diſpoſitionem illam, non inficiuntur contagio. Diceret quis, cur non ad cor ſtatim tranſit ſicut ad hæpar? Dico requiri paſſi diſpoſitionem quia cor eſt validiſſimum, fortius reſiſtit, & vltimum eſt quod patitur, & hoc validiſſima cauſa. Hæc autem intemperies non poteſt ad cor ita tranſire, quia eſt magna reſiſtentia. adeſt enim ibi calor & ſpiritus & arteriæ, quæ ſunt ineptiores ad recipiendum hoc malum, quàm venæ. nec eſt tanta reſiſtentia in hæpate. Morbus gallicus perfectus eſt, quando intemperies ad hæpar peruenit. Quando autem puſtulæ fiunt in præpucio vel inguine aliquando morbus gallicus eſt, aliquando non. Quandoque enim ei ſuccurritur ne tranſeat ad hæpar, & ei communicetur, vt quotidie videmus. Curantur enim tales, & ceſſat contagium. Sed quando ad hæpar peruenit, tunc eſt morbus gallicus verus. Apparẽt in capite puſtulæ, etiam in furculis perſeuerante affectu: color fœdatur & fit nigrior:

deflo-

deflореſcit viuidus color, quia ſanguis aduritur. Fit talis magis iracundus, triſtis, non ita dulcis conuerſationis. Dum enim ſanguis aduritur, imaginãtur triſtia. Si vlterius morbus erit, membra renuunt ſanguinem aduſtum: tunc natura excrementa humorum aduſtorum generantur & colliguntur. Et quia ſunt tenuiora quam in iuncturis retineantur, penetrant ad perioſtion, & adherent, & quod exangue ſit vnde fiunt dolores magni circa iuncturas ac ſi in oſſibus eſſent. Credũt illi eſſe dolorem in oſſibus, ſed oſſa non ſentiunt ſed membrana ea ipſa tegens. Et quia humor aduſtus eſt in membranis, fit dolor acris, pungitiuus, perforatiuus. Vbicunque enim dolor in membranis eſt, non tantum fit pungitiuus, ſed etiam extenditur dolor per totam membranam. Si longius durat morbus, aggregantur humores pituitoſi, crudi, nõ tantum aduſti, qui ſuper aſſantur, & fiunt gypſei circa iuncturas calli & nodi, qui à modernis gommi appellantur. Et ſi materia adhuc magis aduratur, fiunt vlcera phaguẽna, ſaphati arabicè dicta: vnde quidam videntes huiuſmodi vlcera credebant ſaphati eſſe morbum gallicum: ſed errant, ſunt ſymptomata ſequẽtia morbum illum. Dum ſe ita habet morbus & perſeuerat in hæpate, in-

ficit ſanguinem. multiplicantur multi crudi & craſſi humores, fiunt nodi, puſtulæ, cadunt pili. Vbi hæc fiunt & nõ vltra procedit, morbus gallicus ſimplex dicitur, & facile poteſt curari. Si diutius manet, quia non ceſſat tale cõtagium, ſemper corrumpit alia membra. Cum contrarium contrario applicatur, ſequitur actio & paſſio: donec cor & cerebrum reſiſtunt, bene adhuc habet corpus, licet tamen aliquid per conſenſum patiantur, nondum tamen ſunt affecta, ſed ibi vapores non ceſſant prius in cerebro, quam in corde fiat impreſſio: quia cerebrum humidius & debilius eſt, & magis ad hoc paratum, & cor fortiſſime reſiſtit. Primò igitur poſt hæpar cerebrum recipit impreſſionem, adeo vt multa actio animalis faciat quod ſecundum naturam eſt, fiunt ſpiritus tenebroſi, apparent ſigna putredinis circa caput, ſunt moribus agreſtibus, toruis oculis, non poſſunt quenquam ferre, quia aduſtio in cerebro poſtea ad cor etiam contagium pertingit, ratione mali alimenti hæpatis & ſpirituum cor exiccatur, ſtatim tabeſcit corpus, & tabidi moriuntur. nec eſt ſpes alicuius curæ, quia rationem habent

hæ-

hecticæ vt vocant, ſenectutis, quæ à Galeno tabes ex ſenio dicitur. Sunt ergo tres ſpecies ſeu gradus huius morbi. Primo vbi qualitas & intemperies ſola in hæpate impreſſa calida & ſicca, tales curantur facilè. si verò cerebrum patitur per conſenſum, etiam curantur. Sed vbi ad cerebrum omnino deuenit, difficilius curantur. Poſtremo vbi in corde apparet maraſimus, non poteſt reſtaurari, quia morbus in ſeipſo eſt. Iſte eſt proceſſus iſtius morbi peſsimi, qui poſtea tot habet gradus ratione intentionis non ſubiectorum iſtius intemperiei. Nonnulli habent horrenda vlcera calidiora & caueatur ab hoc morbo, quia deturpat partes faciei: & gaudet vobis dentes auferre, nares, oculos, & facere ex vobis mimos & hiſtriones. Nam ex illa aduſtione vapores ſublimiores acres petunt, & occupant ſuperiora. Et quanto maior eſt ſiccitas, tanto maior aduſtio, ſicut fit in magno mundo, vt vapores calidi & ſicci ad ſuperiorem regionem aëris aſcendant.

Quapropter talia ſubiecta præparata facilè amittunt linguam, nares, fauces, cartilaginẽ

quæ his adherent, quia ſubſtantiæ laxioris: penetrant quia ſubtiles deueniunt ad vlcera peſſima, quæ varia ſunt pro diuerſis humoribus. nonnulli non obſeruant regimen, multum edunt, aduruntur, multi humores fiunt, tubercula varia ſiue à ſanguine, ſiue à melãcholia ſemper aduſta: quia origo eſt talis, nẽpe caliditas & ſiccitas ſemper adurens, licet ſint varij humores, ſemper tamen aduſtio manifeſta eſt. Et hæc eſt natura tota morbi gallici. Curatio morbi gallici. Si talis ſit natura huius morbi quo modo tolletur? dico: poteſt cũ his tolli quæ operantur à qualitate manifeſta, vel quæ operãtur à qualitate occulta. Nã etiã Galenus aliquãdo refugit ad qualitates occultas, vt quis inuenit quod ſcãmonia ſit calida & ſicca, bilẽ trahat. Quis quod ſtercus humanum tortum curet ſynanchem in puero? Eſt qualitas occulta quæ habet rationem occultam & iguotam. Quæ à qualitate manifeſtæ operantur, ſunt illa quæ alterant intemperiem calidam ſiccam hæpatis, id eſt frigida humida.

Primò ergo occurramus cauſæ intemperiei calidæ ſiccæ ſcilicet frigidis humidis. Et quia multitudo eſt materiel quæ facit vlcera, euacuamus etiam: & quia non poſſumus: quia ſi quid applicemus, attrahit nouas ma-

terias: *Prius igitur corpus euacuetur, poſtea alteretur intemperies calida ſicca humidu frigidis: vel ab occulta qualitate operamini. In quolibet tempore voluit deus hanc artē ſeruare, vnde Hippocrates in lib. de medicina veteri, Medicina eſt arcanum quoddam impreßum: ſemper inuenti ſunt viri qui inuenerūt viam curandi, etiā tunc quādo methodus ſepulta erat ſine methodo veram viam curādi ob excellētiam ſui ingenij inuenerunt. Acceperūt duo capita, et ex ingenio ſuo diuiuiſerūt curā. Primò in euacuationē, ſecundò in alterationē intēperiei. Sed q i ex ingenio proprio methodū inuenerūt imaginationē quidē eius inuenerūt, ſed non perfecerunt. viderūt tamen veritatem iſti ātiquiores: & ſi habuißent methodum melius cognouiſſent. Ergo cum euacuaſſent, primò cum ſyrupis refrigerātibus præceſſerūt. Quum his nihil poſſent facere, tentârunt vt vlcera extinguerent & ſedarent dolores, & hic ceſſârunt illi. Et quia vlcera erant corroſiua, & applicabant ea quæ ſolent putridis vlceribus applicari. Et quia arabes pro arcano habebant argentū viuum ad vlcera, ſic illi etiam ad hoc confugerunt, vtebantur diu in hoc morbo, & videbant eo bene materiam expelli. Auſi ſunt ergo ſic procedere ſua methodo, quam fingunt*

dicentes: Si argẽtum viuum vlcera curat ex-trinſecus, ergo faciet etiam intrinſecus. Sed quia hoc poteſt vlcerare conabantur ſiſtere cum ſputo & ſaliua: & ſic dabant argen-tum præcipitatum, & multos hoc curabant.

Quando frequens ille morbus eſt in iuue-nibus, & vtinam non eſſet tam frequens, & à paucis bene curatur. Suppoſita ergo na tura morbi cum ſuis ſignis & cauſis, non de-erit niſi tertia pars, quæ eſt curatio: quæ duas habet partes, cum indicationibus & cum his quæ occultam habent proprietatem. Cum curamus indicationibus, inuenimus na turam morbi eſſe calidam ſiccam intempe-riem. Cognita natura morbi opponemus fri-gida humida. Iſtæ ſunt indicationes, ſic dog-matici curant contraria contrarijs. Sed quã-do cum ſecreto & occulto medemur morbo, non habemus indicationes, ſed facimus vt empirici. dicimus ab occulta qualitate hoc medicamentum prodeſſe: verbi gratia vt ſi quis bibit venenum vel gypſum, ſtrangula-tur & moritur: tamen indicatione cogno-ſcimus quare id faciat, vel ſi quis ceruſam ſumpſit occurrimus ſuo ſecreto, & damus in potu lixiuium. Ego autem id expertus ſum. & ſic vnum ſecretum cum alio curatur. Ita inuenietis plurima talia bezoardica ab

Aui-

Auicenna dicta, greci ἀλεξιφάρμακα, vel antidota in caſu morbi gallici, qui pendet ab intemperie calida ſicca; ratione cuius aduruntur humores. Primò *poſſemus mederi per qualitates manifeſtas: quia hic eſt intemperies calida ſicca hæpatis: ergo cũ refrigerantibus & humectantibus remouenda.* Et *quia humorum etiam repletio, & mali ſunt & aduſti, ergo euacuatione curandi cum ſuo contrario: ſic dogmatici procedunt.* Et *iſte eſt vnus modus curandi per intentiones ſiue indicationes.* Etiam *curatur à proprietate curandi occulta cum ſecretis & bezoardicis, licet calida ſicca ſit intemperies, in hæpate, tamen propria forma ſpecifica, quæ conſiſtit in vltimo gradu iſtius intemperiei non cognoſcitur à medicis neſciis in quo gradu in particulari: quia multæ tales intemperies calidæ ſiccæ in hæpate.*

Et *non quælibet intemperies calida ſicca hæpatis facit morbum gallicum.* Et *licet ſit calida & ſicca intemperies in hæpate, tamen eſt quidam gradus qui nobis eſt incognitus & occultus: quare difficulter hunc indicationibus curamus.* Q*uapropter induſtria humana excogitare oportuit bezoardicum: quod non inuenitur niſi experientia: quoniam occulta forma*

vel etiam occultum inuenitur medicamentū vel deus voluit vt deficerent in hoc. Sic in omnibus fere venenis ſua ſunt inuenta bezoardica remedia. Et vtinam in aliis morbis magnis haberemus talia medicamenta, vt in lepra, elephantiaſi, quæ habent manifeſtas qualitates ob malignam aduſtionem à melancholia in hæpate. Vnde nonnulli voluerūt quod omnis morbus ex calida & ſicca intemperie ſeu complexione ſit gallicus. Si hoc ita eſſet, etiam elephantiaſis eſſet morbus gallicus, quia ex aduſtione calida & ſicca, ſed nō ſequitur, hoc, quia cognoſcitur, & materia euacuatio illis quæ educūt melācholiā & alterātibus in tēperiē calidā ſicc. Omnis enim lepra ex intēperie calida & ſicca hæpatis. Quare quidā dixerunt morbū gallicū eſſe lepram, quæ curatur per indicationes, deinde etiam & per bezoardica, ſicut Galenus receſet de vino in quo inuenta eſt vipera, & ſic fuit quidam curatus: vnde ex comeſtione viperarum multi ita ſani euaſerunt euacuando eos & alterādo. Et ſicut in lepra fit, ſic hoc quoque euacuando materiam melancholicam, & hæpar alterando: ſed iſtum gradum caliditatis occultum in hæpate non poteſtis remouere: niſi deus glorioſus ita diſpoſuiſſet, vt ex caſu vel ſomniis, vel plurima talia medicamēta

alexi-

alexipharmaca inuēta arcana, quæ non indigent indicationibus, imò ſunt ſimiles potius vt decoctū ligni, potius deberet augere morbum gallicum. Sed eſt in eo quædam forma ſpecifica huic morbo reſiſtens. Notādum: nunquam curabitis iſtum morbum ſi inceperitis à bezoardicis, ſed oportet vos potius procedere per indicationes, & prius exquiſitiſſimè euacuare corpus, poſtea alterando, tādem ad bezoartica accedere debetis. Et hoc faciendum ſemper in morbis omnibus, qui bezoarticis curantur, nempe procedendo per indicationes prius. Igitur in morbis qui bezoarticis curātur, primò exquiſitiſſimè purgandi, ſecundò alterandi tandem bezoarticis. Id primum eſt agendum. Præſuppone ergo adeſſe cacochymiam multam in corpore gallico, quia cacochymici vexātur ferè iuncturarum dolore, alij dolorē capitis patiuntur, alij ſymptomata propter multos humores corruptos in omnibus talibus. Primò indicationibus procedēdum euacuationibus & alterationibus. Et quia humores naſcuntur in hæpate, primò lenitiuū præponitur medicamentum, vt caſſia, hoc facto poſtea phlebotometur copioſè ſtatim, quia phlebotomia optimiſſima, vt ſic dicā: quoniā aduſti humores in hæpate generantur, & primò ſunt in venis, & poſtea in-

membris. Si hoc fert virtus iterãdum bis vel tertiò: quãdo quidẽ humores optimè euacuantur, qui ſunt in venis, & hæpar refrigeratur. Poſt phlebotomiã purgãdũ eſt corpus, ſi priùs digerantur humores, qui ſunt aduſti, craſſi, miſti cum bonis, neque poſſunt cõcoqui, id eſt, nutrimentum fieri: quia pertranſierũt omnes concoctiones, & exceſſerunt. Nimius enim calor excoxit eos, & ſunt veluti cinis. Igitur nõ concoquuntur propriè, ſed excoquitur hæc materia, vbi eſt cum humoribus laudabilibus coniuncta vt natura ſecernat bonum à malo. Primò ergo tentare debetis concoctionem calidis & humidis, quod proderit in omni concoctione humorum aduſtorum. Sed quomodo quod craſſum eſt extenuatur, quod extenuatum incraſſatur? Hæ non concoctiones, ſed præparationes. Coctiones enim ſunt quando calor accedit, & ſeparat bonum à malo, & expellit. Igitur quum humor eſt aduſtus in venis vel extra venas, concoquuntur humores permixti, & ſic ſeparabitur bonum à malo, & fortè natura expellet. Noſtri medici ſtatim incipiunt ab adſtringentibus & incidentibus, dántque ſyrupum de fumoterræ, de epithymo, & perdunt homines. Vos debetis, ſi acceditis ad tales humores aduſtos, ita tentare con-

coctionem veram, vt fortificetur calor, non cum ſyrupis incidentibus, vel calidis, ſed cum fomentis circa ventriculum & hypochondria adiuuare concoctionem, vt diatriumpipereo um ſi ſtomachus frigidus eſt. Alterandũ quoque hæpar cum lenitiuis calidis & humidis confrictionibus per totum corpus, oleo chamæmelino, &c. Fit enim concoctio cum calidis & humidis. Vinum ſit lene, id eſt modicè dulce, tenuis ſubſtantiæ. Ptiſanæ cibus in brodio pulli qui moderatam caliditatem habeat cum cinamomo. Vbi hæc per quatuor aut ſex dies adiuuando concoctiones feciſtis, ita vt iam appareant ſigna concoctionis, dabitis quæ incidunt, abſtergunt, verbi gratia ſyrupum de fumoterræ, oxymel, ſyrupum de epithymo: quia quod eſt coctum, euacuatur iſtis ſyrupis, & reliquum præparatur. Vbi hæc perfeceritis, dabitis pharmacum. his factis ſi dolores rurſus fuerint, rurſus euacuetur, & iterum repetantur ſyrupi, primò cum iuuantibus calorem naturalem, & poſtea iterum ſyrupi abſtergentes & incidentes, vt de fumoterræ. Iterum euacuetur, nec ceſſetur ab euacuationibus, niſi dolores ceſſabũt ex toto vel ex maxima parte, tunc bezoartica date. Nolite tamẽ cõfidere ſi receſſerit dolores, quia facilè redeunt. Ante bezoartica

debetis hæpar refrigerare & humectare, & ptiſanã dare ſine cinamomo & iuſculo magis diluto, & vino diluto, ſyrupis frigidis humidis, vt ſyrup. de nenuphare, ſyrup. violarũ ſimpl. & cõpoſito cũ aquis frigidis & humidis. Longum eſſet ſyrupos recenſere, & habetis vbique in libris, & poteſtis aggregare & facere. Vbi hæc feciſtis & euacuaſtis & alteraſtis hæpar, tũc ad bezoartica accedatis, quæ noſtra ætate duo ſunt, lignũ & hydrargirũ.

LECTIO QVARTA.

Dixi dupliciter curari morbum gallicum, *vno modo cum indicationibus à natura morbi, vt dogmatici faciunt: quia intemperies calida & ſicca in hæpate, debet ergo refrigerari & humectari. Phlebotomia in hoc caſu optima quoque: & quia humores etiam aduſti collecti ſunt, ergo euacuandi.* Dixi *quoque quomodo materias concoquere debeatis:* Moderni *enim confundunt concoctiones & præparationes, cùm non ſint idem. Et vtilia ſunt ſæpe repetenda teſte* Gal. 2. *criſ.* Alia *curatio non per indicationes erit, ſed per experimenta tantum. vtimur medicinis antidotis, quæ occultã habent qualitatem, & proprietatem aduerſus morbum.* Nã *damus ideo quæ ſcimus euacuare humo-*

res, calfacere, ſiccare, &c. ſed quia proprieta- tē habent cōtra illum morbū & ſuas formas ſpecificas oppoſitas. Et *talia in magnis morbis ſunt à* Deo *glorioſo data. qui volūt dare medicinas ab occulta qualitate operātes vt in lepra per carnes viperarū, vel experiētia, vel inſomniis vel caſu, vel quocunque modò inueniūtur.* Duæ *tamen ſunt inuenta medicinæ* ἀλεξιφάρμακα, *ſcilicet argentum viuū, & decoctio ligni, de quibus dicendum & de oleo calcanthi ſeu vitrioli.*

DE ARGENTO VIVO.

Multum refert hoc ſcire, quia eius vſus frequentißimus eſt. Argento *enim viuo ſemper vtimur, quo nihil periculoſius eſt experientia & authoritate* Galeni. *Cùm enim dicit medicus ſe eſſe expertum caueatur, quoniam pauci ſciunt experiri.* Docet *enim* Gal. 2. *ſimpl. quàm ſit difficilis experientia.* Oportet *enim diſtinguere ea quæ per accidens, quæ per ſe, & quæ caſu contingunt.* Et *ſi poſtea neſciunt experiri, & accedit arrogantia & audacia, quid inde oriri ſolet vos ipſi nouiſtis. ſed caueatur ab his.* Argentum *ergo erat admiſſum, & nunc in obſtinatis mentibus durat, & dicunt eſſe ſecretum.* An *ſit antidotum verum videamus, vnde videbitis falla-*

cias. Primò faciunt vanam doctrinam, dicentes, Argentum viuum eſt quod foditur in fodinis, hyerargyron, quod arte fit. Sed nihil eſt: quia argentum viuum ſemper eaſdem vires habet. Huius autem eſt proprietas, vt cuicunque rei occurrat, ſiue id faciat frigiditate, vel à forma ſpecifica, repellit & penetrat omnia, nihil poteſt tolerare niſi aurum, etiam murum penetraret, ſemper eſt in motu, vnde magnam vim habet repellẽdi inter omnia. Praterea vbi occurrit membris principalibus, interficit. vnde Galenus tanquam propheta ſuo tempore ab eo abhorrebat, & alij tunc boni medici. Arabes autem qui erãt alchymiſtæ vſum eius inuenerũt, & pro ſcabie vtebãtur. Græci autẽ antiqui vt Gal. Alex. Trallianus, Oribaſius nunquã eo vſi ſunt: ſed recẽtes Græci qui erãt magis inepti quã Arabes, vſi ſunt. Nã Rhaſim Aëtio & Paulò præfero. Oribaſius autẽ vltimus bonorũ Græcorũ fuit. Gal. autem dicit ſe nõ cognoſcere hyerargyrõ niſi pro veneno. Iſta ſunt verba Galeni: Et tamẽ adhuc eo vtũtur. Ergo habet virtutẽ omnia repellendi, & venenum eſſe corpori. Arabes inuentores erant huius remedij. Cùm enim viderent non facile vti abſtergentibus in ſaphati, & vlceribus magnis, & ſcabie putrida, vſi ſunt argẽ

to viuo cum aliis oleis mixto, & vnguentis: ſed illi fuerant magis alchymiſtæ quam medici, & ſtatim mundatur locus à purulentia. experimini. Cùm ergo viderunt Arabes ex argento viuo vlcerum curationem ita celebrabant hoc: ſumebant argenti viui ʒ 1. cum ſtyrace, adipe, vnguentis, & aliis in magna quantitate. Et etiam conficiunt multi noſtro tempore: imò quod deterius eſt, moderni extingunt cum ſaliua & cineribus, & faciunt pillulam, qua euacuant in immenſum per ſuperius & inferius, ſicut etiam faceret, ſi arſenicum ſumerent. Quanta dementia hominum, vt etiam audeant intra os mittere! & quando interrogantur, qua virtute id credant facere, dicunt id ab occulta qualitate in omnibus operari. Si poſtea interrogentur, an curentur, dicunt ſic: quia experientia docet. Credunt quòd curentur illi, & quòd ſit occulta qualitas. Ego autem dico neutrum verum eſſe: quia non habent proprietatem occultam, ſed eſt peſſimum venenum, & exterminandum à medicis, nec curat, quia falſa eſt experientia, & per accidens ob ignorantiam logicæ, quæ mater eſt omnium errorum, dum neſcimus diſtinguere. vident quod mundantur, ceſſant dolores, credunt quod illos

curauerint. Cùm autem vident redire morbum, faciunt mille mutationes, mixtiones & præparationes, quia vident ſe non curaſſe, nunc cum hoc, nunc cum alio miſcent. Alij adurunt, alij præcipitant, alij cum fumo tantùm, & neſcio quas rationes adducunt. Cùm non proſpere ſuccedit, aggrediuntur aliud. Semper dicunt: Ego facio alio modo, & ita ſunt cæci, & ſine mente. curant quidem, ſed morbus ſemper redit. Verùm eſt quidem ſi vos illinatis argento viuo homines, ceſſabunt dolores, vlcera, comedent bene, bibent, dormient, & ſunt læti, pingueſcunt, creſcunt, credunt ſe curatos, ſed tranſeunt tres menſes, redeunt morbi, & fiunt nouiſsima primis deteriora: dentes marceſcunt, vlcera in ore fiunt, fœtet anhelitus, color prauus: & ſi rurſus illinuntur, in tabem fere incidunt, & moriuntur. Si vos ſciretis quot mortui ſint ex illitionibus, quos ego cognoui, vos miraremini, quia nullus curatur, ſed videntur ſani. Quapropter habent fallacem experientiam. Ergo argentum viuum ex natura rei repellit omnia, cui nihil reſiſtit. Alij miſcent cum oleis calidiſsimis, & de coſto, & de terebinth. euphorbio cum adipe ſuillo, anſeris, butyro, argentum viuum

uum. Qui autem iſta miſcent in quantitate minore, dicunt ſine moleſtia habere medicamentum, ſicut Ioannes de Vigo fecit linimentum, quo ſe dicit infinitam pecuniam eſſe conſequutum. Dum ego eſſem iuuenis, incidi in hoc vnguentum, & potius in errores ex documentis, quàm ex ratione: expertus ſum, captus authoritate tanti viri. Conſiderabam ingredientia: ita enim ſemper ſoleo, deus hanc mentem mihi dedit: erant corrigentia. Cœpi facere, & curaui ſicut alij, ſed redibant omnes in peiores diſpoſitiones. Cum crebro iſtud vidiſſem, diſplicebat: quia impoſturæ erant: verti me ad Galenum, & potiùs diſcere medicinam quàm impoſturam exercere, mecum ſtatui: tandem iuuante deo vidi lumen Galeni. Didici veritatem, cognouíque fallaciam linimenti argenti viui. Cùm illinitur cum rebus calidis, penetrat faciliùs, & expellit omnem humorem in omnibus partibus. Nam cogitur vt non deſinat motus, donec humor trahatur, maximè pituitoſus. illinuntur enim omnia extrema, brachia, crura, thorax, venter bis in die per octo, aut quindecim dies: coguntur humores ad ventres redire, & per ſputum excerni, finis huiuſmodi vt materia vi & impetu ad tho-

racem deueniat, & pulmo, & ſtomachus & omnes ventres replentur illo veneno & humore, ſemper expellitur per os apertum, implentur magna vaſa ſingulis diebus donec euacuetur materia. Videte per quas vias Hippo. dixit per conuenientes vias euacuandi, & Auicenna 4. 1. Inquit: Cùm euacuas, caue ne exitus per principalia membra fiãt & ibi ad nobiliſſima membra expellãt, vnde cauſa permanet. Quare non mirum quòd ſpiritualia mẽbra ſemper affecta permanẽt. Ego tales illitos & inunctos ſtatim agnoſco: habent dentes deſtructos, longiſſimos, putreſcunt, extrahuntur, fiunt nigri, nec habent vẽtriculum ſicut prius. Calor innatus ſopitus per argentum viuum. Primò malè curantur, quia accipiunt venenum. Secundò euacuantur per loca non conferentia, aut conueniẽtia, & peſſimas vias. Tertiò accidentia remanẽt & non curantur. Os habent vlceratum, nec ita concoquũt: permanet intẽperies talis, & gradus incognitus formæ occultæ, vnde effectus talis ſequitur. Dũ enim euacuârũt omnes humores per vias malas, videtur ſani eſſe, & ſunt læti, pingueſcũt, ſed nõ eſt vera pinguedo, ſed ita ſunt tumefacti. Tãdem iterum dolent brachia, &c. & fiũt nouiſſima peiora primus, quia cauſa durat & remanet intempe-

periesiſta calida ſicca in hæpate: quoniam illi nihil fecerunt, niſi quod euacuauerũt illi violenter humores curauerũt quidem per accidẽs auſſerẽdo cauſas materiales facientes dolores: ſed veram cauſam intemperiem calidã ſiccã in hæpate non remouerunt & ſic ſunt decepti. Primò ergo non curauerunt: ſecũdò dederũt venenũ: tertiò thoracẽ, vẽtres, dẽtes deſtruxerunt. Abſtinendũ igitur ab iſtis linimentis, & multò magis ab iſtis pill. quas vocãt præcipitatas: quæ dici potius deberẽt precipitantes. Et vtinam in profundum maris præcipitarentur, vt nunquam apparerent.

LECTIO QVINTA.

Omnia iam audiuiſtis: primo eſſentiam morbi quid ſit, & quotupliciter curetur: & vidiſtis quare raro tam magni morbi indicationibus curentur vt cãcer, lepra, venena, morbus gallicus, & c. Nõ enim poſſunt iſta curari vt inflãmationes à natura rei, cuius rationẽ dictat Galenus in principio ad Glauconẽ, quia nõ cognoſcimus gradũ lapſus naturalis tẽperamẽti. Si quis hoc ſciret (inquit Galenus) eſſet Aeſculapius, & Apollo: quoniam morbi gradũ ignoramus. Sed ſi leuiores morbi vt canſon, et pleuritis, qui nõ faciunt magnã impreſſionem & firmã, licet gradũ precisè ignoremus, tamen contrariis pellimus

quia morbus non fixus, & non ſuam formã impreſſam habet. Et ſi ſex gradibus remotiores medicinas demus, tamen tollimus: quia non eſt facta magna impreſsio. Sed in magnis morbis vt in lepra, & c. Si ſciremus formam & gradum lapſus qui fecit impreſsionem quinti gradus tantùm proportionem calidi, & c. tunc mederi poſſemus. Forma enim immeditatè ſequitur temperaturæ vltimum gradum.

Quare quidam voluerunt temperaturam eſſe formam, ſed cautiùs eſt dicere quòd vltimum gradum temperaturæ forma ſubſtãtialis ſequatur: vbi tot gradus ſunt, talis impreſſio ſequitur, & dicitur morbus gall. læpra, & venena, & ſic de aliis. Cum æquè ſimilibus volunt curari gradus iſti vltimi formam inducẽtes hæpati pro morbo gallico. Cùm enim tot gradibus forma imbuerit morbum, non poſſumus niſi æquis viribus occurrere: ſed nõ poſſumus, quia non cognoſcimus iſtã formã. Ergo re operante à ſpecifica qualitate occurrere oportet. Et cùm ſit morbus gallicus formã impreſſam in hæpate habens quia ſi debet fieri morbus gallicus, oportet hæpar ad iſtum gradum intemperiei peruenire, quem immediatè ſequitur forma. Quoniam autẽ iſte gradus eſt nobis incognitus, fit, vt cura iſta ſit tã diffi-

difficilis, nec poſsit tolli indicationibus, niſi ſit in principio: tūc quādoque remouetur ſolis euacuationibus & alterātib⁹: & ego expertus ſum. Sed vbi infixa forma eſt in hæpate, nec euacuantibus, nec alterantibus tolletis bene præſentē diſpoſitionē, vt dolores, vlcera, velut illi argento viuo. Sed omnes ita curati ſunt deducti in deteriores diſpoſitiones. Aliqui inepti, qui crediderunt argentum viuum præcipitatū, vel non præcipitatū vſtum, vel non vſtū medicinam bezoardicam eſſe morbi gallici. Ego tamen oſtendi quòd neque ſit bezoardica medicina, ſed prorſus venenum: quare remouemus, & explodimus ab arte medica noſtra. Tamen procedere hîc cum ſecretis concedimus & bezoardica, quam deus dedit noſtro tempore commoditatem. Non hic diſputabo an ſit hebenum. Iacobus enim Carpenſis Bononiēſis chirurgus magnus, & anatomicus ſuo tempore inſignis, cùm venit Veronam pro Herculæ poëta morbo gallico laborante vidit arborem vbique vulgò Thanum dictam. Credebat illud eſſe ſanctum lignum. Facit enim ſiliquas in quibus ſunt grana & ſemina parua, folium rotundum, ſicut hedera, ſine cuſpide: tamen lignum eſt ita ſolidum, vt vix incidi poſsit, grauiſsimum. nigrorem habet interiorem. Ego vidi ſiliquas,

& habeo ſemina miſſa ex India, qui volũt vi
dere. Siliquæ tales ſunt ſicut thani: grauitatẽ
eãdẽ habẽt, & nigredinẽ. Credidit eſſe lignũ
ſanctũ: voluit experiri: portauit ſecũ Bono-
niã. Quid ſit actũ tandẽ neſcio. habent ſimi-
litudinẽ. Fortaſſe poteſt eſſe: ſed ob diuerſas re
giones, diuerſum lignũ ſanctum. Habet pro-
prietatẽ illam, vt ex guſtu coniicimus, eſt ſic-
ciſsimæ, & calidiſsimæ ſubſtãtiæ. Eſt enim de-
coctũ amarũ cũ acrimonia erodẽte calidũ ad
3. gradum. habet partes ſubtiliores, in quibus
acrimoniã habet: & terreſtres, in quibus ama
ritudo ſuſtinet decoctionẽ tãtã, vt vix aliud:
ita vt ſi decies decoquatur, ſemper habebit li
quorẽ ſpiſſum, amarũ, acrẽ, ita vt vix poſsint
diſſolui, & ſeparari partes terreſtres: & in vl
timo decocto ferè tãta eſt ſpiſsitudo, vt in pri-
mo. Caueatis à pharmacopolis, quia vendũt
ipſi decoctionẽ quæ decies eſt facta. Ego noui
tales. & vltimũ ſapidũ decoctum erit ita vt
primũ. Si ergo uult fidelis eſſe, & non vultis
pudorẽ cũ ſcelere aromatarij habere, decoqua
tur domi ſolũ lignũ. Calefacit, & exiccat: &
morbus gallicus eſt intẽperies calida & ſicca:
potiùs deberet augere morbũ & tamẽ curat.
Ergo operatur a forma ſua ſpecifica: ita deus
optim. maximus prauidit humanæ imbecilli
tati, & calamitati, vt ſemper arcana oſtenſa
fue-

fuerint in magnis morbis quibus nō potuimus occurrere īdicationibus. Notādū quicquid operatur ab occulta qualitate ſi adhibueritis ſtatim, & nō ante omnia impedimēta remouebitis, nihil faciet. Primò nō curabit: quia impeditur, & obtunditur vis ſua: & fruſtra exhibebitis. Secundo ſi datur tēpore nō opportuno, nō remouet ma'ū: & cùm ſit calidū & ſiccū, inflāmatur hepar, & magis nocet. Sēper vidibitis qui auſi ſunt, dū antequā corpus exquiſitè, vel male, vel nihil euacuatū fuit, quā nocuerint. Sed vbi eſt corpus euacuatū ſemper proderit. Igitur nūquā exhibeatur, niſi ſit corpus exquiſitè euacuatū. Primò phlebotometur dixi, poſt medicinā materia concoquatur, euacuetur, & quæ vtilia ſunt ſcitu.

QVO TEMPORE EXHIBENdum lignum, & quomodo.

NOſtro tempore neſcio quo duce ſathana fuit introducta iſta conſuetudo, ſunt fortaſſe 12. iam anni. Etiam docti & periti viri propter defectum methodi inciderunt in errorem talem, & interficiunt ſæpe: exhibent

enim hoc lignum cũ vino aromatico, vel maluatico ſi ſint Venetiis: ſi Romæ, cũ Græco, miſcent cinnamomum, ſcammoneũ, elleborum, colloquintidem: & faciunt verè venenoſum pharmacũ. Qui ad me venerũt per illud lignũ ita cum vino & rebus calidis ſumptum curati, tales adeo aduſti, & concremati ſunt, vt nihil ſupra: vt ego vix potuerim per ſex mẽſes continuè refrigerare illam aduſtionem, & caliditatem impreſſam procedendo frigidis. Tot enim frigida dabam, vt aromatarij ad me dicerent me eum interfecturum. Fuit fortaſſe quidam bonus medicus qui nõ videret homines ita refrigeratos ob ætatem, vel morbum, & tophis ex frigiditate toti eſſent referti, vt iam ad extrema eſſet deueniendum: & hoc vinum credo ideo eſſe inuentum. Poteſt ita contingere. in frigidis enim temperaturis conuenit: quia cùm homo eſt non habens calorem, & loco ſanguinis pituitam generat, tali cum vino poteſtis dare: quia vinum confert vbi ita aliquis eſt refrigeratus. Sed vniuerſale hoc faceremus cum vino dare, vt in iuuenibus, certè omnes interficiuntur. Poſſet enim ita corpus refrigeratum eſſe vt vinum conueniat, & ſi hoc videritis, poteſtis & vos facere, quod in mille nõ cõtulit in vno ſalutare facere. Sed illi faciũt hoc in cholericis iuuenibus

nibus:oẽs interficiũt, vel deducũt ad malas diſpoſitiones.

LECTIO SEXTA.

Diximus quòd in ligno ſunt duo, vis calefaciendi & exiccandi: ſecundo vis tollendi morbum à forma ſpecifica: vltrà autem ſuperbiat, exercet ſuã poteſtatẽ, ſi ſuperabit, caliditas & ſiccitas nocebit, & ad tabẽ illos deducetis. Si forma ſpecifica ſuperabit, curabitis. Cõſiderate ſemper corpus ſi fuerit calidũ & ſiccũ. Remittatis acumẽligni cũ aquis frigidis. Si frigidũ, cõmuni aqua coquatis: quia ſatis calefacit. Probabo alio tempore quod calida aqua ſimplex coƈta plurimùm calefaciat. Nã aqua cũ rebus calidis ſit calida in mea methodo dixi. Hîc habeo quendam nobilẽ, qui cùm inflammatione laboraret, voluimus decoƈtum vini dare: qui cùm vſus eſſet in aqua communi, fuit inflammatus, & repletus eryſipelatibus. Dedi ei poſtea in aqua endiuiæ, eſt curatus, filios generat, eſt rubeus, totus aliusfaƈtus. Ergo licet ſit hoc decretum, ſemper tamen methodo vtemini: & conſiderate cui corpori detis. In cholericis & iuuenibus oportet caliditatẽ, & ſiccitatẽ tollere nõ cũ aqua cõmuni, ſed endiuiæ. Quare autẽ aqua cõmunis recipiat in ſe omnes qualitates, dicã alias. Credo cauſa memoriæ fundamẽti circa

curam vnus modus per indicationes, vt dogmatici faciũt vt Auicẽna, & Gal. facit. Pauci tamẽ aduertunt vnde ſit: etiam Galenum legentes male curant,

A natura primò rei, prout eſt in radice, inuenimus calidæ & ſiccæ tẽperaturæ eſſe: quæ redacta ad certũ formam nobis ignotã, neſcimus in quo gradu. Nã nõ à qualibet tẽperatura calida ſicca hic affectus ſequitur, quoniã & lepra, & alij morbi ſunt calidi & ſicci, ſed ſecundũ diuerſos gradus. Si enim leprã cõſideratis, nõ ſunt ſquãmæ illæ quæ decidũt, ægritudo, imò potius accidens vt ſcabies ſimiliter, ſed potius tẽperatura mala eſt ægritudo, Si vultis ergo tollere leprã, tollite malã tẽperaturã. Indicationes autẽ à cõtrariis ſumũtur, vnde tota medicina oritur. Cõtraria contrariorũ remedia, & ſimilibus ſimilia cõſeruãtur: & quia hîc calida & ſicca tẽperatura, curatur frigidis & humidis, quantũ ad tẽperaturã. Sed quia hîc quoq; repletio, vlcera, iũcturarũ dolor, ſumetur indicatio. Si hîc multa materia, curatur euacuatione. A natura ergo morbi duæ ĩdicationes ſũpe euacuare, & alterare. A qua autẽ eſt incipiẽdũ Galenus 3. methodi inquit vbi plures indicationes ſunt, ſine qua alia nõ poteſt tolli, ab hac incipiẽdũ eſt. hîc eſt mala intẽperies calida & ſicca: niſi tolletis humores nõ poteritis alterare. Imprimãtur radices illæ

in vobis, & fundamēta artis. poſtea truc⁹ pullulabit ex ſe. vnde rectè dicebat Plato: Principiũ ſuperat dimidiũ. vbi enim principiũ, fundamētũ benehabebitis, & totã artē. duo hic ſunt, ĩtēperies calida ſicca, & plenitudo. Quapropter intēperiē ſequitur, quæ p venas eſt. Incipiēdũ igitur remouere multitudinē in corpore, pòſt accedēdũ ad tēperaturã, quæ calida & ſicca remouēda cũ frigidis & humidis. Sed qa gradus ille puenit ad formã ignotã, quæ calidiſsima eſt, & fecit ĩpreſsionē, oportet formã exquiſitè ĩuenire illã qua occurrere poſſumus. ſed nõ poſſumus ad gradũ rectum peruenire. Quia certa forma ægitudinis eſt nobis ignota. Nam ſi certũ gradũ ſciret tēperaturæ (inquit Gal.) eſſet AEſculapius. v.g. quãdo in hepate eſt caliditas ob aromata vnde ſcabies fit, iſte grad⁹ vltimæ formæ nõ ita eſt ĩtēſus: & licet nõ habetis certũ gradũ cognitũ, quia tamē nõ valida impreſsio curamus & natura iuuat, ſed vbi forma pualet, & nõ cognoſcimus gradũ, & formã ſpecificã ex arte, oportet vel à deo, vel experiētia habere exquiſitè illũ gradũ medicinæ, quæ preciſè, occurret morbi formæ, ita vt directè reſpiciat illã formã. Si enim formas ſpecificas cognoſceretis, oĩa ſciretis. Imò ſi ſcire formã ſpecificã tēperaturæ veſtræ, ſcirem & cogitationes. Sed iſta nõ poſſumus, neq; medicina, neq; phĩa: ſed ĩuenimus volēte deo. [illegible] arbitrãtur ſe ĩueniſſe ĩ [illegible]

di illos falli. Cōcluſio ergo noſtra erat, cauēdū ab argento viuo ſemper, & abominādū, ſiue in forma ſuffumigij, vel in forma minij, vel mixtū cū linimentis, & aliis formis ſemper caueatur. Toties enim huius vſum mutauerūt: quod ſignū eſt quòd experimentū perdurabile nō inuenerūt. Viderūt quidē quòd curatur dū hoc exhibetur, ſed hæc curatio eſt imaginaria. Nā materia trahitur per ſputū: ſtupefiunt membra ob frigiditatē. Et aliud antidotū quod habet formam ſpecificā contra formam impreſſam in hæpate. quod nō poteſt probari ratione (cùm vltimæ duæ formarum nobis ignotæ ſint) nec poſſumus cognoſcere niſi à poſteriori ideſt effectu. Et eſt decoctū ligni tale ſecūdū quod ſeruatis rectè modis curātur oēs. Nec eſt deſiſtēdū: oportet tentare bis, ter: ſi duo hoſtes ſimul pugnant, alter alteri reſiſtit, vt nō ſit victoriæ ſignū, vt & qui victor euaſurus eſt, inferior videatur. Sed tādē qui fortior eſt vincit. Si ergo duæ formæ ſimul ponātur, & nō alterā pellat, nō deterreamini. Iterū ſecundò & tertiò faciatis, videbitis ſucceſſum: quia omnes curātur, niſi ſit tabes cōfirmata in corde, & impreſſa. tales non curātur. Morbus hic quādo primò occupauit hæpar, eſt curabilis: cerebrū, poſsibilis curatu: ſi cor, nō curabilis. Vbi enim non occupauit ſubſtantiam cordis omnes curabitis, modò æger velit & in-

ſtrumenta cõmoda habeatis: ſed tabidos tales nec debitis curare, ne infametur dococtũ ligni.

LECTIO SEPTIMA.

Mos peruerſiſsimus noſtra ætate irrepſit: dabant enim decoctum cum vino, & validiſsimis medicamentis vt ſcamonea, colochintide. quo vſi multi periere: nec vidi poſtea tales ſanos. Ita videbitis multas res ridiculas inter medicos. In qualibet enim ciuitate duo vel tria medicamẽta inuenietis, præter alia, quæ ſunt in vſu, vt pilulæ cochiæ cũ ellebero, ſirup. de betonica. fuit quidã medicus forte, qui vti cœpit his. Nam cũ methodo & ſine methodo non diſputo. Credo tamen ſine methodo illum feciſſe, qui elleborum eis malè addiderit. Et oſtendam quando volueritis ita eſſe. Ita videbitis in omnibus ciuitatibus duo vel tria medicamenta in vſu præter cætera eſſe. Dicunt ſi ille fecit qui inuenerit, & fuit magnus vir, ego quoq; faciã. ſic etiã fit cũ hoc vini decocto. Poteſt cõtingere quia primus decoctũ ligni cũ vino dedit, quòd methodo vſus ſit: quia inuenit verè frigidũ corp⁹, vel natura vel aduẽtitiè refertũ humoribus crudis, & qui tophos habuerit ex pituita craſſa, gypſea. Supponimus caſum, ita fuit refrigeratus ſecundum omnes partes corporis, vt ſi cum aqua dediſſet, non

potuiſſet reſoluere: ſed cùm ille tophos ob materias frigidas reſoluere voluerit, oportuit decoctum vini dare: & rectè, & ingenioſè fecit. Dicet aliquis calida & ſicca in hæpate eſt intemperies, ſi eſt corpus refrigeratum vt generet tophos, quid opus eſt remouere temperamentum? dico: Idem contingit. Sunt aliquæ febres ardentiſſimæ in ſe, & vix poteſtis tangere, ita ardent: & quando ſunt in vigore, eſt calor maximus, quia caliditatem & ſiccitatem habent in corde: vbi res inualeſcit, quantò peius habet, tantò calor fit remiſſior, & corpus frigidius, & febris maxima. vnde rectè medici dicunt, febris reducitur ad calorem innatum, qui ſi paucus eſt febris quoque pauca, maximus eſt calor, quia in eo pauco calore eſt totus igneus, vt ſit flammea, vt vix poſſit calefacere corpus. Sic febris ardens cũ frigore pro ratione pauci caloris innati, qui igneus eſt. Sic in hoc caſu temperies in hæpate calida & ſicca: ſemper tamen corpus poteſt frigidum eſſe. vt papaueris ſuccus, niſi ad actum redigatur, eſt frigidus, & ita intemperies in corpore, vbi defluit calor ille actualis. fruſtra habemus tẽperiem illã calidã, quia calor à corde iſtud facere debet. Et licet hæpar nõ poſſet ſanguinẽ facere ita, ſed quod parum fecit aduſtum eſt,

vt venenũ ſcorpionis quãtò magis extinguitur minus erit, tamen ſemper venenũ eſt. Sic ſenes ad 90. annos pituita ſunt pleni, et tamẽ ſemper aduſtionẽ habent, etiã ſunt frigidi. In morbo quoq; gallico corpus eſt frigidũ: quia paucus eſt calor reducens ad actum. Oportet remouere temperaturam, omnia membra repleta pituita. Quare bene inuenerunt, quod dãt maluaticũ Venetiis, & Romæ vinũ Græcũ: quia penetrat, cõfortat, conſumit, calefacit corpus. In hoc enim decocto ſunt duæ res, qualitas occulta & manifeſta: vtroq; egemus, et calefactione, et exiccatione corporis. Et occurrere quoq; venenoſæ materiæ in tali corpore frigido, bene ita facitis: ſed rarò tales occurrẽt vobis. Bona experientia in bono viro ſupplet vicem methodi. Sic galenus dixit, ſi non eſſet dogmaticus, eſſet Empiricus. Sic ille obſeruantiã fecit, ſicut ego noui. qui etiam ſi non docti, tamen bonitate ingenij, & diligentia; obſeruantiaq; medicabantur: quia ita experientia longa eis dictauit. Alij autem ignaui qui nec artem, nec experientiam habent, ſed induunt deceptiones pro arte, neſcientes quid agere acceſſerint, cum hoc decoctũ vini et paſſim iam per totam Italiam exhibent etiã iuuenibus ſine methodo, vos autem hortor caueatis, quia multos interficietis.

QVOMODO VTENdum ligno.

NVnquam deueniatur ad hoc decoctum, niſi ſit corpus exquiſitè euacuatũ, & modum toties repetendum dixi ante purgationes, & antequam temperare temperaturã frigidis & humidis quinque vel octo, vel decem diebus, tunc ad decoctum ligni veniatis. Duo ſunt in decocto ligni: ſemper hoc notate, & nunquam errabitis. Primò temperatura ligni, ſecundò gradus caloris, & ſiccitatis. Si non ad quartum, ad tertium intenſè accedit. quod tota ſubſtantia indicat: ſoliditate calefacit, & exiccat, aſtringit, pungit linguam, ſaltem decoctum. ſemper enim terreſtres partes non facilè poteſt pungere, niſi ſit decoctum. Secũdò operatur qualitate occulta. Cùm hæc duo conſiderabitis, videte an hoc corpus debet calefieri, exiccari: éſtne tale corpus, cui non nocerem, ſi calefacerem, & exiccarem: an verò nocerem? Etenim ſi multus eſt calor ſecundum totum in corpore, & eſt iuuenis robuſtus, ſumet nocumentum tale

cor-

corpus ex calefactione, & exiccatione. Tunc conſiderandum eſt quod erit maius nocumentum an ex calefactione, exiccatione, an ex occulta qualitate iuuamentum. videbitis expreſſe: ſi datus calidæ & ſiccæ temperaturæ, ardebitis eã, facietis eryſipelata, corpus tabeſcet, hic oportet remouere vſũ vini. Iſtud ab experientia inueni. eò autem me deduxit methodus. Sæpius quidem expertus ſum: decoctum vini exhibui, ſed non ſucceßit. videbam eos inflammari, quia deterius habebãt, & febris ſuccedebat, inflãmabãtur. methodus me docuit poſtea, cogitando ſi poſſem qualitates remouere: caliditatem nempe, et ſiccitatem, et formam ſpecificam relinquere bonum eſſet. mox tentaui cum aquis frigidis lignum coquere, & dedi, & fœliciter ſucceßit. Sine arrogantia dico me primum fuiſſe qui cum aquis frigidis hoc lignum dederit pro quodam cardinali cornelio. Vbi Vrbinus Fauẽtinus, & alij viri docti adeſſent, ego propoſui hoc decoctum cum frigidis aquis deſtillatis. mirabantur omnes, dicentes ita deſtruetur vſus ligni: ſed tamen dederunt, & bene ſucceßit: & nunc eſt in vſu, non omnibus tamẽ. ſed ſemper iſtos duos ſcopos præ oculis habete: Vtrum maius nocumentum ex calefactione & exiccatione habeant quàm à fot-

ma ſpecifica: & vbi iuuenes erunt, detis cum aqua endeuiæ, quæ optima eſt. Nunquã ergo detis cum aquis refrigerantibus, vbi corpora ſunt calida.

LECTIO OCTAVA.

Diximus naturam morbi gallici, ſigna, & curam alteram per indicationes eſſe ſecundum veram rationem medendi, alteram per antidotum, & experimentum. Quia ſunt quidam morbi ita magni, vt non poßint indicationibus curari ſed iis quæ habent formam immediatè oppoſitam. ſed hoc arte non poſſumus. Quia nec medici, nec philoſophi potuerunt formarum naturam agnoſcere, ſed accidentium, & qualitatum tantùm.

Argentum viuum, ſuffumigiũ, vaporationem, vnguentũ vituperauimus à linimentis per argentũ viuũ quoquo modo cõfectu. caueatis ſed eligantur antidota quæ reſpiciunt à proprietate, vt eſt lignũ Indum quod diuerſis modis præparatur, vt oſtendimus. nunquã decoctũ ligni detis, niſi exquiſitè corpus ſit vacuatum & phlebotomia, & pharmacia. nã quantò corpus mundatũ erit magis, tãtò fœlicius hoc decoctũ operabitur. Quidam cũ vino decoquunt, & medicamentis ſolutiuis, vt epithymo foliorum ſene, quæ ſunt mediocria: alij dant fortiora, vt elleborũ, colocynthidem,

aga-

agaricum, & alia violentiſſimè emanantia. hæc eſt cõſuetudo nõ tantùm periculoſa, ſed pernecans quoq;. Oportet bene diſtinguere, aliàs interficietis eos. Si intemperies illa erit in iuuene vbi calor eſt, & vos decoctum cũ vino exhibetis, vel mortis eritis authores, vel diſcriminis. Quia in decocto duo ſunt forma occulta, et qualitas manifeſta, forma ſpecifica cuius ratione aliquod iuuamentũ erit. ſi tamẽ aliquod iuuamentũ, tamen lõgè maius nocumentũ erit ex qualitatibus manifeſtiſsimis: quia vino calido in ſeipſo et decocto caliditas additur. Si ergo datis corpori tẽperaturæ calidæ, tabefacitis corpꝰ, diſſoluitis humidũ radicale, et calidũ extinguitis naturale: vnde paucũ iuuamẽtũ erit. Si verò exhibetis ſoluentes medicinas cũ decocto, ꝑterquã quòd importunè agitis, augetis quoq; malas qualitates. vel enim corpus purgatũ, vel nõ. Si purgatũ eſt corpꝰ prius, quare exhibetis eũ ſecũdi aphoriſm. elleborũ? duro corpori purgato nihil peius. vbi nõ oportet: quia pura corpora difficulter ferunt medicationes. Si nõ purgatum corpus, adhuc peius: quia euacuatio, & alteratio nõ debent permiſceri. quoniam nunquã ſimul alterandum, & purgandum: ſed potius euacuare, poſtea alterare conuenit. Quare admiſcere decocto ſoluẽtes medicinas nulli

conuenit, nec euacuato corpore, nec non euacuato: & deterius multò, quàm priùs, niſi ſit ſenex, & adeſſet multa materia pituitoſa, & membra eſſent languida, via ſtrictæ ob frigiditatem, excrementa gummoſa. In hoc caſu forte tabe decoctum cum vino conueniret: ſed medicamenta ſoluentia nullam occaſionem habent. ergo non miſcete medicinas ſolutiuas nec cum vino date, niſi ſit extrema frigiditas, vt antè diſtinximus. Semper animaduertatis vinum valde nocere neruis, & chordis: ſed in morbo gallico maximè. nerui, membranæq; patiuntur, quibus vino nihil peius. Dolor enim illo magis chordas, & mēbranas, & perioſtia occupat. Quare abſtinēdum à vino in omnibus ægritudinibus neruorum dicit Auicenna: quoniam vina tentant neruos.

Quapropter vbi neruoſæ ægritudines, vt in epilepſiis, & quæ pendent à principiis neruorum, cauendū à vino. vnde à podagra multi ſola abſtinentia vini curantur. Dolor autem morbi gall. eſt inter iuncturas: quia occupat membranas ipſas, perioſtia. quandoquidem attenuatus eſt humor propter aduſtionem, & ita dolor ſemper eſt in iſto medio: ſed in podagra eſt in iuncturis dolor. Decoctum vini etiam in ſene nocebit. Conſuetudo

tudo ergo, quæ inualuit cum vino decoquere, & medicamentis, vtraque mala eſt: ſed deterior magis vltima. Ab vtraque autem cauendum. Ad decoctum ergo cum aqua deueniendum eſt, vt Indi faciunt. decoquunt cum aqua, & ita curantur longa experientia edocti. Ita & vos ſeruetis hanc conſuetudinē. Quæſtio digna ſpeculatione medico Philoſopho. Aqua fontis cōmunis recipit omnes impreſsiones: ſi coquatur in ea calefactiuum, fit aqua calida in eo gradu, in quo ſimplex calida erit. vt ſi piper decoquatur in debita proportione aquæ, magis ardebit, & calefaciet aqua, quàm piper: vt in aquis ſulphureis videmus, quæ ſummè calefaciunt. peculiare eſt enim aquæ communi, vt omnes impreſsiones recipiat: ſed in aquis nō ſic. Recipiatur enim aqua endiuiæ, ſummè reſiſtet. Si vultis videre miraculū, accipiatis modicū opij verbi gratia ʒ. v. et piperis ʒ. cōterantur. exhibeatis alicui, videbitis: vini frigidi inducet ſaporem membro adeo reſiſtit modicum opij, vt in Philonio Romano patet: ponderetis, vbi calida plura quàm frigida ſuperant. Ita theriaca noua cuius vis ſoporem inducit. hæc ſunt conſideranda. Aqua primum frigida inter omnia: quia eſt primum frigidorum, id eſt, maximè frigida: ſicut ignis pri-

mus calidorum id eſt, maximè calidus. Eſt dubium quomodo ſit materia omniū calidorū, & frigidorum, ſi aqua actualem, vel potentialem haberet vini, quæ à forma reſultaret, &c. Quare eſt difficultas, mirū eſt apud philoſophos. Aqua primū frigidorum eſt: experimento ſcimus, quòd ſit frigida, & humida: videmus quòd aqua poteſt calefieri, & feruentiſsima aduret, & nūquam exiccabit, etiam elixata: ſemper in ea humidum reſtat. humiditas enim prorſus eſt actus inſeparabilis ab aqua, quæ humiditas magis eſt annexa, quàm frigiditas: quoniam hæc ſeparatur. Quare merito dici debet potiùs aqua primum humidorum. Quare enim aqua dicitur primum frigidorum, cùm frigiditatem facile amittat? Aliud experimentum (quanuis Galenus non eſt aggreſſus hanc dificultatem, vidit tamen) qui nunquam curat aqua, niſi actu frigidiſsima. Nam quoties refrigerare voluerit, nō niſi actu frigida ea eſt vſus. non confidit in tepida aqua, aut calida, quod poſsit refrigerare, in aliis exhibet ſicut decoctum papaueris: calfacta, quia calor abiit, & frigiditas accedit. Nunquam id de aqua communi dicit.

Vidit hoc Galenus, ſed non diſcuſsit. dicit

enim

enim frigidiſsimam aquam eſſe ſumendam ſi vultis refrigerare. cogitetis vos, & ego alio tempore reſoluam. Supponamus nunc quòd aqua eſt materia omnium decoctionum: & eſt verum. Si ſumitur decoctum cum aqua communi, minus minget, vrinæ rubor, ſitiet, incaleſcet, febricitabit, tabeſcet. Et ego ita exhibens ſæpe ſum coactus deſiſtere: poſtea immutaui. Et cùm ad frigidas aquas acceſsi, vidi refrigerari vrinas. omnia meliùs habebant, vrinæ plures, non rubor ita. Vbi ergo corpus cholericum vel calidum, nunquam fontis aquas, & ſimplices ſumatis, ſed vel endiuiæ aquas, vel boraginis, & chicoreæ. non quia eo vſus ſum, ſed cum aqua endiuiæ optimè mihi ſemper ſucceſsit: quia aqua endiuiæ, & alia talia non tantùm potentia refrigerant corpus ſed reſiſtunt calori. Repetimus dicta à nobis. primò euitanda mixtio pharmaci ſoluentis in decocto, etiam vinum, quod in paucis caſibus conuenit & quoque lædit neruos, & membranas. vſum aquæ fontis, vbi non eſt corpus calidum, poteſtis pro decoctione ſumere primo: ſed vbi dubitatis experiri, licet ſtatim ad complexionatas aquas procedere. Ita iſtas aquas deſtillatas appellare ſoleo

vt aqua endiuiæ, boraginis, ſi video inflammationem, & caliditatem oboriri.

DE QVANTITATE *ligni.*

Iſte modus eſt laudabilis, et à me obſeruatus. Rec. *lib.* 1. *ligni ſancti, quod mediocriter ſit tritum : quia ſi minutiſsime fuerit tritum, exhalant partes multæ tenuiores, formales, et remanent partes terreſtres. Quantò enim magis teritur, tantò magis deteritur ex propria forma, et virtus euaporat. Si etiam ſumatur illa ramenta diu detrita, euanuit virtus, párſque tenuior euaporat. Quare ego pro ſingulis vicibus ne diu retineantur ramenta, ad ſummum iubeo duas libras deterere. mediocria autem ſunt iſta ramenta, nec tenuia, ne euaporet ſubſtantia, ſed potius lata latitudine duorum digitorum, ſed tenuia, quia latitudo non impedit, vt decoctio extrahat illam partem. Ariſto.* 4. Metheor. *eſſe putreſcibile quantò amplius magis reſiſtit, ſed quia ſubtilis penetrat aqua magis, et facilius exhauritur virtus. Et non ſunt tenenda ramenta, vt ab aromatariis fit, ſed noua ſemper (ſi fieri*

(ſi fieri poſsit) ſit raſio: eò melius & vtilius erit. Sit ergo libra vna raſuræ ligni ſancti, ſi aqua quã ſumetis ſubtiliſsima ſit quàm poteſtis habere in tota vrbe. bonæ famæ, qui eam experti ſunt: nec contenti ſitis qualibet aqua ſed ſit electa. Cuius aquæ ſumantur lib. 14. non pauciores: ponantur in olla ſtricti orificij: ita minùs euaporabit, & habebit operimentum ſuum, ſcilicet duo foramina parua. tales ollas ego iuſsi facere: & Venetiis etiam habent. & ſit olla maioris amplitudinis quàm vt teneat 14. lib. quantò enim maior, tantò melior, vt poſsit ebullire. Sed antequam fiat decoctio, ita ſtet per diẽ, et noctem infuſum v. g. f. hoc veſperi ponatis in ollam, cras eadem hora decoquetis lento igne: quia tardo iſto motu virtus magis æqualis extrahetur, & non ita exhalabit. Et vbi ad decrementum tertiæ partis deuenerit, ſufficit vt remaneant octo libræ. Expertus ſum enim quoniam 12. lib. ſumo aquæ, non inuenio tantum: quia ariditas ligni aliquid conſumit, aliquid efferueſcit. Quare ob illam conſumptionẽ do 14. lib. et 8 lib. puras ſemper inuenio: et quando aquam ponetis, tangatis ſuperficiem: diuidatur lignũ in tres partes, e iu decoctum immiſſo: a principio enim aquæ

exuperat omnes iſtas tres ſciſsiones æquales factas. poſtea vbi tantùm duas exuperabit, ſcias partem tertiam conſumptam eſſe. vbi enim ad ſignum & ſciſſuram deuenerit, explorato: & quando ita decoctum erit, deponetis, excolabitis. facta colatura leui, in vaſe ſeparato ponetis. Prima *decoctio erit pro ſyrupis. Sumatur libra vna iſtius decocti ſingulis vicibus. octo lib. erunt pro quatuor diebus: & antequam finiatur vltimus dies, ſit alia decoctio, vt nunquam deficiat.* Duo *iſti ſyrupi ſingulis diebus manè & veſperi dentur. quando datis ſyrupum, vt 7. horæ intercedant à cibo, diuidatis 24. æqualiter, & præcedat cibum ſubſequentem ſaltem tribus horis: ſed ſequatur 7. horis poſt cibum: & ſit ſyrupus actu calidus ſi ſit frigidus. aliàs æſtate, & tempore calido, vt eſt, dabitis. quia non poteſt eſſe frigidus.* Noſtri *quando ſyrupum exhibuerunt iubent, vt eo ſumpto lectum adeant: etiam veſperi cogunt eos ſudare. Iſte error eſt maximus:* Quia *ſudor eſt quædam actiò naturæ, quæ debetur vltimis excrementis in toto ambitu corporis: & hoc eſt vltimum quod natura facit.* Natura *enim primùm per ſeceſſum craſsiora excernet, quicquid eſt in ventre: demum per vrinas*

quicquid

quicquid eſt in venis: tertio per ſudores quicquid eſt in toto ambitu corporis. Illi, quod eſt vltimum, primum faciunt. Iſti volunt expellere per ſudorem, quod debet prius expelli per alias vias, vt per vrinam, & per ſeceſſum. Secundus error cùm ſint tres purgationes quæ fiunt à decocto, quandoque fit prima, ſecunda, & tertia: aliquando quartam vidi: quod aliquando linteamina lutei coloris efficiebant. olent odores ligni, & cubiculum in primo introitu ob plures vapores inſenſibiliter euaporantes. Quare vos, cùm naturam neſcitis quo vergat, impeditis. Sed vos cùm datis decoctum, maneat in ſuo loco æger: non ſe exponat äëri. Si ſudet, non eſt malum: tunc ſe operiat pannis: & poteritis iuuare. Si non eſt ſignum ſudoris, expectet operationem naturæ. non cogatis naturam, nec impediatis eam veſtro importuno auxilio. Quod ſi vrinæ prouocentur cum multo ſedimine, ſicut vidi, tunc ſitis lætiſsimi. Si per poros, iuuetis. quia natura eſt prudentiſsima, & forma vniuerſalis regens omnes partes animalis eſt multò prudentior vobis. Ergo poſt ſyrupum exhibitum caueatis ab illis erroribus. ſemper ſitis naturæ adiutores: & quò natura tendit iuuate, &

non impedite.iuxta Hypp. *Quo natura tendit,&c.*

SECVNDA DECOCTIO.

Id lignum quod prius decoxiſtis, illam vnam libram ſecundo decoquetis: adhuc habebit magnas vires. Et non habeatis tantam diligentiam vt prius. 24.lib. etiam aquæ ſumantur, ſi vna olla non ſufficit, erunt duæ ſumendæ, vt ad partem quartam decreſcat, fortiſsimam expreſsionem faciatis. hoc pro potu ſumat: quia erit dulcior. melius tamen vt parum ſumat. ſi ingratum erit, ei parum ſacchari addatur, quod fieri poteſt.

VICTVS RATIO.

Cibus eſt limitandus: ſi fert virtus, tenuiſsimus pro virium tamen ratione 40. dies hoc lignum dabitur,& magis in vltimis morbus reſiſtet. ſciatis. ego ita ſoleo facere. Primis octo, vel decem diebus ſemper do carnem, vt pulli iunioris, aues paruas, vel carnem hœdi, nō habentem ſuperfluitatem: & hoc in parua quantitate, quandoque plus,

quan-

quandoque minus pro viribus & conſuetudinibus ægri. Panem primis diebus dimidium do: quem conuenit comedere. vinum dilutum pauciferum imprimis quandoque do. Tranſactis decem diebus, à carne, & victu paulatim detraho, vt nihil ſumat: ſed decoctum ſecundum, & panẽ ſolum. eſt quia aluum aſtringit ſolus panis ex vna paſſa dulcj, tenetur venter laxior: cuius comedat ℥.iiij. vel. ii. vel iij. & vir robuſtus ℥ ii. vel ℥.iii. panis. Bis coctus panis conuenit eis: eſt enim fermẽtatus, optime nutrit, quia totũ aqueũ ſpõgioſum euanuit: nõ habet excrementũ aliquod, quia bene fermentatus, & in parua mole multæ ſubſtantiæ. Teneatis ad 30. dies hominẽ, poſtea paulatim & natura aget vel per ſeceſſum, vel per vrinas. quòd ſi ad 40. dies natura agit, non mutetur. Male faciunt qui ℥.i. panis cum paſſulis in principio exhibent, & poſtea coguntur plus exhibere, quia debiles redduntur.

DE ALIO LIGNO NOVO ex India allato Venetias Anno 43. menſe Aprili.

Allatum eſt nunc aliud lignũ ex India venetias, quod contra morbum gallicum eſt bezoardicum etiam. credo hoc lignum ſchœnos iunci radicẽ cuiuſdam cannæ: apparet enim eſſe radicem cannæ in India, vbi ex intermedio vnius cannæ etiam nauiculæ fiunt: tantæ ſunt proceritatis. Inſipidi eſt guſtus, vt ſolet eſſe cãna iſtud decoctum etiam validè confert in morbo Gallico. Nunc Venetiis Cornelius magnus accepit. videbimus effectum. ſi erit bonum ſemper fœlicius ſuccedet hoc nouum lignum: & ſic habetis curam totam & integram morbi gallici, quæ vobis honorem, & argentum conſtabit.

HAEC MONTANVS PAtauij in hoſpitali ſancti Franciſci legit, exercens ſcholares in practica, Anno 1343. Menſe Aprili.

PRO ABLVTIONE, ET *leni frictione palati.*

Recipe foliorum, et fructuũ myrti, roſarum rub. corticis granat. ana m. j. in æquali portione vini albi, & aquæ, cum modico aluminis Rochæ.

PRO LOTIONE *capitis.*

Fiat lixiuium ex cinere dulci, & tertio decocto ligni cum roſis, maiorana, & radicibus aſari, & duabus ʒ. agarici coctum: attrahat alternis diebus hoc decoctum, & ſecundum decoctum ligni per nares. Recipe liquiritiæ raſ. ℥. I. amygdal. dulcium leniter contuſarum ℥. I. ſe. rad. altheæ ℥. ij. fol. mal. m. ij. hordei p. I. florum cam. m. j. bulliãt in ſuffi. q. aquæ ad cõſumptionẽ medietatis.

CVRA POST MORBVM *Gallicum.*

Hæc fuit 17. viſitatio in hoſpitali, & fuit occaſio eorum quæ legit de morbo gallico, Anno 1543.

Pulcherrimus caſus, primò cauſas tremorum, & palpitationis videamus. In hoc enim ſacerdote non deprehenditur compoſitio mala: nec duritiem, nec obſtructionem patitur, nec ſolutionem continui. ergo intemperatura morbus. Videndum igitur eſt an ſit cum materia, vel ſine materia: & ſi cum materia quæ temperatura iſta. Audiuiſtis illum progreſſum antea primò per tria morborum genera diſcurrere, in quo peccat, & poſtea ſi à temperatura peccat diſtinguere, an in principio vel agnatis ſit. Iſte motus habet principium in cerebro, virtus diffuſa. Quærendum igitur vtrùm impedimentum motus, & mala complexio ſit in principio motus, vel mēbris mouentibus. Oportet ſigna habere. Sciuiſtis ex methodo vniuerſali quaſdam eſſe operationes in cerebro, & propter cerebrum: quia non habent inſtrumentum exteriùs, vt ſunt virtutes motiuæ, nec in cerebro, nec propter cerebrum: quia non eget illis: ſed ſunt ob vtilitatem corporis. ſunt a cerebro: & quandoque tales operationes in principio, quandoque in alijs membris læduntur. hæc noſtra eſt vna læſio ex illis, quæ & in principio eſſe poteſt, & in alijs membris. Quomodo hoc ſciemus? Ex fundamento. Quando enim eſt prin-

principium læſum, omnia membra quæ ab eo habent ortum tremunt, & patiuntur, quia principium eſt læſum, nec ſolùm in motiua operatione nocumentum, ſed etiam ſenſus: tamen magis poteſt eſſe impedita vna alia, ſed omnes tamen erunt læſæ. Eſt ne hoc in hoc viro non poſſum cognoſcere, quia in ſanitate illum non noui. Videtur eſſe attonitus verè, verba habet incompoſita. An ſit hoc illi naturale, neſcio, tunc non eſſet ſignum. Non habet tamen in omnibus ſignis tremorem, ſed habet circa motiuã virtutẽ, ſiue materia ſiue virtus emanãs magis vel minus imprimit: licet non ſemper ſit agitatio & in omnibus membris: eſt tamen in omnibus per differentiam: quia quandoque in vno, quandoque in alio inuenitur. Ergo principium patitur, id eſt, cerebrum. Semper ad cor terminatur tremor, quia affinitatem cerebrum habet ad cor: licet in cerebro principium ſit ſenſitiuũ, tamen affinitatem habet maximam. vnde in epilepſia, in vertigine ſtatim tremit cor, & oportet tunc tam cordi quàm cerebro occurrere. Eſt enim talis conſenſus, vt vnum membrum ſine altero non patiatur: quia ſi vitium in muſculis eſſet, quare tremor eſſet in corde? ſed eſt in cerebro vitium, & quando-

que imprimitur in vna parte, quandoque in alia ſpiritus refrigerantur: vnde cor ob frigiditatem in cerebro palpitat. vbi enim multùm refrigeratur cerebrum, cor conſentit, & tremit. vnde Ariſtoteles putabat cerebrũ eſſe propter contemperantiam cordis. Iſtæ coniecturæ ſunt pulcherrimæ. Hoc ſit fundamentum ab intrinſecis operationibus ab extrinſeco: Quæ cauſa morbi fuit? perpeſſus morbum gallicum, cùm ei medicus inſtituit vnctionem ex argento viuo maledicto, nec in debita proportione. Tale ſacrilegium eſt. Ego vidi argentum viuum per noctem vnam in cocleari poſitum, frangi æneum coclear. tanta eſt vis horrenda argenti viui. Sic illũ chirurgus illeuit, totam faciem, manus infra cubitum, & partes tibiarum: & qui extrema illinunt, illi melius faciunt, ne lædant principalia membra. Sacerdos autem iſte, credens citius poſſe ſanari, aures, corpus, & faciem illeuit hoc argento viuo, vt ex ea illitione affectum ſit cerebrum. Priùs in tali cura gallica quaſi ferè omnes illinebãtur. Hinc eſt quòd videmus in anatomia, in illitis illis ſubſtantiam cerebri pertranſiſſe hoc argentum viuũ. Legatis Plinium, qui dicit argentum viuũ in nulla re cõtineri poſſe. penetrat omnia etiam

oſſa

oſſa. Galenus vno verbo ſe expediuit, inquiens: de hydrargiro autem nihil habeo dicere: nam nunquam illud noui, niſi pro veneno. non vult amicitiam ſecum habere: penetrat omnia. Quum igitur eo illitum fuit caput, neceſſariò penetrauit ſubſtantiam cerebri, & ſua frigiditate induxit illa accidentia. Ideo Auicenna (quo multum profeci) verè dixit, in argento viuo vis eſt ſtupefaciendi, paralyſim, & tremorem inducendi. Non ergo mirum, ſi cerebrum infrigidatum, poſtea aucta frigiditas. vbicunque igitur membrum refrigeratum non conficit proprium alimentum, multæ cruditates fiunt. In expulſione peius ſe habent: vbi enim vna malè ſe habet virtus attractiua, aliæ etiam bene non habent. vbi igitur cerebrum factum frigidius, & membrũ redditũ debile, omnia alia excrementa membra eò mittunt, & proiiciunt, & tanquam canem miſerum omnes mordent. Cerebrum autem cum ſit frigidum, ſpiritus calor non poterat reſiſtere. Deuenit ergo in accidentia. Secundum rationem varia excrementa diffunduntur per muſculos membrorũ ſub forma vaporum, modò ſub forma materiæ. Vnde Galenus de cauſis ſymptomatum: Tremoris cauſa immediata eſt frigiditas vel

cum materia, vel ſine materia. vbi enim virtus eſt valida ſuſtin. t. Si verò virtus debilis, & non poteſt tenere pondus, & membrum deorſum vergit: quia grauitas membri ſuperat. deſcendit, ſi paria, fit tremor. Principium ergo in cerebro læſum eſt, quo cerebro refrigerato, & ad pectus communicant ſpiritus cordis cum cerebri ſpiritibus. Sic ad cor frigiditas deſcendit, in palpitatione cordis inſurgit virtus percepto nocumento, vt expellantur excrementa: incipit tremere. Poſtea vltimo conatu inſurgit, & reſoluit materiã: & ſic fit iterum corpus ſanum. Stante diſpoſitione tali, prognoſticatio eſt mala: quia ægritudo eſt in principali membro. Medici enim aliquid difficulter poſſunt, ſi membrum principale eſt affectum. Eſt præterea ſenex morbus longus difficulter ſanabitur. Si debet tamen curari, calidis & ſiccantibus curabitur. Quare medici Empiriti debebant explodi ex ciuitatibus cum ſuis ſecretis, cùm tam multos interficiant. Exhibent ex argento viuo præcipitato pilulam vnam intra os. & bene vocant præcipitatum: quia multos ad mortem præcipitant. Ergo occurrendum eſt contra venenum, & huiuſmodi ratione faciendũ, vt infrà ſequitur.

Recipe

Recipe lixiuij ſarmentorum ex cinere vitiũ lib. vi. mirobal. thebul. citrorum indorum ana ℥. iij. conterantur groſſo modo, & infundantur in eo lixiuio per diem ac noctem: deinde Reci. epithimi, fol. ſenæ, polypodij ana ℥. vj. liquirit. ſeminum citri, corticis hellebori nigri, ana ℥. ij. decoquãtur omnia ſimul ad conſumptionem medietatis, & imponantur ſimul ad bulliendum ſurcula duo, vel tria minutim concisa arboris ficus cum ſuo lacte, & ſint ſurcula craßitudine parui digiti: deinde recipe huius decoctionis ℥. vi. ſyrupi de betonica ℥. ij. miſce pro vno ſyrupo, & ſic pro aliis, donec biberit totam decoctionem.

Hec cura fuit pro quodam ſacerdote illito argento viuo, tremore laborante. ſimile exemplum vidi in Pruſsia. Quidam enim egregius muſicus, Rugelmannus nomine, mercurio illitus in tantam incontinentiam membrorum omnium, & tremorem incidit, vt non ita multùm diu poſtea ſuperuixerit, licet incontinentia iſta curata ſit.

PILVLAE PRAESERuatiuæ.

Recipe aloës optimæ ℥. vi. Agarici electi,

rharbarbari electi ana ʒ.iij.corti. rad. helleboti nigri ʒ.ij.trochiſcorum halhandal ℈.iiij.myrobal.indorum ʒ.ij.epithimi Cretenſis *℥.j.ſucci glycirrhizæ ℥.iij. ſem.citri ʒ.j.muſci ambroſ genera quinque gariophill.ʒ.j.pulueri zentur omnia per ſe deinde miſceantur, & cũ ſyrupo de corticibus citri fiat magdaleõ: deinde loco, & tempore, cùm ſcilicet morbus gallicus aliquod veſtigium manifeſtaret, fiant pilulæ: pro ſingulis ʒ.iij.ſumendæ ter in ſeptimana in aurora cum cuſtodia.*

AD VLCERA DATVM
cuidam Poleno *habenti vlcera in naribus.*

Recipe tutiæ preparatæ ℥.j.olej roſacei, ſucci ſolani ana ℥.ij.ponantur ſimul in mortario plumbeo. & malaxentur cum piſtillo plumbeo in eodem mortario tandiu donec habeant conſiſtentiam bonam: poſtea cum modico ceræ liqueſactæ fiat vnguentum molle: reſeruetur ad vſum.

ALIVD.

Recipe *ſacchari lib.j.ſalis communis lib.ſemis,*

mis, aluminis Rochæ ℥.j.*miſce deſtillentur in alembico. guttula vna immiſſa in puſtulam reſiccat, ſanat, & incarnat.*

FINIS.

BIBLIOTECA R. COLEGIO DE Sn. CARLOS